
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 I
14






# IOS. QVERCETANI
## CONS. ET MEDICI REGII
*LIBER*

De Priscorum Philosophorum veræ medicinæ materia, præparationis modo, atque in curandis morbis, præstantia.

*Déque simplicium, & rerum signaturis, tum externis, tum internis, seu specificis, à priscis & Hermeticis Philosophis multa cura, singularique industria comparatis, atq; introductis, duo tractatus.*

His accesserunt ejusdem Ios. Quercetani de dogmaticorum medicorum legitima, & restituta medicamentorum præparatione, libri duo.

*Itémque selecta quædam consilia medica, clarissimis medicis Europæis dicata.*



















*Impensis Thomæ Schüreri & Barthol. Voigt.*

Anno M. DC. XIII.



# PRÆFATIO.

PRÆCLARA SEMPER ingenia extiterunt, quæ summam curam, summúmque studium posuerunt in excolenda, promovendáque arte, seu facultate, in qua non tantùm cum laude versari, sed præ aliis etiam excellere gestiebant. Hoc studium licèt præcipuum, & commune omnibus, atque adeò singulis idem, (quippe unum omnibus intentum, unus scopus) sentiendi tamen & opinandi varietate distinctum sola procedendi, collimandique diversitate, in partes diversas fuit distractum. Nam alii medicinarum facultates solis experimentis addisci posse, magna contentione asseruerunt. Hi Empirici priscis dicti, etiamnum hodie illud nomen retinuerunt. Alii nescio quid compendii in arte difficillima (quam longam dixit Hippocrates, [Alph. 1.] nos veriùs immensæ longitudinis, atq; difficultatis) quærentes, dum singula ad paucissima quædam capita redigere conati sunt, pro compendio, quod satagebant, dispendium invexerunt. Hi semet methodicos, omine haud minùs, quàm nomine glorioso vocitarunt, Thessalica hæc secta, à Thessalo authore, homine summæ impudentiæ (quòd & spacio semestri tantam artem addisci posse dicere non veritus sit) fuit appellata: utramque præ-

*dictarum superciliosè repudiantes alii, nec soli experientiæ inniti, nec in arctum tantam disciplinam contrahi æquo animo ferentes, rationem quoque in subsidium artis comparandæ accersèrunt. Hos dogmaticos vocant: secta, si quæ alia medicorum, nobilis, & ob gravissimos, quos semper habuit autores, celebranda. Priores duæ, vel ante Hippocratis tempora ad Galenum usq; in summa existimatione à plerisq; fuerunt habitæ: quas tamen idem Galenus in libro suo de Sectis proponit, examinat, atq; confutat. Tertiam verò, hoc est, suam dogmaticam, inquam, ab Hippocrate (ut ille ait) mutuatam principiis quibusdam universalibus, uti hypothesibus suis solent Geometræ, superstruxit. Ea sunt: Omnia ex quatuor elementis tanquam primis & universalissimis principiis sensibilibus, certa quadam & convenienti proportione mixtis, oriri, ex cujus mixtionis symmetria in viventibus sanitatem: ametria verò morbum excitari: Rerum omnium virtutes, atq; facultates ab elementorum illa mixtione, seu mixtionis exuperantia promanare: Uniuscujúsque rei formam essentialem ex certa elementorum mistione, & temperatura insurgere. Qualitates constituit quatuor, duas activas, calidum & frigidum: totidem passivas, humidum, & siccum. Secundas qualitates, nempe sapores, odores, colores, aliásque sensibiles ex illis primis deducit. Quatuor humani corporis (quos vocat) humo-*

*humores, sanguinem, pituitam, bilem, & melancholiam, analogia quadam primis elementis respondere statuit. Iisdem principiis ac fundamentis, & ipsemet Galenus, & omnes quoq; ejus sectatores suffulti non tantùm omnium morborum, & symptomatum causas ascripserunt : sed & ipsis primis qualitatibus, in mixtis tamen, seu compositis corporibus existentibus, vim & potestatem omnem ad profligandos morbos, inesse dixerunt : Ac proinde contraria contrariis curari, calidum frigido, humidum sicco, horúmque unumquodque suo contrario, ceu regio quodam edicto, ideoq; firmo, ac indubitato axiomate promulgarent. Hinc infinitæ medicamentorum compositiones, ac formularum varietates promanarunt. Quarum materia ex familia tam vegetabilium, quàm animalium, & mineralium deprompta est. Atq; ex hac diversorum remediorum farragine, tertium (quod vocant) medicinæ instrumentum, quo sanitas deperdita restitui debeat, emanavit, nempe pharmacopœa, seu ratio præparandorum dispensandorumq; medicamentorum. De quo medicinæ Galenicæ instrumento omnibus ferè medicis ad usum, ad gratiam, addam : Et si lubet illud, ad pompam præcipuo, cognituq; necessario, hoc suscepto opusculo differendi spartam suscepimus.*

*Sed antequam rem ipsam specialiùs attingamus, libet aliquid de quarta, multis nova, no-*

*bis verò vetustissima habita paucissimis anticipare. Quartam, inquam, hodiè putant, & faciunt medicinæ sectam spagiricam, de cujus dignitate, ac vetustate hoc loco pluribus differere tantisper differamus, dum de eadem, ejusq; potissimo organo seqventi capite tractare sit animus. Fatendum tamen hoc loco, & verè fatendum, hanc esse, si rationem & experientiam habeat, tanquam organa subsidiaria, totius medicinæ imperatricem. Hujus sectæ antecessores, & rationem, & experientiam faciunt maximi, sed utriusq; alios fontes, alia statuunt fundamenta. Rationem quippe non vulgatis, & vel vulgò notis, elementorum, mixtorumq; proportionibus adscribunt, sed res ipsas intuiti & contemplati, ibi rationem qværendam efficaciter contendunt, ubi rationis sit fons, & scaturigo: atqui hanc non in extrinsecis, & universalissimis illis mundi elementis, sed in insitis, sed in propriis corporum essentiis qværendam satius ducunt. Hic aqua hæret: hæc diversitatis occasio: hoc totius spagiricæ fundamentum. At quid sit insitum illud elementum, quod & omnis vitæ, omnisq; medicinæ statuunt fundamentum, mox patebit. Unum illud nunc addam, hujus sectæ asseclas, non tam compendii rationem, quàm medicinæ invictam efficaciam, naturæ insuper optatissimum solatium, præter præparationem, subtiliationem, dosin, atq; gratiam (quæ mera sunt acciden-*

*dentia) summam omni medicinæ attulisse perfectionem. Hoc nunc satis sit, dum interim plura mox, sed specialiora in aliis nostris operibus meditamur. Nunc ad dogmaticam revertamur, cujus principem Galenum faciunt ferè omnes: quamvis idem eandẽ à summo Hippocrate promanasse liberò, nullaq; usus circuitione fateatur: ejus pars, seu organum præcipuum est pharmacopœa, seu medicamentorum præparandorum administrandorumq; ratio, de qua hoc libro sumus acturi.*

*Sed ne illotis, quod dici solet manibus rem ipsam statim aggressi videamur, placet prius fundamenta quædam futuræ disputationis ponere, atq; ut tractationis series postea melius elucescat, pauca quædam anticipare.*

*Itaq; cum de pharmacopœa Galenica, seu medicamentorum vulgarium præparatione potissimum hæc tractatio sit suscepta, imprimis demonstrandum quid per medicamentum, seu medicinam ex Galeni sententia sit intelligendum. Deinde docendum, quæ fuerit priscorum medicina Hermetica seu balsamica, ut quantum utraq; inter se differat omnibus fiat notum. Tum reassumpta Galenica seu dogmatica præparandi ratione, ipsa medicamenta per classes distribuemus, atq; totius pharmacopœæ formam integram quasi ob oculos ponemus: subinde quid in ea probandum, quid improbandum censeamus, suis quibusq; locis inseremus: adeoq; univer-*

*ſam Galeni pharmaceuticen bona fide ſingularique induſtria reformabimus. Deniq; innumeris ferè præparationibus, correctionibus, medicamentis omnis generis ſpecificis, atque ad omnes ſanandos corporis affectus, tum internos, tum externos ditabimus: ad hæc quibusdam Chymicis ſeu ſpagiricis ornamentis, ut ornatior, ditior, atq; utilior hic noſter prodeat fœtus, exornabimus, & illuſtrabimus.*

*De medicamenti & medicinæ vocabulo, ſeu nomine diverſæ ſunt, & diſcrepantes medicorum ſententiæ. Alia namque eſt Hermeticorum medicorum, ſeu eorum qui Hermetis Trimegiſti omnium philoſophorum celeberrimi, ac vetuſtiſſimi, ſequuntur ſententiam. Alia eſt dogmaticorum, ſeu eorum qui ſunt ſectatores Galeni. Hi quippe per medicinam, & artem ex certa præceptionum coadcervatione ad ſanandos, profligandosq; humani corporis morbos: & medium, quo illud præſtatur, hoc eſt remedium, vel ſimplex vel ex pluribus ſimplicibus commixtum, intelligunt. Illi verò per medicinam non artem quandam ad humani corporis ſanitatem conſervandam, morbosq; pellendos comparatam intelligebant: ſequendam potiùs eſſentiam in rerum natura ſenſibus ſeſe offerentem. Verùm non ſtatim, ac primo quoquo obtutu, ſed artificioſa, ac legitima præparatione ex rebus omnibus, quotquot ſub cœlo ſunt, erutam, & ritè ad humani corporis affectus,*

& lar-

*& langvores profligandos, administratam, hanc, inquam, proprie, ac veræ medicinæ nomen sibi vendicare censent, secundùm quam etiam verus medicus comperiatur. Nam ut in universum omnes artes, ita quoque medicina, artium, extra controversiam, nobilissima, sibi materiam quandam sumit, ejusq; naturam, proprietates, virtutes, actiones, conditiones, effectus, cæteraq; ad eam pertinentia, diligentissimè rimatur. Quibus cognitis, atq; perspectis, nondum satur, sed ulteriùs pergens, quali insuper præparatione, quibus mediis, quali deniq; methodo, atq; processu ad usus humanos possit accommodari, inquirit. His demum perceptis, inventis, atq; cognitis, ars vera constituitur medica: naturæq; solius ministri fiunt ipsi medici, quæ natura, teste Hippocrate,* [6. Epid. s. 5. part. 1.] *morborum est medicatrix. Medici igitur ex eorum sententia officium est, vitalibus, potentibusq; remediis morbos illos radicales in corpore, & semine genitos eradicare. Hoc autem fit ope vitalis cujusdam balsami, quod veræ medicinæ firmum fundamentum, morborumq; omnium vera est medicina, modò ab omnibus impuritatibus separetur & debitè præparetur. Hoc est, illud vitale balsamū, hæc unica, & vera medicina, quæ ad omnes corporis affectus, tum præservationis, tum curationis ergò exhibetur.*

*Hanc Fernelius in suo opere de abditis rerum causis subolfecit, dum probare conatur, in natura*

*esse quiddam divinum, atq; præstantius, quàm quod ex vulgatis illis elementorum qualitatibus insurgat, illudq; occultam proprietatem appellat. Quam si cognovisset esse in natura, (ut discipuli Hermetis illud norunt) certè hanc rem manifestam, & quæ verè in natura est, atq; subsistit, diviniori alicui principio non ascripsisset. Ansam verò, & quasi fundamentum cur ita sentiret atq; statueret, ex plurimis Hippocratis, & Galeni locis desumpsit. Hippocrates namq; libro de Antiqua medicina, repudiatis antiqvorum hypothesibus & fundamentis, (propterea quòd caliditati, frigiditati, humiditati, & siccitati omnium morborum causas ascripsissent) inquit: omnia à vi quadam, & facultate,* ὑπὸ δυνάμεων *proficisci: quibus etiam curationem morborum acceptam refert. Et alibi scribit,* τὸ θερμὸν *divinum quiddam esse. Quicquid autem per hæc intelligat Hippocrates* [l. de Diæta.] *nihil tamen revera id aliud est, quàm ipsamet vera absolutaq; prædicti balsami natura: cujus virtute vivunt, virent, vigentq; omnia: & sine quo mortua, & extincta jacerent. Hanc materiam secretiores philosophi appellant quintam rerum essentiam, elixir, aurum potabile, lapidem, cœlumq; philosophorum, diversissimis quidem nominibus, eandem tamen rem intelligentes. Quintam essentiam dicunt: quòd sit aliquid, quod non ex crasi quatuor elementorum resultarit, sed aliquid præter hæc,*

*& qua-*

*& quasi τὸ θεῖον quiddam, sive autorem rerum omnium, qui eam creavit, spectes: sive admirandas eius virtutes, atque effectus, non temerè ab elementari corpore promanare percipias. Elixir vocant, quòd sit ad vitam conservandam, morbosq́; depellendos, incomparabilis medicina. Aurum potabile verò, non quòd ex solo auro, & semper ex eo fiat, (fit enim ex omnibus rebus, quæ sub cœlo sunt, ut mox docebitur) sed κατ' ἐξοχὴν sic dictum, quòd ejus præstantiam adæquet. Lapis vocatur, non ut ille, cujus contactu metalla transeunt in aurum: (hoc enim àvaritiæ inventum est, atq; opus, non medicorum, vel medicinæ) sed propter perpetuam, atq; invictam durationem, aut quòd de natura sit salis, salis, inquam, rerum vitæ, in quo tanquam durissimo, firmissimoq́; corporum fundamento reliquæ virtutes conquiescunt. Cœlum deniq; philosophorum, quòd elementorum naturam longè transcendat. Balsamum quoq; meritò eam materiam dicunt, quòd sit quædam natura radicalis, fons actionum, & fœcunditatis, cujus beneficio elementa concordi mixtionis ratione vinciuntur, & in cujus facultate seu virtute, vera & universalis est omnium morborũ medicina, sanitatis restauratio, corporum renovatio, atq; cõservatio: deniq; id, quod vigorẽ, & potiendi facultatẽ præbet omnibus naturæ rebus. Et quamvis hæc materia spiritualis, cœlestis, invisibilis, & occul-*

*occulta, atque iccircò rationi magis, quàm sensui subjecta, vix seorsim reperiri possit: attamen eam, & esse, & à vero philosopho haberi posse, certis & evidentibus rationibus, diffusaq; verborum serie convincemus, atq; ostendemus in libro nostrò de recondita rerum natura artisq; mysteriis & mox ejusdem specimen familiarissimum exhibebimus.*

*Enimverò sanè, ut artis beneficio corporea spiritualia reddi possunt: sic rursus etiam spiritualia corporea, vel astralia, ut vocat Paracelsus: invisibilia visibilia, & quæ modò in orco Hippocratis, vel nocte Orphei vel puteo Democriti occulta jacebant, nunc manifesta fieri possunt: denique quieta mobilia, & econtrà.*

*Hoc incorruptibile balsamum in corruptibilibus rerum fœcundis seminibus præsertim, & reperitur, & conservatur. Atq; hic maximè locum habet illud Aristotelis:* Ex corruptione unius, alterius fieri generationem *Semen namq; terræ injectum quodammodò putrescit quidem, aut saltem corrumpitur, hoc est, digeritur, atq; resolvitur: at radicalis, seu balsamicalis ipsius substantia, quæ in vitali, & spirituali quadam humiditate otiosa antea delitescebat, & in qua totius virtus, atq; potestas seminis vigebat, nunc prodit, seq; in conspectum dat. Ut vel hinc satis superq; manifestè pateat, balsamicam illam substantiam, quam incorruptibilem jure diximus, non corrumpi, sed perfici, novumq; corpus inde pro-*

*procreari. Quod si constet solam naturam per se talia præstare posse, ipsiusq; solius beneficio, spirituale à corporeo, incorruptibile à corruptibili, invisibile à visibili, & deniq; purum ab impuro separari posse, quid eadem præstet adjuta beneficio, atq; dexteritate artis? Maximè verò cum majus quiddam, & præstantius fieri conspiciamus in ipsiusmet naturæ operationibus, si debitum, & legitimum artis ministerium accedat, ut fit in agricultura, cum terram optimè præparamus, ipsamq; stercoribus & urinis animalium (in quibus salia balsamicalia continentur) impingvamus, quò & ipsa terra, ipsaq; semina fertiliora reddantur. Tale quiddam sanè inest rebus omnibus, ac ita quidem inest, ut à philosophis ac veris artificibus medicis sagaci industriâ elici, & in perfectionis, puritatisq; summum gradum reduci possit. Atq; hoc illud est, quod medici, ac philosophi Hermetici propriè, & per excellentiam Medicinam appellarunt: De cujus antiquitate, materia, præstantia, qualitatibus, & officiis deinceps specialiùs disseramus.*

ILLV-



*ILLVSTRIBVS, AMplissimis, atq; Magnificis Viris, POMPONIO BELLEVREO Regni Galliæ Cancellario: & NICOL. BRVLARDO In sacro Regis scrinio & conclavi Consiliario: Viris ac Patronis suis omni observantia dignissimis IOSEPHUS QVERCETANUS Regius Medicus S.*

RISCI ILLIUS ÆVI scriptoribus invaluit consvetudo, antequam messis suorum laborum auspicium facerent, falcemq; seriò immitterent, quædam priùs præmetere sacrificio dicanda, tum etiam ut flamen aliquis de maturitate frugum decerneret ac pronunciaret. Quorum Imitatione, amplissimi Proceres, atque Patroni observandissimi, spicam unam aut alteram futuræ meæ messis (quam paro) offerre & flaminio vestro lubens submittere decrevi: vobis, inquam, optimis ac optatissimis meis Mecœnatibus conjunctim: qui ut animi magnitudine, sic & mutua benevolentia congrui-

gruitis: quorum unum meritò, pro officiis ac meritis, Potentissimus Rex: imò Regum, quotquot tellus habet, facilè primus, talem tantumq; agnovit & judicavit, ut ad clavum & regni hujus potentissimi gubernaculum torqvendum primas partes pro dignitate præfixerit. Alterum verò utpote sagacissimum ac prudentissimum virum, tanquam alterùm suum in consilio captando & decernendo oculum, nunqvam à conspectu suo recedere: sed suæ Majestati semper adhærere voluerit & jusserit. Quod cùm Rex ipse, Dynasta amplissimus de vobis verè judicet, quotusquisque fuerit, qui vos in sublimi hoc culmine constitutos non suspiciat & veneretur? quiq́ue propter tot virtutes vobis insitas, tot animi dotes, & rerum à vobis feliciter gestarum gloriam (qualia ab aliis nunquam, quàm à generosis, & verè heroicis geniis proficisci solent) non amet, admiretur, & colat? vos inqvam, qui vobis non parcitis ut aliis usui sitis & auxilio: qui in omnes benigni

manſveti & moderati, in vos verò ipſos ſeveri, & truces: qui citra contemptum & abjectionem, ſed cum honeſta gravitate faciles: ſine terrore reverendi ac metuendi, nullius honoris aut gloriæ ambitioſorum inſtar cupidi: quos tamen honores, licèt inviti & reluctantes, conſecuti eſtis maximos, ut quorum prudentiæ, fidei ac æquitati Rex auguſtiſſimus rerum ſuarum ſummam & adminiſtrationem concrediderit. Quamobrem & reliqvus Senatus regius totus vos colit & amore amplectitur: univerſusq; populus votis proſeqvitur, veneratur ac celebrat. Taleſq; eſtis, quos Deus Opt. Max. ſelegerit, eaq; ſapientia ditaverit, quam ad ſtatum hujus regni exitialibus tot bellis penè attritum, inſtaurandum ac reſtituendum ſufficeretis. Magna dico (fateor) ſed quæ cum geſtis veſtris de officiis ſi conferantur, minima futura ſint: veſtris enim tam egregiis virtutibus celebrandis cùm impar ſim, ni finem dicendi faciam, vereor, ne ingenii mei tenuitate, & lingvæ

errore, laudes vestras potius deteram, quam augeam. Fateor equidem sic oportere æstimari, coliq; Heroas, qui Catonum ac Fabiorum in morem bono publico atq; patriæ nati sunt, ac vivunt, ut eorum laudibus canendis nullus finis debeatur. At qvum satis gloria ubiq; vestra refulgeat, metuendum potius mihi est, ne, si majorem lucem ei afferre studeam, tenebras potius offudisse videar. Quin & clarissimè gloriam vestram abundè prædicat tanta temporum & hujus opulentissimi regni, vestris auxiliis & consiliis parta permanensq; tranquillitas.

Ecquid igitur vobis tantis Mecœnatibus meis & Flaminio vestro spicas meas judicandas non exhibeam, priusquàm uberioris messis spe fretus, tempus & occasionē captem studiis & conatibus meis aptiorē & oportuniorē? Nam uberiorem omnino messem, idq; brevi, (confido) vel tempori dabo, vel dabit mihi tēpus. At si mihi plausibilis ullus testimonii publici favor esset af-

fectãdus, unde potiùs is mihi quàm ex solo judicio vestro, cui prorsus acquiesco, expectandus esset? vel juxta Heraclitum, veterem illum philosophum, qui summam laudis arbitrabatur, vel unico tantùm placere, si esset optimus qui probaret: nunquid laus mea tantò major futura est, si duobus vobis & optimis & sapientissimis placeam & prober? Sed de his satis. Restat ut de nostro scripto aliquid referam: & si fortè præcocem nimiùm fœturam atq; immaturam excludam, vestræ tutelæ & propugnationis honore indignam: spero tamen fore, ut pro candore, liberalitate, comitate, mansvetudine, modestia, aliisq; vestris plus quàm heroicis virtutibus, serena fronte excipiatis. Quod si vel lectionis honore ipsum dignemini, maturiores fortè fructus, sitis quàm ego sperem, agnituri. In hoc enim conatu meo, usq; adeò nervos viresq; contendi & exerui, ut nihil non de utraq; medicina, quæ nunc apud plerosq; excolitur,

litur, & magna laude in usum venit, ex Hippocratica & Trimegistana schola profecta, sagacissimè & magno labore exquisierim, nec non quicquid arcani ex utriusq; penetralibus effodi potuit, eruerim & extorserim. Si quid autem præstiterim, & ex usu Reipub. nostræ promoverim, vestrum, non meum sit judicium. Affirmare tamen ausim me utriusq; scholæ flores selegisse, ut gratum naribus odorem ex illis in sertum contractis, sitis, ni fallor, reportaturi. In hoc enim sertulo, præter Hippocratica dogmata, jam olim adhuc omnibus pervia & detrita, renovata delibatur hîc, longè, meo judicio, solidior, tutior, & ad agendum potentior Hermetica philosophia, quæ gustum & saporem svavissimũ & jucundissimum inducat. Scio tamen, quàm plenum sit aleæ opus hîc à me susceptum: ubi novi quid introducere multis videbor: unde multa auguror mihi sustinenda fore, quæ debacchari in me audeant illi, à quibus falsò medicina Hermeti-

ca novitatis insimulatur. Sed hoc mihi tutissimum fore præsidium spero, quòd quicquid authoritati vestræ nuncupatur, ab omni injuria securè vindicetur.

Excipite igitur ex obseqventissimo cliente vestro, viri amplissimi & fidelissimi propugnatores ac conservatores salutis publicæ, hoc nostrum munusculum: & QVERCETANI vestri perpetuò memores salvete fœlicissimè & valete.





# IN IOS. QVERCETANI MEDICI REGII CELEBERRIMI, opus verè aureum, summa eruditione, industria, & fide, ex luce Naturæ elaboratum: IOANNES SARRACENUS Char. apud Sancer. Medicus, votivum hoc, ut debuit, fidelis amicitiæ pignus consecravit.

*Quæ pridem natura suo viduata nitore est,*
*Larvatas fœdè commaculata genas:*
*Longaq; nativum posuit per secula lumen:*
*Pseudosophistarum dissimulata dolis.*
*En* Quercetanus *tenebroso educit ab orco*
*Arte potens, proprium restituitq; jubar.*
*Ipsas qvin animas etiam (mirabile visu)*
*Evocat, & digitis atterit astra suis.*
*Scilicet ut posito, rerum mysteria, fuco*
*Indubia exhibeat, conspicienda fide.*
*Hanc igitur sectare viam, Sophei nescia falsi*
*Naturæ hæc cæcos explicat una sinus.*

IO. SARRAC.

# DE MATERIA, PRÆPArationis modo, & præſtantia Medicinæ Balſamicæ priſcorum Philoſophorum.

## CAP. I.



VETUS EST, NON NOva ſecretorum naturæ inveſtigatio exactior, atq; penitiſsima, immò vetuſtiſsima. Conſtat, quippe omni ſeculo, omniq́ue tempore extitiſſe præclara, ac ſumma quædam ingenia, quæ in naturæ myſteriis indagandis inſudarunt, & ſummi adeò philoſophi, & inter cœteros eminentiſsimi, in ea cura toti verſati ſunt. Summus ille Sabor atq; Hermes ille, propterea cognomine τρισμέγιστος ser maximus dictus (quem non ita pridem literariæ reipublicæ cultor, atq; promotor illuſtr. D. Franciſcus de Candolle lumini, atq; uſibus humanis reddidit) aliiq́; ſummi viri nihil aliud in votis habuerunt, quàm ut multijuga, & ſublimi illa inveſtigatione, ſummam quandam medicinam, inculpatam, univerſaliſsimamq́; medendis humani corporis morbis aptiſsimam, ſufficientemq́; invenirent. Factum

tamen, ut eammet curiositatem (ut est nobilissimorum ingeniorum satagentia multa) ad transmutationes quoq; metallorum adhiberent, qua efficerent,& conseqverentur illammet medicinam, quam appellarunt lapidem philosophicum. Hic lapis impostorum, & ignorantium culpa adeò abiit in contemptum,ut hodie nihil ferè sit aliud, quàm fabula vulgi. Contra quos non tantùm hujus artis contemptores, sed etiam sectatores præcipui meritò invehuntur. Audiamus quid scribat Augurellus summus ille Poëta, atq; philosophus in doctissima sua Chrysopœia.

*Nec miseram magis affirmes veraciter ullam*
*Artem aliam, quàm quæ externis Halchymia verbis*
*Dicitur: obscurisq; tegens ambagibus errat*
*Avia per: miserosq; trahit per iniqva seqventes.*
*Ac tandem ejectos in cæca baratra relinqvit,*
*Ut videas quemcunq; bonum sua prædia, civem*
*Vendentem, patriasq; domos nubesq; repostas*
*Fornaces inter versari,ac follibus aurum*
*Captare, in tenuemq;(nefas) convertere fumum.*
*Rem, dubias dum quærit opes insanus, avitam*
*Protrahit, illachrymant nati, fit sordidus ipse*
*In tantum ludusq; patens, & fabula vulgi.*

Ecce quid magnus hic vir & philósophus Chymicus scribat de miseris, atq; indoctis illis Halchymistis, deq; spuria, & sophistica Hal-

Halchymia: qui tamen idem Poeta summus veram, atq; legitimam magnis laudibus deprædicat in toto suo opere: atq; statuit solos esse verè doctos,& in pietate, atq; timore Domini versantes, qui in tam divina scientia occupari possint, ac debeant. Quapropter idem alibi sic infit.

*Hanc non impuris manibus fraudator avarus*
*Attingat, decoctor item, quisquisve fabrili*
*Arte valet: mollisve etiam, cui perdita cordi*
*Otia, mercatorq; vagus, &c.*

Tandem subdit:

*At sapiens superos imprimis qui colat, & qui*
*Noscendis penitus causis modò gaudeat, huc se*
*Conferat, hanc totis sectetur viribus artem:*
*Huic comes hærebit gravis exploratio rerum*
*Intima naturæ passim vestigia servans.*
*Tum mora sollicitos cursus remorata seqvetur.*
*Et visura olim stabilis patientia finem.*

Et sanè negari neqvaqvam potest artem hanc cum medicina summo Dei dono, conjunctam esse utilissimam: maximè cùm certum sit eam nos docere correctiones, purificationesq; rerum, aperiatq; nobis mysteria mirabilia in naturæ sinu recondita.

Cæterùm ænigmata, tropi, atq; figuræ, quibus prisci ad legenda mysteria hæc eleusma sunt usi, multos in maximos erro-

res, magnasq; confusiones perduxerunt. Nec fuit illis tamen integrum, tam mirabiles hujus artis fructus, ceu pretiosissimas quasdam perlas porcis objicere, & hominibus brutis. Quod si pulcherrima hæc scientia tot habet hoc nostro seculo osores, atq; contemptores, nihil mirandum, quòd soli id eorum ignorantiæ tribuendum sit. Nam constat, & apertum est satis, sapientissimos, atq; celeberrimos hominum omnis antiqvitatis, eandem & admiratos, & summis laudibus extulisse. Inter quos primi Hebræi, Ægyptii, & Chaldæi Cabalistæ eandem singulari commendatione dignati sunt: & ab his prima ejus origo descendit. Græci postea antiqviores hujus meminerunt quidem, sed sub velo, & tegmine fabularum suarum: cujusmodi sunt Draco, qui Hesperidum fructum aureum custodiebat. Navigatio Iasonis facta ad Colchos, quam explicant Suidas, Apollonius, & interpretes ejusdem navigationis: qui omnes statuunt, & sentiunt sub fabula conqvisitionis velleris aurei, obscurè descriptam, significatamq; esse rationem faciendi auri. Simili ratione traditur de agno seu ariete Atræi, cujus maximæ divitiæ conqvisitæ fuerunt per transmutationem metallicam, ut scribit Calisthenes Olynthius consangvineus atq;

itq; discipulus Aristotelis. Legimus apud Suidam Ægyptios ad hanc scientiam tanta cura animos appulisse,& tam benè in ea instructos fuisse, ut maximas illas opes inde consecuti sint, quorum adminiculo bella, Romanorumq; impetus hostiles profligarent. Quod duravit ad tempus usq; Diocletiani,qui infinitos eorum libros, qui de tali scientia erant conscripti combussit. Legimus insuper principem Græcum Democritum, quem tantopere admiratus est Hippocrates, quem Plato ne reprehendere quidem est ausus, à quo promanavit secta Democritea, aliàs dicta Abderitica: legimus, inquam, postquam freqventasset Ægyptios, atq; Indos, magna exinde secreta reportasse. Nam & ex iisdem scriptis patet eundem insignem fuisse philosophum Chymicum. Michaël Psellus interpres Aristotelis, præter alia magnæ eruditionis volumina, edidit quoq; opera Chymica Constantino Imperatori dicata. In eadem scientia doctissimè quoq; scripsit Heliodorus, qui libros suos dedicavit Imperatori Theodosio. Similiter Heraclius Cynesius non pauca ea de re edidit. Qui quidem omnes Philosophi pleriq; scripta sua Chymica extraxerunt ex præceptis Democriti, qui magnitudine ingenii, ætatisq; immensa con-

confirmatione, prorogationeq; (qua centesimum quoq; superavit annum) suæ ætatis Chymicorum princeps, atq; celeberrimus fuit habitus. Neq; tam obscurè tantoq; tecta velamine sua edidit, quin à doctis optimè intellectus fuerit: Quamvis Hermolaus barbarus eum temerè taxarit, obscuritatisq; accusarit. Non considerans bonus ille ab Hermeticis Philosophis hoc præcipuè fuisse observatum, secreta non esse temerè prophananda, ne ab ignaro vulgo perciperentur. Sic certè Pythagoreos novimus ἀποχῇ usos, atq; silentio, posteris deinde Pythagorico dicto, qui tacendo secum inter quærendoq; philosophabantur. Sic Heraclitici ænigmatis se mutuò interrogabant, & respondebant. At post desolationem Græciæ atq; Italiæ, Barbari, & Arabes de eorum spoliis triumpharunt, ut multi etiam libri ab iis postea sint proditi, atq; ab ipsis etiam regibus, cujusmodi sunt rex Sadid & Cadid: Ac eousq; tandem scientia hæc per universam Maurorum regionem fuit expansa, ut & principes, & reges, & primæ notæ homines, philosophos, ac Medicos excitarit, ac in sui amorem rapuerit. Hoc abundè testantur libri ab iis proditi, cùm præcitati, tùm qui ab Avicenna, à Rhasi, à Gebere aliisq; multis sunt pro-

roditi. Ab his demum floruerunt Arnollus à Villa Nova, Lullius, Albertus Magnus, Thomas de Aqvino, Scotus, Guillelmus Parisiensis, Christophorus Parisiensis, omnes magnæ existimationis homines, atq; adeò peripateticorum, & scholasticorum principes. Subsecuti sunt hos Isaacus Holandus, Riplorus, Northon, Rogerius Bacho, Agidius de Vadis, Thomas de Bononia, Bonus Ferrariensis, & nostra memoria Theophrastut Paracelsus, Helvetius, atq; Ioan. Franciscus Picus, Mirandulæ, & Concordiæ dominus, aliiq; infiniti propemodùm insignes philosophi, ac medici, quorum scripta etiamnum magna ex parte extant, quosq; hoc in loco lubens nominare volui ac debui: ut taceam eos qui adhuc hodie vivunt, quorum quidam haud exiguam faciunt spem posteritatis juvandæ, circa nobilissimam hanc scientiam. Hi, inquam, nominati & non nominati omnes, non tantùm magna cura. fœlicitateq;, pulchra admirandaq; naturæ secreta indagare sunt conati, sed ex professo quoq; ea de re libros conscribere dignati sunt: quamvis verbis interdum obscuris, ne res tam sacræ, tamq; eximiæ, & quæ vulgi captum transcendunt, profanentur. Ut deinceps nunc ii tantæ existimationis rem judicantes, aut conde-

mnan-

mnantes, ipsi potius deridendi sunt, deplorandi, atq; contemnendi, nescientes discernere verum à falso. Sed, ut ad medicinam nostram Balsamicam revertamur: (à qua paulo longius meo discursu discessisse videor, tantùm, ut me defenderem ab iniquo invidiæ calumniæq; dente, atq; ostenderem me velut discipulum, ac umbram quandam esse tot, tantorumq; virorum, qui omni ferè seculo floruerunt) tempus jam est ut aliquid dicamus, De materia, supra quam prædicti philosophi operas suas collocarunt, & ex qua operis sui subjectum, nempe universalis illius medicinæ deprompserunt. Id quod pro ingenii nostro modulo partim ex scriptis eorum, partim ex collatione cum summis ea de re sapientibus, partim deniq; ex propria experientia, atq; perscrutatione, hausimus.

## Cap. II.

*Proprietates à Philosophia materiæ suæ tributas sali præsertim convenire.*

PRo fundamento itaq; futuræ disputationis, sumam verba illa Remundi Lullii, quæ olim me legisse memini: quæq; à quo-

vis

is sagaci medico meritò diligenter sunt otanda, quamvis paulo crassiore locutiois Minerva prolata videantur. Velle præ:rvari (inquit ille) per rem putridam, & orruptibilem, & reformari per rem fœdã, : deformitati subjectam, & velle facere inorruptibile per rem corruptibilem, & inirmum curare per rem infirmam, est phan:asticum & inane. Unde Rogerius Bacho n libro suo de retardatione senectutis, ma:eriam ex qua suam præparabat medicinã, :olore, durabilitate, conservatione, & incorruptione describit. Nam illud conservat (ait) quod diu conservatur, & id corrumpit, quod citò corrumpitur. His regulis universalibus addiderunt & istud, quod omnes veri philosophi unanimiter fatentur: nempe materiam sui elixiris, aut magnæ illius medicinæ esse animalem, vegetalem, & mineralem, abjectæ naturæ vilisq; pretii, quæ ubiq; reperiatur, etiam in fimetis, & jumentorum stabulis, adeoque in ipso homine, & quæ nascitur in medio mari, quæ liquefit, atque induratur facillimè. Sanè verò, cui potius rei, totius universi has qualitates proprietatesque tribuant omnes, quàm sali primo illi motori, atque balsamo naturæ universali, non video. Hæcque est ratio cur ars illa antiqvitùs

dicta

dicta sit halchymia, quasi dicas salis fusio: & artifices qui eã tractarunt Halchymistæ; sicque vocatur, & medicina, quæ quæritur, & cui prædictæ omnes proprietates attribuuntur, nempe sal. Nam cui potiùs illæ qualitates omnes tribuantur, quàm unico, & soli sali? Quid? an non animale quid est sal, cùm eo videamus, & urinas hominum, & brutorum turgere? quando videmus eo tantopere illici, & boves, & arietes, cæteraq; id genus bruta, qui sal tantopere, & instinctu quodam naturali appetunt, tanquam balsamum, quo præservantur, conservantur, & vegetantur? appetunt, inqvã, appetunt, huicq; inhiant, & vel ex muris atq; antiqvissimis ruderibus halitu suo exhauriunt, & lingva lingũt: & columbæ, aliæq; aves rostro curioso perqvirunt, etiam in locis fœculentis, & hominũ excrementis, atq; urinis abundantibus. Et quãdo tam manifestè appareat, tot genera piscium generari atque nutriri in mari salso, mirum judicia hominum adeò perversa esse, atq; perturbata, ut non agnoscant, aut agnoscere nolint admirandos effectus balsami hujus naturæ radicalis! Et quis non mirabitur proprietates, qualitatesq; (ut ita loqvar) virtuales salis, atq; adeò ejus, qui extrahitur ex ipsis animalibus, quas præbet liqvefaciendo, deter-

ergendo, adstringendo, incidendo, penetrando, ab omni corruptione præservando atq; adeò attrahendo, purgando, & evacuando? An non sufficiant hæ facultates omnes, aliæq; plures, quarum suprà meminimus, quibus demonstretur sal esse animale? eoq; id magis, quod summi fuerint philosophi, qui Magnetem propter solam vim attractivam ferri dixerint animatum? Quot vires atq; facultates ista longè majores, immò magnificas deprehendemus in sale, si omnes diligenter & ad amussim pervestigaverimus? Quid majus, quid admirabilius sale urinæ hominis? quæ post convenientem præparationem apta redditur ad dissolvenda magna illa duo luminaria, solem, & lunam? Quæ sympathia hæc sua, atque concordantia satis produnt, & in apertum dant attractionem, & virtutem magneticam, causatam ab eorum conjugio, & copulatione. Quis non suspiciat admiranda, quæ observantur, atq; eveniunt in ejus præparatione, & exaltatione, sive respicias tot colorum varietates, sive coagulationes, atque dissolutiones, quando spiritus redit in corpus, & corpus rursus transit in spiritum? Non vanè Christophorus Pharisiensis, magnus ille philosophus hinc operis sui subjectum, atq; fundamentnm exorsus est. Ut

C satis

ſatis jam ſatis, opinor, nunc conſtet prædi-ctum noſtrum ſal dici poſſe animatum. Sed ut pateat æquè eſſe vegetale, atque animale, nimirum non exutum eſſe, ſeu privatum facultate vegetativa, vel inde dijudicari poteſt, quod primum ſit in natura movens, quod creſcere facit, multiplicare, adeoq; omnium rerum generationi inſervit, ut non ſine cauſa cum Poëtis, atq; priſcis philoſophis dicatur, Venerem matrem, & principiſſam omnis generationis, ex ſpuma maris ſalſa eſſe progenitam: id quod etiam confirmat Athenæus. In hunc finem à Græcis ἁλιγενὴς, ſignificatiſsimo vocabulo fuit appellata. Et magis etiam confirmat hanc ſententiam generatio pretioſiſsimarum perlarum in conchis, & corallii ex intimis ſaxis emergentis, & in brachia, & ramos inſtar arboris divaricati. Hi effectus ſunt, quos ignis ille naturæ, nempe ſal, producit, etiam in medio frigidiſsimæ aquæ. Sed videamus quoque quid operetur in terra. Nempe calefacit, impingvat, immò animat, fortificat, & roborat, auget, & virtutem vegetantem in ſingula ſemina diſpenſat. Nam quid aliud eſt terræ impingvatio, quæ efficit, ut granum unicum producat centum, quàm ſtercoratio quædam, & expanſio fimi, atque urinarum, à beſtiis prodeuntium?

Quid

Quid aliud primo vere,poſtquam Sol exaltatus eſt ad ſignum Arietis, (quod ſignum eſt caſus Saturni, & domus Martis ſigni prorſus ignei) terram vegetat, & aperit, quàm elevationes, ſublimationeſque ſpirituum prædicti ſalis,& balſami naturæ ? Hic eſt, qui vivificat, qui calorem impertit,qui creſcere, qui prata & campos ridere facit, deniq; qui ampliſsimũ, univerſaliſsimumque illum vigorem producit. Sed quis non hoc in ipſo etiam aëre videt, per ſublimationes ſpirituum ejuſdem ſalis naturæ, qui eodem anni tempore in aërem ſublevati roris in ſpeciem decidunt ſupra frumenta,atque ſtirpes omnes ? Quid,inquam,per hæc ipſa non eoſdem vegetationis effectus, quæ fit à ſale,manifeſtè percipit ? At rorem non eſſe ſpiritum prædicti ſalis,immò ſalſum vel inviti, nec ſine pudore fateantur, qui ſe egregios philoſophos cenſent, quando videant à veris philoſophis ex rore elici diſſolvens corallos,atq; perlas:haud ſecus, quàm ex ſale cõmuni, ex ſale petræ,nitro,aut aliis ſalibus idem paratur in eundẽ finẽ.Sed hæc plus ſatis ſunt nota. Idem præterea ſal meritò quoq; vegetale dicere poſſumus ex eo, quòd manifeſtè reperiatur in omnibus vegetabilibus: & quòd ea in quibus dominatur maximè, longioris ſint vitæ, atq; dura-

tionis, temporum injuriis magis resistant, & effectus vegetabiles, vel in propria sua natura, vel in eorum usu manifestius ostendant.

Iam verò sal quoq; esse metallicum, seu minerale, notum illud est satis. Atque eò quidē notius illud est cunctis, quòd tam varia, atq; diversa genera salium reperiantur in visceribus terræ, cujusmodi sunt sal gemmæ, alumen, vitriolum, sal nitrum, & cætera id genus, quæ omnia sunt naturæ metallicæ, aut certè de ea plurimum participant. Philosophus verò hoc altiùs indagare potest ex diversis aquis fortibus, quas parare novit: quæ nihil aliud sunt, quàm spiritus prædictorum salium, qui vim habent dissolvendi, & in aquas reducendi corpora metallica, ut cuivis ferè notum est. Per hanc, inquam, dissolutionem perspicere possumus concordantiam atq; συμπάθειαν istorum salium cum natura metallica. Nam quia similia sunt optimè miscentur, se mutuò pervadūt, conjunguntur, atq; uniuntur, simili dissolvente, sibiq; associante simili: quippe aquæ fortes nunquam agent in ligna aliámve materiam, quæ non sit de natura metalli. Ut verissimè dictum sit à magno quodam philosopho: Natura amat simile, & in sua natura gaudet. & ab alio: In haben-

habentibus symbolum, facilis est transitus. Sulphur, & alia, quæ de natura sunt oleaginosa, citius, & melius dissolvuntur oleis, ut therebinthinæ, aut lini quod svavissimum est, quàm magna illa vi, & violentissima acrimonia aqvarum fortium: quæ nihil aliud sunt, quàm spiritus salium, & per consequens non multum conveniunt cum sulphure, quod est principium ipsis contrarium. Amplissimus hîc esset disputandi campus, si res & occasio illud postularet: sed hoc reservamus in alium locum, & tempus. Nunc verò redeamus ad sal nostrum: quod si ab igni vehementiori fundi, atq; dissolvi, haud secus, ac aurum, atq; argentum, & rursus refrigeratum coagulari in massam, sicut metalla, demonstravero, sine dubio pulchrè patebit, sal esse de natura metallica. Atqui fit hoc, inquam: nec tantùm in sale, quod in mineris, atque terræ cavitatibus reperitur, sed in ipso etiam sale maris. Quod cum notius sit vel mediocriter in anatomia metallica versatis, quàm ut à me pluribus demonstrari conveniat, ne verbum quidem ampliùs addam. Quamvis ex hac demonstratione ὅτι plus satis evidens fiat axioma illud Aristotelis esse falsum, quo dicit: Quæ à calore coagulantur, frigus dissolvit: & è contra. Id quod tamen ei ex u-

atq; effectus sint in re tam vili, tamq; trita, procul dubio immenso mirandorum cumulo obruemur.

Fit & componitur nitrum ex terra matre ejus, quæ id producit: vel ex cœmeteriis, materiis stabulorum fimetis, aut ejus generis terris, & liqvoribus pingvibus, animaliúmve urinis inebriatis potiùs quàm è terra macilenta, exucca, vel pluviis aliáve simili causa humore illo radicali exuta. Ex terra columbariorum, columbarumq; fimo omnium copiosissimè extrahitur: & tale nitrum evadit optimum, cæterisq; omnibus præstat, quod notatu est dignissimum. Quod dictum sit, ut appareat nitrum participare cum excrementis, atque urinis animalium. Urinæ siquidem nihil sunt aliud, quàm separatio superflua salis vegetabilium, à quibus animalia nutriuntur, & vivunt. Ex quo patet, quomodo prædictum sal in genere participet de natura animali, & vegetabili. Nam quod ad mineralem pertinet, de ea à nobis dici non maximopere attinet, nisi addere velimus illud, quod sit extractum ex terra: quæ ratio est cur sal petræ vocitetur, cum magis propriè diceretur sal terræ. Sed pergamus.

Natura subministrat arti materiam, ex qua componitur sal petræ, quam ars per se
face-

facere nequit, non magis certè quàm natura ſal petræ purum,ſeparatumq; ab omni terreſtritate(ut ſic loqvar) atque heterogenea ſubſtantia reddere poteſt: nam ut eoſdem producat effectus, quos producit illud, quod artificium induſtria paratum eſt. Hi ſiquidem terram eligunt convenientem, & ex locis oportunis ſibi cognitis, & aqua communi calida iteratis vicibus filtrata, ſeu tranſcolata, per illam terram, ut fiunt lixivia: fit ut cum ea miſceatur ſalſugo,quod ſalium omnium eſt proprium: De quo lixivio, ſi duæ tertiæ aut circiter, ad ignem exhalentur & reliqvum refrigeſcat, ſal condenſatur in glaciem, ex qua artifex nitrarius opus ſuum perficit, purificatione facta,iteratis diſſolutionibus, & coagulationibus, ut pingvedinem (quam vocant) exuat omnem. Hoc opus commune admodum, & vel vulgo notum, vereq; mechanicum, ſi probè conſideretur, ac perpendatur, admirationis eſt plenum, uti jam dictum. Nam ipſa ea præparatione tria principia eliciuntur ex terra, quæ à ſe invicem poſſunt ſeparari, & nihilominus omnia tria conſiſtunt in una eademq; eſſentia: ſuntq; tantùm proprietatibus,ac viribus diſtincta, in quo manifeſtatur, & ad quod aliquo modo referri poteſt incomprehenſibile illud

mnantes, ipsi potius deridendi sunt, deplorandi, atq; contemnendi, nescientes discernere verum à falso. Sed, ut ad medicinam nostram Balsamicam revertamur: (à qua paulo longius meo discursu discessisse videor, tantùm, ut me defenderem ab iniquo invidiæ calumniæq; dente, atq; ostenderem me velut discipulum, ac umbram quandam esse tot, tantorumq; virorum, qui omni ferè seculo floruerunt) tempus jam est ut aliquid dicamus, De materia, supra quam prædicti philosophi operas suas collocarunt, & ex qua operis sui subjectum, nempe universalis illius medicinæ deprompserunt. Id quod pro ingenii nostro modulo partim ex scriptis eorum, partim ex collatione cum summis ea de re sapientibus, partim deniq; ex propria experientia, atq; perscrutatione, hausimus.

## CAP. II.

*Proprietates à Philosophia materiæ suæ tributas sali præsertim convenire.*

PRo fundamento itaq; futuræ disputationis, sumam verba illa Remundi Lullii, quæ olim me legisse memini: quæq; à quovis

vis ſagaci medico meritò diligenter ſunt notanda, quamvis paulo craſsiore locutionis Minerva prolata videantur. Velle præſervari (inquit ille) per rem putridam, & corruptibilem, & reformari per rem fœdã, & deformitati ſubjectam, & velle facere incorruptibile per rem corruptibilem, & infirmum curare per rem infirmam, eſt phantaſticum & inane. Unde Rogerius Bacho in libro ſuo de retardatione ſenectutis, materiam ex qua ſuam præparabat medicinã, colore, durabilitate, conſervatione, & incorruptione deſcribit. Nam illud conſervat (ait) quod diu conſervatur, & id corrumpit, quod citò corrumpitur. His regulis univerſalibus addiderunt & iſtud, quod omnes veri philoſophi unanimiter fatentur: nempe materiam ſui elixiris, aut magnæ illius medicinæ eſſe animalem, vegetalem, & mineralem, abjectæ naturæ viliſq; pretii, quæ ubiq; reperiatur, etiam in fimetis, & jumentorum ſtabulis, adeoque in ipſo homine, & quæ naſcitur in medio mari, quæ liquefit, atque induratur facillimè. Sanè verò, cui potius rei, totius univerſi has qualitates proprietateſque tribuant omnes, quàm ſali primo illi motori, atque balſamo naturæ univerſali, non video. Hæcque eſt ratio cur ars illa antiqvitùs

dicta

dicta sit halchymia, quasi dicas salis fusio: & artifices qui eã tractarunt Halchymistæ; sicque vocatur, & medicina, quæ quæritur, & cui prædictæ omnes proprietates attribuuntur, nempe sal. Nam cui potiùs illæ qualitates omnes tribuantur, quàm unico, & soli sali? Quid? an non animale quid est sal, cùm eo videamus, & urinas hominum, & brutorum turgere? quando videmus eo tantopere illici, & boves, & arietes, cæteraq; id genus bruta, qui sal tantopere, & instinctu quodam naturali appetunt, tanquam balsamum, quo præservantur, conservantur, & vegetantur? appetunt, inqvã, appetunt, huicq; inhiant, & vel ex muris atq; antiqvissimis ruderibus halitu suo exhauriunt, & lingva lingũt: & columbæ, aliæq; aves rostro curioso perqvirunt, etiam in locis fœculentis, & hominũ excrementis, atq; urinis abundantibus. Et quãdo tam manifestè appareat, tot genera piscium generari atque nutriri in mari salso, mirum judicia hominum adeò perversa esse, atq; perturbata, ut non agnoscant, aut agnoscere nolint admirandos effectus balsami hujus naturæ radicalis! Et quis non mirabitur proprietates, qualitatesq; (ut ita loqvar) virtuales salis, atq; adeò ejus, qui extrahitur ex ipsis animalibus, quas præbet liqvefaciendo, deter-

tergendo, adstringendo, incidendo, penetrando, ab omni corruptione præservando atq; adeò attrahendo, purgando, & evacuando? An non sufficiant hæ facultates omnes, aliæq; plures, quarum supra meminimus, quibus demonstretur sal esse animale? eoq; id magis, quod summi fuerint philosophi, qui Magnetem propter solam vim attractivam ferri dixerint animatum; Quot vires atq; facultates ista longè majores, immò magnificas deprehendemus in sale, si omnes diligenter & ad amussim pervestigaverimus? Quid majus, quid admirabilius sale urinæ hominis? quæ post convenientem præparationem apta redditur ad dissolvenda magna illa duo luminaria, solem, & lunam? Quæ sympathia hæc sua, atque concordantia satis produnt, & in apertum dant attractionem, & virtutem magneticam, causatam ab eorum conjugio, & copulatione. Quis non suspiciat admiranda, quæ observantur, atq; eveniunt in ejus præparatione, & exaltatione, sive respicias tot colorum varietates, sive coagulationes, atque dissolutiones, quando spiritus redit in corpus, & corpus rursus transit in spiritum? Non vanè Christophorus Pharisiensis, magnus ille philosophus hinc operis sui subjectum, atq; fundamentnm exorsus est. Ut

ſatis jam ſatis, opinor, nunc conſtet prædictum noſtrum ſal dici poſſe animatum. Sed ut pateat æquè eſſe vegetale, atque animale, nimirum non exutum eſſe, ſeu privatum facultate vegetativa, vel inde dijudicari poteſt, quod primum ſit in natura movens, quod creſcere facit, multiplicare, adeoq; omnium rerum generationi inſervit, ut non ſine cauſa cum Poëtis, atq; priſcis philoſophis dicatur, Venerem matrem, & principiſſam omnis generationis, ex ſpuma maris ſalſa eſſe progenitam: id quod etiam confirmat Athenæus. In hunc finem à Græcis ἁλιγενὴς, ſignificatiſsimo vocabulo fuit appellata. Et magis etiam confirmat hanc ſententiam generatio pretioſiſsimarum perlarum in conchis, & corallii ex intimis ſaxis emergentis, & in brachia, & ramos inſtar arboris divaricati. Hi effectus ſunt, quos ignis ille naturæ, nempe ſal, producit, etiam in medio frigidiſsimæ aquæ. Sed videamus quoque quid operetur in terra. Nempe calefacit, impingvat, immò animat, fortificat, & roborat, auget, & virtutem vegetantem in ſingula ſemina diſpenſat. Nam quid aliud eſt terræ impingvatio, quæ efficit, ut granum unicum producat centum, quàm ſtercoratio quædam, & expanſio fimi, atque urinarum, à beſtiis prodeuntium? Quid

Quid aliud primo vere, poſtquam Sol exaltatus eſt ad ſignum Arietis, (quod ſignum eſt caſus Saturni, & domus Martis ſigni prorſus ignei) terram vegetat, & aperit, quàm elevationes, ſublimationeſque ſpirituum prædicti ſalis, & balſami naturæ? Hic eſt, qui vivificat, qui calorem impertit, qui creſcere, qui prata & campos ridere facit, deniq; qui ampliſsimũ, univerſaliſsimumque illum vigorem producit. Sed quis non hoc in ipſo etiam aëre videt, per ſublimationes ſpirituum ejuſdem ſalis naturæ, qui eodem anni tempore in aërem ſublevati roris in ſpeciem decidunt ſupra frumenta, atque ſtirpes omnes? Quid, inquam, per hæc ipſa non eoſdem vegetationis effectus, quæ fit à ſale, manifeſtè percipit? At rorem non eſſe ſpiritum prædicti ſalis, immò ſalſum vel inviti, nec ſine pudore fateantur, qui ſe egregios philoſophos cenſent, quando videant à veris philoſophis ex rore elici diſſolvens corallos, atq; perlas: haud ſecus, quàm ex ſale cõmuni, ex ſale petræ, nitro, aut aliis ſalibus idem paratur in eundẽ finẽ. Sed hæc plus ſatis ſunt nota. Idem præterea ſal meritò quoq; vegetale dicere poſſumus ex eo, quòd manifeſtè reperiatur in omnibus vegetabilibus: & quòd ea in quibus dominatur maximè, longioris ſint vitæ, atq; dura-

tionis, temporum injuriis magis resistant, & effectus vegetabiles, vel in propria sua natura, vel in eorum usu manifestius ostendant.

Iam verò sal quoq; esse metallicum, seu minerale, notum illud est satis. Atque eò quidē notius illud est cunctis, quòd tam varia, atq; diversa genera salium reperiantur in visceribus terræ, cujusmodi sunt sal gemmæ, alumen, vitriolum, sal nitrum, & cætera id genus, quæ omnia sunt naturæ metallicæ, aut certè de ea plurimum participant. Philosophus verò hoc altiùs indagare potest ex diversis aquis fortibus, quas parare novit: quæ nihil aliud sunt, quàm spiritus prædictorum salium, qui vim habent dissolvendi, & in aquas reducendi corpora metallica, ut cuivis ferè notum est. Per hanc, inquam, dissolutionem perspicere possumus concordantiam atq; συμπάθειαν istorum salium cum natura metallica. Nam quia similia sunt optimè miscentur, se mutuò pervadūt, conjunguntur, atq; uniuntur, simili dissolvente, sibiq; associante simili: quippe aquæ fortes nunquam agent in ligna aliámve materiam, quæ non sit de natura metalli. Ut verissimè dictum sit à magno quodam philosopho: Natura amat simile, & in sua natura gaudet. & ab alio: In haben-

ibentibus symbolum, facilis est transitus. ılphur, & alia, quæ de natura sunt oleagi- ɔsa, citius, & melius dissolvuntur oleis, ut ıerebinthinæ, aut lini quod svavissimum :t, quàm magna illa vi, & violentissima a- :rimonia aqvarum fortium: quæ nihil ali- d sunt, quàm spiritus salium, & per conse- uens non multum conveniunt cum sul- hure, quòd est principium ipsis contrari- ım. Amplissimus hîc esset disputandi cam- ɔus, si res & occasio illud postularet: sed ɩoc reservamus in alium locum, & tempus. Nunc verò redeamus ad sal nostrum: quod ì ab igni vehementiori fundi, atq; dissolvi, naud secus, ac aurum, atq; argentum, & rursus refrigeratum coagulari in massam, sicut metalla, demonstravero, sine dubio pulchrè patebit, sal esse de natura metallica. Atqui fit hoc, inquam: nec tantùm in sale, quod in mineris, atque terræ cavitatibus reperitur, sed in ipso etiam sale maris. Quod cum notius sit vel mediocriter in anatomia metallica versatis, quàm ut à me pluribus demonstrari conveniat, ne verbum quidem ampliùs addam. Quamvis ex hac demonstratione ὅτι plus satis evidens fiat axioma illud Aristotelis esse falsum, quo dicit: Quæ à calore coagulantur, frigus dissolvit: & è contra. Id quod tamen ei ex u-

na parte concedimus: probè gnari ſal, quod à calore Solis coagulatur, in aqua frigida diſſolvi. At fateatur oportet, & ille quod verum eſt, ſal à vehementia caloris ignis diſſolvi, fundi, ac fluxile reddi, ut in maſſam fuſilem projici poſsit, haud ſecus atque metalla. His accedit, quod ſalia ex omnibus metallis calcinatis elici poſsint, quæq; eodem prorſus modo diſſolvuntur, filtrantur, atque coagulantur, ac alia ſalia, ſive vulgaria, & non fuſa, ſive vi caloris jam fuſa, ut ſuprà docuimus, quinimo ex ℔. j. plumbi calcinati decem atque duodecim uncias ſalis elici poſſe, id vel ſemeſtri chymico notum eſt. Quæ omnia ſufficienter demonſtrant, atque convincunt ſalis naturam eſſe metallicam, atque adeò metallum nihil eſſe aliud, quàm ſal quoddam fuſile.

Ex dictis itaque facilè patere arbitror, quomodo ſal ſit animale, vegetale, & minerale, ac proinde convenire cum eo, quod omnes Philoſophi unanimi conſenſu ſtatuunt, de materia, atque ſubjecto medicinæ univerſalis. Ad quod faciunt cætera ſigna, quibus, quamvis obſcuriſsimè prædictam materiam ſuam deſcribunt. Quæ omnia planè conveniunt naturæ ſalis: cujuſmodi ſunt, eſſe vilis æſtimationis: reperiri in omnibus, adeoq; in nobiſmetipſis, quod ab-

undè

undè manifestè patet: cùm nihil ſit in hoc univerſo mundo compoſitum, ex quo, ac omni quidem tempore ſal extrahi non poſſit.

## Cap. III.

*In ſale è terra elicito tria rerum omnium principia contineri.*

SEd ut ea, quæ in genere diximus, deinde etiam particularius demonſtremus, nempe ſal participare de natura animali, vegetali, & minerali, utemur exẽplo vulgari, & prorſus communi, quod tamen exactè atq; diligenter perveſtigatum, atq; conſideratum à vero philoſopho, inſigne eſt myſterium. Quod etſi erutum ex terra, poſsit tamen elevare oculos noſtros in cœlum. De nitro, inquam, ſeu ſale petræ quod vocant, hic mihi futurus eſt ſermo. Mitto nunc deteſtandum atq; perniciofiſsimum uſum ejus inventum ad interitum hominum: quamvis, ut ingenuè fatear, ſummam admirationem mereatur, quòd tantos, & tam incredibiles producat effectus, dum nobis in inferioribus his, haud ſecus, ac in ſublimi æthere repræſentat fulgura, fulmina, atque tonitrua. Sed ſi conſideremus quid ſit, & quale in ſua natura, & compoſitione, quàm diverſæ facultates, qualitates,

atq; effectus sint in re tam vili, tamq; trita, procul dubio immenso mirandorum cumulo obruemur.

Fit & componitur nitrum ex terra matre ejus, quæ id producit: vel ex cœmeteriis, materiis stabulorum fimetis, aut ejus generis terris, & liqvoribus pingvibus, animaliúmve urinis inebriatis potiùs quàm è terra macilenta, exucca, vel pluviis aliáve simili causa humore illo radicali exuta. Ex terra columbariorum, columbarumq; fimo omnium copiosissimè extrahitur: & tale nitrum evadit optimum, cæterisq; omnibus præstat, quod notatu est dignissimum. Quod dictum sit, ut appareat nitrum participare cum excrementis, atque urinis animalium. Urinæ siquidem nihil sunt aliud, quàm separatio superflua salis vegetabilium, à quibus animalia nutriuntur, & vivunt. Ex quo patet, quomodo prædictum sal in genere participet de natura animali, & vegetabili. Nam quod ad mineralem pertinet, de ea à nobis dici non maximopere attinet, nisi addere velimus illud, quod sit extractum ex terra: quæ ratio est cur sal petræ vocitetur, cum magis propriè diceretur sal terræ. Sed pergamus.

Natura subministrat arti materiam, ex qua componitur sal petræ, quam ars per se face-


ere nequit, non magis certè quàm na-
:a ſal petræ purum,ſeparatumq; ab omni
:reſtritate(ut ſic loqvar) atque heteroge-
a ſubſtantia reddere poteſt: nam ut eoſ-
m producat effectus, quos producit il-
d, quod artificium induſtria paratum eſt.
i ſiquidem terram eligunt convenien-
m, & ex locis oportunis ſibi cognitis, &
qua communi calida iteratis vicibus filtra-
ı, ſeu tranſcolata, per illam terram, ut
unt lixivia: fit ut cum ea miſceatur ſalſu-
o,quod ſalium omnium eſt proprium: De
uo lixivio, ſi duæ tertiæ aut circiter, ad i-
nem exhalentur & reliqvum refrigeſcat,
al condenſatur in glaciem, ex qua artifex
itrarius opus ſuum perficit, purificatione
acta,iteratis diſſolutionibus, & coagulatio-
ibus, ut pingvedinem (quam vocant) ex-
uat omnem. Hoc opus commune admo-
dum, & vel vulgo notum, vereq; mechani-
cum, ſi probè conſideretur, ac perpenda-
tur, admirationis eſt plenum, uti jam di-
ctum. Nam ipſa ea præparatione tria prin-
cipia eliciuntur ex terra, quæ à ſe invicem
poſſunt ſeparari, & nihilominus omnia tria
conſiſtunt in una eademq; eſſentia: ſuntq;
tantùm proprietatibus,ac viribus diſtincta,
in quo manifeſtatur, & ad quod aliquo mo-
do referri poteſt incomprehenſibile illud

mysterium de tribus personis in una, eademq; hypostasi, quæ divinam constituunt Trinitatem. Voluitque summus ille creator manifestari unitrinus, seu triunus, non tantùm in eo, quod reperitur in natura terræ, sed in omnibus etiam totius creationis operibus. Siquidem comparatio hæc nostra salis terræ generalis est, & ubique reperitur atque in rebus omnibus. Ut non malè fortè hanc comparationem accommodare possimus ad ineffabile illud magnumq; mysterium Trinitatis: haud sanè minùs, quàm veteres, qui, ut captui se nostro accommodarent, fontem cum rivulis, aquam cum vapore, qui ab ea sublevatur: arborem cum ramis: semina cum plantis contulerunt, tantùm ut ostenderent generationē Filii, qua ratione procedat à Patre. Qui per communicationem totius divinæ essentiæ, absque omni disjunctione, divisioneq; progenuit Filium suum generationis modo inenarrabili. Unde occasio oborta prædictis patribus sanctis, ut ejusmodi comparationibus uterentur, quibus aliquo modo nobis manifestarent id, quod sua natura est incomprehensibile. Sic quoque in prædicta nostra comparatione salis videre licet tres distinctas naturas, quæ tamen sunt, atque subsistunt in una eademque essentia.

Nam

m prima natura est sal commune fixum, :onstans: & altera sal volatile, quod so- n & unicum quærit nitrarius. Quod vo- ile sal, duo genera salis volatilis continet:, erum sulphureum, facillimè concipiens mmam, quod nitrum vocant: alterum ercuriale, aqueum, acidum de natura sa- armoniaci participans. Quapropter in mmunissima illa terræ essentia sub una idemq; natura hæc tria distincta salia re- eriuntur, de quibus omnia quotquot sunt egetabilia atque animalia participant. At- ue in his tribus tanquam fundamentis ollocabimus tria nostra principia hypo- :atica, in opere illo nostro, de recondita erum natura, artisq; mysteriis, quod prius n publicum dare constitueramus, quam ioraria hæcce præludia: in quibus tamen etiam obiter aliquid dicendum esse judica- vimus, quod ab iis fundamenta, ac utriusq; medicinæ principia dependeant. Quare ut magis, atque diligentiùs ab unoquoque præsertim sapiente, quàm hactenus factum, tam immensa doctrina consideretur, osten- dam, & quasi ob oculos ponam tres illas di- stinctas salis naturas, unica, ut jam dictum, ὑποστάσει comprehensas. Nam Nitrarius, ut sal suum petræ efficacius, volatile, & ad con- cipiendam flammam reddat aptius, detra-

hit



hit ei pingvedinem,(sic loqvuntur) hoc est tollit, & separat ejus sal, quod idem prorsus est, ac sal marinum, vel commune quod dissolvitur in aqua communi: è contra sal petræ (quod vocant) conglaciatur in frustula talia, qualia conspiciuntur: atque ita fit separatio visibilis duorum salium. Quippe aqua (in qua diximus sal commune diffusum dissolutumque contineri) evaporata, in fundo subsidebit salis portio, ad nostrum sal accedentis, vel ejusdem potius speciei, atq; naturæ cum marino, vel communi. Nam easdem possidet qualitates salsuginosas, fixum est, nec ab igne dissipatur, neque flammam concipit, ac proinde prorsus distinctum est ab eo quod coagulatur in eadẽ aqua, quod sal petræ dicitur. Quæ res sanè meretur, ut diligentissimè consideretur non à mechanicis, & rerum ignaris hominibus, sed à philosophis, si modò tales & esse, & haberi velint. Quibus manifestum fiet sal, quod natura, & qualitate sua, secundùm communem philosophorum opinionem est calidum, & siccum, immò sal sulphureum, atque igneum, flammamq; concipiens, quale est sal petræ, in aqua coagulari, in qua reliqua salia dissolvuntur, haud secus ac sal ipsum, quod ab ejusdemmet salis petræ essentia processit, in aqua dissolvi dixi-

imus. Non igitur abſq; cauſa ingenti
ıſideranda venit admiranda ſalis petræ
ura, quæ duas partes volatiles in ſe com-
ctitur : ſulphuream alteram, alteram
rcurialem. Pars ſulphurea eſt ejus ani-
: mercurialis, eſt illius ſpiritus. Sul-
urea accedit ad primum illud movens
turæ, quod nihil eſt aliud, quàm ignis æ-
ereus, qui non calidus eſt, aut ſiccus, non
nſumens ſicut ignis elementaris: ſed i-
is quidam cœleſtis, humor aëreus, cali-
ıs & humidus, & talis quidem, qualem ſe-
cernere licet in aqua vitæ, ignis, inquam,
ntemperatus, vivificus, quem in vegeta-
libus appellamus animam vegetantem, in
ıimalibus humidum, & calidum radicale,
nphytum, ſymphytumque calorem, ve-
ım nectar vitæ, qui ſi deficiat in aliquo
ıbjecto ſive animali, ſive vegetabili, illicò
ıors conſeqvitur. Quod quidem non a-
a de cauſa evenit, quàm ex ſolo defectu
ivifici hujus caloris, qui modò vitã reſtau-
abat, & conſervabat. Idem calor vivificus
eperitur etiam, licet obſcurius, in minera-
bus: quod faciliùs comprehendi poteſt ex
ympathia, & concordantia, quam ſal il-
ud petræ habet cum metallis, ut videre eſt
n diſſolutionibus, de quibus quædam atti-
imus ſuprà.

Præter

Præter partem illam ſulphuream, reperitur etiam in ſale petræ ſpiritus quidam mercurialis, qui quidem eſt de natura aërea, & qui tamen flammam concipere haud poſsit, ſed huic potius contrarius. Hic ſpiritus qualitate ſua non eſt calidus, ſed potius frigidus, ut teſtatur ejus aciditas: quæ aciditas, atque frigiditas mira prorſus exiſtit, & longè diverſa ab elementari: quippe quæ diſſolvere poſsit corpora, & coagulare ſpiritus, haud ſecus ac coagulat ipſum ſal petræ: quæ aciditas generalis eſt cauſa fermentationis, atque coagulationis rerum omnium naturalium. Hic ipſe ſpiritus acidus reperitur quoque in ſulphure, ejuſdem qualitatis nec urens, nec flammam concipiens, & qui ſulphur quod alioqui fluidum eſſet ut oleum coagulat, atque firmum reddit. Hoc ſpiritu inter omnia ſalium genera maximè abundat vitriolũ, quippe quod de natura ſit Veneris: quem acidum ſpiritum (mercurius mobilis, ac ſemper tamen tendens ad ſuam perfectionem, hoc eſt, coagulationem atque fixationem) probè novit eligere, ſibiq; attrahere, ut figatur, atq; coaguletur: quando cum ipſomet vitriolo permiſcetur & ſublimatur. Haud ſecus ſanè, atque apes, mel ſugunt ex floribus, ut inquit Ripleus. Denique hic ſpiritus acidus

dus atq; frigidus, causa est, cur sal petræ igni injectum, sulphureq; ejus accenso, crepitum edat: ut sal petræ de eorum numero sit, quæ Aristoteles contrario motu alicubi moveri scripsit: quæ ejus verba diligenter sunt perpendenda.

Sed quam denique aperio portam horti Hesperidum tam apertè loqvens de sale petræ? quē liberum aditum præbeo stupidis, atq; ignaris, quem solis sapientibus, ceu musarum cultoribus apertum esse decet? Ne idcirco decipiamini quæcunq; estis curiosorum ineptiorum ingenia, sumendo verba mea ad literam, ut ajunt. Sal petræ philosophorum, aut sal fusile, quod ab omni ævo Halchymiæ dedit nomen, non est sal petræ seu nitrum illud vulgare: nihilominus tamē hujus compositio, admirandaque natura, est ceu exemplar quoddam, & regula Lesbia operis nostri. Quamvis ea de re clariùs, & manifestiùs locutus sim vobis, quàm ullus eorum, qui me præcesserunt, non quod improbem iccirco illorum rationem scribendi, sed ut probem, atq; defendam. Ac magis certè illis fuit integrum ita scribendi, quàm priscis illis philosophis Pythagoreis, & Heraclæis: (quod tamen de rebus non tanti momenti,

tan-

tantiſque myſteriis,ac vera chymia tractaſſe conſtat) quando illi ſilentio, numeris, & ſymbolis ſua tranſegerunt. Hi verò, ut ſcribit Plato,interrogationibus,& reſpõſionibus Ænigmaticis. Eccur non eodem jure licitum ſit Lullio tractanti ſuam philoſophiam per literas? cum idem conſvetum fuerit omnibus ejus anteceſſoribus, ut tropis, allegoriis, atque ænigmatibus tanta myſteria, atque ſecreta proponerent, ne à vulgo prorſus intelligerentur? raperentur interim in admirationem rerum tam ſublimium,atque adeò divinarum? Ut ceſſent tandem Momi, atque obſtupeſcant craſsiores iſti, atque inſulſi beani maledicendo, maleſecta ne noſcant ſua: Ii ipſi, inquam, Theones, qui nomina illa, quibus in libro noſtro de Spagirica medicamentorum præparatione ſumus uſi, nec guſtare, nec contererepotuerunt. Cujuſmodi ſunt Aqua ſtygia: Maria acida,turbith minerale: menſtruum fœtidum, menſtruum cœleſte, calx fixa,atq; perlucida: ſalia reſuſcitantia: ſal,corneoli criſtallini, Kibric, terra fœtida, terra mortua, lapis Sedenegi: lapis perlatus, Salamandra, lacertus viridis, leo rubens, aquila volans, aquila expanſa, acolum montanum, ſangvis Meduſæ, aliaq; id genus nomina apprimè ſignificativa: Quæ

ab

ab iis tantummodo intelligi novimus, qui melleum illum dulcorem librorum tam pulchræ, tamq; abſconditæ philoſophiæ deguſtarunt.

At enimvero, ne reſtet ipſis calumniandi locus, atque occaſio, arrigant, & advertant nunc aures, attollant oculos, & mentem, ut videant, comprehendantq; clariùs tot, tantaq; admiranda, atque ſummæ utilitatis ſecreta, quæ huic noſtro operi inſerere eſt animus. Quibus nunc aliquantum ſatiati deinceps æquo animo expectent donec plura, & his etiam longè majora, abſtruſioraq; verbis ſignificantiſsimis, atq; à quovis vero philoſopho intelligibilibus, exhibeam, in reſtituta mea præparatione Spagirica, quam brevi quoque, ſi Deus vitam, & vires conceſserit, uſuræ publicæ committam. Interim diſcant, immò admirentur, ut ſapiant, niſi nolint, quod modò docebo pulchra, & mirabilia, de ſola compoſitione ſalis noſtræ petræ.

## Cap. IV.

*Salis naturæ vires & proprietates exemplis illuſtrantur.*

Vidiſtis ex primo illo Chao reſiduo, (hoc eſt, ex terra illa vili; ſeu ex materia

confusa, atque informi) extractionem, separationemq; formæ pulchræ, nitidæ, claræ, atq; transparentis: nempe salis illius, quod aptum est ad recipiendas plures formas alias, quodq; diversis, & mirabilibus proprietatibus donatum est. Vidistis etiam ex una eademq; essentia tres res distinctas, atque separatas, immò tria principia naturæ eruta, ex quibus omnia corpora sunt composita, quæque anatomicus Chymicus eruere atque secernere potest ex omni corpore naturali: ex minerali, inquam, vegetabili & animali: nempe sal, sulphur, atq; mercurium. Principia sanè purissima, simplicissima vereque elementaria naturæ, omnia sub una essentia salis comprehensa: sal, sulphur, & mercurius, quæ philosophi conferre solent cum corpore, spiritu, & anima: nam corpus attribuitur sali, spiritus mercurio, anima sulphuri, singulis suo attributo, & hoc illis aptè atq; convenienter respondentibus. Estque spiritus velut mediator, & conservator animæ cum corpore, quod illius beneficio cum anima jungitur, & copulatur. Anima verò vivificat spiritum & corpus. Vidistis etiam in dicto sale naturam Hermaphroditicam: marem & fœminam: fixum & volatile: agens & patiens: & quod magis est, calidum & frigi-

dum:

dum: ignem & glaciem, mutua amicitia, atq; ſympathia in unum conjuncta, atq; in eandem ſubſtantiam unita. In quo ſanè ejus naturam mirabilem cernere licet.

Nec minùs ejus proprietates ſunt admirandæ. Immò vel multò etiam magis. Sal enim petræ præcipuè eſt clavis, atq; primarius janitor, qui aperit corpora etiam duriſsima ſolidiſsimaq;, tam lapides quàm metalla: ipſumq; adeò Solem, atque lunam redigit in liqvorem cum aqua propria extracta ex tota maſſa abſq; ſeparatione maris aut fixi. Et quemadmodum ſpiritualia reddit, atq; volatilia omnia corpora metallica: ita & ècontrà virtutem habet fixandi, & incorporandi ſpiritus, etiam ſummè volatiles. Iam quis non miretur, vel potius obſtupeſcat, cui conſtat ſal petræ tanta promptitudine concipere flammam, per quam in aërem ac fumum exhalet: interim videat liquidum atq; fuſum manere in crucibulo igneo, conſtituto in centro flagrantiſsimorum carbonum? in quo tamen licèt ardentiſsimo, nec flammam concipiat, niſi flammæ, aut ignis admotio fiat ad tactum? & quod magis, cùm naturæ adeo ſit volatilis, fixatur tandem, nec patitur ab igne, nec reformidat vel violentiſsimum, non magis ſanè, quàm ſalamandra (ſi verũ eſt quod a-

junt, intactam manere in igne) quem tamen nec ferre poterat antea, nec ulla ratione pati? Vides itaque ut à solo igne natura ejus transformetur.

Idem præterea sal petræ, quod debitè paratum atq; depuratum modò erat, tam candidum, tam crystallinum, tamque diaphanum (saltem ut extrinsecus apparet) nunc igni fixatorio immissum videbis interius continere omnis generis colores, virides, rubros, flavos, albos: non hercle minùs diversos, quàm nubes ex radiorum solarium variantibus impressionibus concipere, aut prata præ delectabili illa florum versicolorum varietate ridere solent. Quod si quis ad credendum contumax, incredulus potiùs esse, quàm docilis haberi velit, svadeo, ut experiatur, & discat tam pulchrum naturæ mysterium, vel spacio decem horarum, ac vix sex assium interventu. Et ne (ut nuperi quidam) Lycophronem quendam me esse putes, rem candidè, & clariùs te docebo. Accipe salis petræ fixissimi, & clarissimi libram unam, vel duas, conjice in alembicum vitreum cum capitello, & in arenam colloca: haud aliter, ac si aqua quædam fortis esset destillanda. Ignem submitte, & per gradus secundùm artem moderato: quem tertia vel quarta hora in tantum augebis, ut arena vel ipsa incandescere posse videatur.

Hunc ignem ardentissimum continuabis per quinque, vel sex horas: & deprehendes, atque aperte videbis salis petræ spiritus ipsum etiam alembici vitrum penetrasse, coloreque tam intus quam extra tinxisse opalino, hoc est, diversissimo, & pulchre variante colore. Præterea spiritus salis petræ, qui vitri soliditatem trajecerunt, extimæ ejus superficiei in florum farinæ speciem adhærescentes, quos molli pluma abstergere, atque colligere haud fuerit difficile, etiam in satis magna copia reperies. Hic sane flos, nihil est aliud, quam spiritus salis petræ, in quo conspicias vividos omnis generis pulchre expressos colores, haud secus sane, ac in lapide illo pretioso qui opala dicitur. Philosophentur nunc ingenia acutiora, si libet, & in subtiliationem hanc spirituum, qui corpus alioqui solidissimum, & omnibus impermeabile habitum, tamen mirabili subtilitate trajecerunt. Et habent sane quod velitentur hic, si velint, ingenia curiosiora, itemq; de ratione tantæ diversitatis colorum plantarum quam hisce spiritibus tribuimus, quamque nos propria experientia consecutos esse primos, & ad oculum multis viris summis, atque doctissimis ostendisse fatemur, & ingenue gloriamur. Testis erit charus ille Pylades noster, Io.

Hen. Cherlerus philoſophiæ, & utriuſque medicinæ non infœlicior adſectator, quàm admirator, quem amoris noſtri erga ipſum (quem ceu fidum quendam Achatem ſemper habuimus) tam illuſtris inveſtigationis, ut & aliarum plurimarum magnæ admirationis rerum teſtem αὐτοθεατάμενον, & gnarum facere voluimus. Sed ad propoſitum revertamur.

Id quod reſidet in cucurbitæ fundo, nivis inſtar candidum, ac prorſus fixum, remedium eſt ſpecificum ad omnes febres extingvendas. Datur à ʒ. ſem. ad ʒ. j. diſſolutum in liquore quodam convenienti. Et (ut verbo dicam) huic remedio non eſt aliud ſimile ad incidendum, tergendum: itemq; ad purgandas & evacuandas humorum corruptiones, atque putrilagines, & ad conſervandum corpus ab omni corruptionis inqvinamento. Nam cùm de natura ſit ſalis balſamici, oportuit ipſum talibus virtutibus & proprietatibus eſſe præditum. Et certè, ut ingenuè fatear, ſi vel velim, non poſſim tamen ſatis laudibus extollere verum ſalpetræ, atque ſal fuſile philoſophorum. Quod ſal Homerus appellat divinum: quod Plato ſcribit eſſe amicum, & familiare rebus divinis: quodque multi philoſophi dixerunt eſſe animam univerſi,

& ſpi-

& ſpiritum vivificantem generantemque res omnes.

Videbimur fortè longiori ſerie orationis in inqviſitionem, ſpeculationemque tam generalem, quàm particularem ſalis naturæ evagati: Sed tam utilis eſt,& neceſſaria, ut ſit etiam baſis, ac fundamentum facultatem omnium medicinarum, uti fuſiùs ſuo loco declarabimus: ut hîc potiſsimum habeant medici, quod ſatagant, quod perqvirant, atq; intelligant.Quod verò attinet ad philoſophum Chymicũ,ſciat in ſalibus fuſilibus ſe operas ſuas potiſsimũ collocare debere, atque meminiſſe haud temerè philoſophos illud ſubinde occlamare ſolitos, coque, coque, & iterum coque,quod idem eſt ac ſi dicerent,calcina, calcina, (intellige ex præſcripto philoſophorum) aut in cinerem redige. Et ſanè ſi fateri velimus, quod res eſt,omnes operationes Chymicæ,deſtillationes, inquam, calcinationes, reverberationes, diſſolutiones, filtrationes, coagulationes, decoctiones, fixationes, aliæq; huic ſcientiæ dicatæ, non tendunt ad alium ſcopum, quàm,ut ſua corpora ita reducant in cineres, ut ſpiritus ſalis, & ſulphuris,qui illa perfecerunt (ſub una tamen, eademque eſſentia conſtituti) communicent, modo quodam imperceptibili, cum ſua aqua me-

tallica, veroque mercurio: Idque in eum finem, ut per vim, atque virtutem salis internam mercurius atteratur, coqvatur, atque transmutetur ex natura sua vili, atq; abjecta, in longè nobiliorem: dum ex mercurio vulgari fit mercurius philosophorum beneficio spiritus salis, quem attraxit ex cinere, seu calce viva metallica. Haud secus sanè, quàm evenire solet in lixivio, quod fit ex cineribus, & aqua, in quam optimè percolatam, atque filtratam cinis omnem suam animam, viresq; transmittit. Nempe suum sal aquæ prædictæ communicat: quæ aqua, etsi semper maneat fluxilis, ac liqvida, non tamen restat aqua simplex pura, atque frigida, vel exiguæ virtutis: sed jam lixivium facta, fit calida, facultatis exiccantis, detergentis & qualitatis prorsus activæ, quæ tota est virtus, atque facultas medicinæ transmutantis. At considerandum est, ex qua re cinis hic vivus, atque metallicus sit conficiendus. Item ex qua aqua idem parandum sit lixivium, ut extrahas sal, aut sulphur philosophicum, hoc est medicinam balsamicam, quæ fulminis instar refertissima sit activarum qualitatum, reducta in calcem verè vivam, atque dum prius esset corpus quoddam mortuum, atque mani-

matum, tunc fiat corpus animatum, spiritu præditum, & medicinale.

## Cap. V.

*Aurum animatum præcipuum esse subjectum medicinæ Philosophorum metallicæ.*

Tantum potest sulphur naturæ philosophicum; quod auget, & multiplicat viribus ipsum etiam aurum, jam magna perfectione præditum, non tam propter æquabilem sulphuris, atque argenti vivi concurrentiam, quàm propter perfectam combinationem, adæqvationem, æqvabilitatem, æqvalitatemq; elementorum, atque principiorum, quæ aurum constituunt. Ac ita quidem constituunt, ut alterum non superet alterum: sed velut in æquilibrio constituta, aurum efficiunt incorruptibile: cum nec à terra exedi, vel corrumpi, nec ab aëre alterari, nec ab igne domari aut diminui, quamvis minimum, possit. Atque hoc propterea, quod, ut inquiunt philosophi, par in parem non habet imperium: eò quòd etiam in omni æqvato corpore nulla reperiri possit actio, aut passio. Et hæc est sola illa æqvalitas, quam Pythagoras dixit esse matrem, nutricem, atq; tutricem concor-

diæ rerum omnium. Hæc causa est, quod in auro, atque omni corpore perfecto, ubi hæc æqualitas existit, sit indomita quædam, atq; incorruptibilis compositio. Id quod prisci philosophi observantes, in auro quæsiverunt magnam illam, & incomparabilem medicinam. Quoniam autem cognoverunt, quod propter compactam, atque firmam suam compositionem in corpus nostrum agere non possit, conati sunt dissolvere, atq; frangere durissima ejus vincula, atq; beneficio sulphuris vegetabilis, & balsami vitæ artificiosa operatione, redigere ad perfectam adæqvationem, ut spiritus vegetabilis auri, qui modò quasi in otio delitescebat, ex auro vulgari (quod modò erat) redderent aurum philosophicum, atq; medicinale, quod vegetationem nactum perfectiorem, & virtutem seminalem, dissolvi possit in omni liqvore, eiq; communicare exuperantem, balsamicamq; illam perfectionem, seu vitæ, naturæque nostræ balsamum. Sed audiamus, quæso, quod dicit Augurellus de hoc auro per prædictum sulphur, aut spiritum naturæ animato:

*Deniq; sic etiam fulvo detentus in auro.*
*Ipse manum capit artificis, qui vincula solvat,*
*Et qui se propria reddat virtute Potentem.*
*Quod si quis properans hanc artis viribus unqvam*

Ex-

*Explicet, atq; diu tepido post incoqvat igni.*
*Continuò aspiciet, (visu mirabile) vitam*
*Auro impartiri longo cum seminis usu*
*Nec deerit quin ex auro sibi procreet aurum.*
*Quod cum ita constiterit durate, & credite verbis*
*Intenti artifices, & res sperate secundas.*

Et quia nunc sermo est de animatione auri. & ut ostendamus qua ratione antiqui philosophi inhiarint, atq; insudaverint huic operi, vel materiei: age, videamus quid scribat Palingenius in suo zodiaco: cum hunc aurificum pulverem piis qværentibus viris respondisset Apollo, sub obscuro quodam ænigmate: & hinc ad cœli convexa evolasset: hæc scribit.

*Tunc mentis divinæ homines oracula cæca.*
*Volventes animo ancipiti, vix tempore longo*
*Experti multa, & non parvis sumptibus illam*
*Invenere artem, qua non ars dignior ulla est:*
*Fingendi lapidem æthereum, quem scire profanis.*
*Haudquaquam licet, & frustra plebs improba quærit.*
*Quem qui habet, ille potest, ubi vult, habitare decenter.*
*Nec fortunæ iram metuit, nec brachia furum:*
*Sed tanto paucos dignantur munere divi.*

Constat sanè ex præcipuis, & primæ notæ antiquorum libris hunc præcipuum fuisse eorum scopum, ut inqvisitioni tam eximiæ

rei

rei insudarent, nempe ut componerent medicinam quandam balsamicam, ad vegetandum, roborandum, atq; insigni sua adæqvatione, & integritate naturæ, conservandum balsamum radicalem, & nectar illud vitæ nostræ in bono & laudabili temperamento. Hinc idem Augurellus verba faciens de pulvere aurifico, postquam ostendisset effectus quos efficere potest, in metallis, ita subjungit.

*Qvin etiam humano decuit de corpore pelli*
*Hac, omnes valida morbos, faciliq; medela*
*Servariq; diu nitida cum flore juventam*
*Et senium placidos produci grande per annos,*

Et profectò mirum videri haud debet, aurum à suo, ceu compede, liberatum, adeoq; spirituale, atq; animatum redditum, viribusq; adauctum roborare posse naturam, atque instaurare balsamum nostræ naturæ, tamq; exigua dosi unius aut duorum granorum conservare ad ultimam usq; periodum vitæ. Tantò minùs mirum videatur, quod convenienti, atque magna illa adæqvatione temperaturæ communicans cum balsamo nostro radicali, impediat dominium phlegmatis, bilis excandescentiam, atque melancholiæ adustionem; suaq; incorruptibili virtute conservet sangvinem à putredine; atque ita balsamo illi nostro

sub-

subveniat, & quasi manus præbeat, ut non tantùm naturam nostram præservare, sed maximos etiam corporis nostri morbos superare possit. Præsertim, cum balsamum illud naturæ, innatus ille spiritus, omnium actionum, operationum, & motuum in nobis sit præcipua causa, à temperie seu crasi minimè dependens, sed eam conservans: ut ipsemet Galenus de innato illo nostro calore verba faciens, profiteri cogitur; [*Com. in aph. 15. l. 1.*] Cognoscere oportet " (inquit) Hippocratem innatum dixisse ca- " lorem, quem in quoquo animantium nati- " vum spiritum vocamus. Neque enim ali- " ud quicquam animal ab initio formavit; " sicuti rursus adauxit, aut usq; ad mortem " enutrivit, præterquam iste calor innatus; " qui omnium operum naturalium est causa. " Nulla itaque ratione excusari possunt, qui contumaciter, & absque ulla ratione flocci pendunt, vituperant, atque calumniis incessant talia remedia, quæ principaliter collimant ad restitutionem, & corroborationem balsami nostri radicalis: qui solus (ea potissimùm medicina adjutus) separare potest heterogenea, & naturæ molesta per expulsiones, evacuationesq; ordinarias, & convenientes: atque retinere homogenea, cum quibus ad earum conservationem

 maxi-

maximè consentit. Quud si ad virium corroborationem usus aliquis esse possit auri foliati, (quod nihil est aliud quàm res quædam mortua, quæque nostræ naturæ nullatenus communicari potest, tantoq; minùs digeri à calore nostro naturali) qualis ferè esse solet in omnibus medicinis restaurantibus: ut in confectione alkermes, electuario de gemmis, aurea alexandrina, diamargarito Avicennæ, aliisq;: cur quæso improbetur usus auri animati ea ratione, atque modo uti jam dictum? & frustra mehercle immò temerè tantopere perstringunt, atq; contemptim proclamant remedia metallica, ac si verò nihil essent aliud quàm venena: maximè cum constet, hodie ægros, etiam deploratissimos, & ubi aliis medicamentis vulgaribus nullus amplius restabat locus, relegari ad thermas, quæ nihil aliud sunt, quàm aquæ medicamentosæ, nitrosæ, aluminosæ, vitriolatæ, sulphureæ, bituminosæ, antimoniales, plumbeæ: denique omnes participantes de substantia, atq; spiritu quodam metallico, quem reipsa comperimus purificare, atq; evacuare corpora nostra omni evacuationis genere, non sine ingenti utilitate, ut fusiùs declarabimus, ubi ea de re speciatim agemus in libro nostro de recondita rerum natura artisque mysteriis:

riis: in quo opere apertè, & manifestè oſtendemus quales ſint qualitates virtuales, ut ita loqvar, illorum ſpirituum metallicorum. Quos ratione, & experientia docebimus, eoſdem habere effectus cum thermis naturalibus, etiamq; naturaliter calidis: ſimulac oſtendemus apertè poſſe tales artificioſa quadam induſtria parari quovis tempore, quovis loco, interim haud minori commoditate, atque utilitate.

Multi ejuſmodi hominum excuſandi ſunt magna ex parte, quos (cum jam ſint ſenes cani, & quod proverbio dici ſolet, jam alterum pedem habeant in Cymba Charontis, cumq; nihil ſe ignorare exiſtiment) pudet de integro doceri, atque redire ad ſcholã, quod ajunt. At illis qui obſtinatè ſeſe opponunt, & per invidiam, atq; maliciã laceſſunt, & carpunt, nihil habemus aliud, quod pro cauſa defenſionis noſtræ & confutationis illorum objiciamus, quàm craſſam illorum, puram, & putam ignorantiam.

Porrò hæc ratio præparandi medicinam, de qua hîc agimus, olim dicta fuit mineralis, propterea quod ſulphur, aut ſal philoſophicum, cujus uſus eſt ad animationem, & vegetationem, depromptum eſt ex prima ſcaturigine vegetativa naturæ mineralis. Plures philoſophi pro ſubjecto minerali aſſum-

assumpserunt Saturnum. Alii magnesiam Saturnalem, quæ prima est radix metallica, & de stirpe vitrioli. Isacus Holandus, Ripleus, aliique magni philosophi sua opera de hac materia scripserunt, quæ cum extent, unus quisque videre potest. Nobis enim hoc loco aliud non est institutum, quam docere, & quasi ob oculos ponere, quodnam sit illud balsamum radicale, & medicina universalis, tantopere à priscis philosophis celebrata ad conservationem valetudinis, & sanationes morborum corporis humani. Cui quidem rei maximopere conferri potest aurum animatum & balsamicatum (excusent, quæso, manes Ciceroniani ἀμαθέστερον ϗ σαφέστερον, hoc est, rudius, sed planius loqventem, ut intelligatur.) Alii, inter quos est etiam Raymundus Lullius, ignem suum naturæ ad animationem auri quæsiverunt in vegetali. Nam hic præcipuus omnium fuit scopus, ut aurum animarent. Atque hæc est ratio, cur omnes dicant, unicam tantum esse viam unamque materiam, seu sulphur balsamicum & naturæ, quod præbet ignem agentem atq; internum ad idem opus. At vero inter omnia vegetabilia primas tenet vinum. Nam inter omnia de natura vitriolata plurimum participat, quod non tam ex viridante illo

colo-

colore racemorum immaturorum, atque gustu acerbo colligere licet: quàm ex colore saphyrico maturorum, rutilo & intrinseco colore, saporeq; acuto; quæ omnia externas & internas vitrioli qualitates planè referunt.

Tales etiam notum est esse quasdam aquas in Avernia, quarum gustus vinosus est cum facultate quadam pungente. Ipsum quinetiam acetum, in quod vinum facillimè transmutatur: (anima nimirum sulphurea, hoc est, spiritu ejus separato) acetosam vitrioli qualitatem repræsentat, ut & aliæ vini signaturæ, veris philosophis abundè cognitæ. Quod etiam ex concordantia, atque sympathia, quam habet vinum cum natura metallica, colligere licet, cum ex vino perinde, ac ex vitriolo præparari posit artis chymicæ menstruum, (ut vocant) quod metalla in liqvorem dissolvere posit. Atque hæc est ratio cur Poëtæ cecinerunt.

*Bacchus amat colles.*

Hæ, inqvam, sunt rationes, cur Raymundus Lullius aliiq; celebres philosophi operas suas collocarunt in vino, ad extractionem sui sulphuris Balsamici, ut inde conficerent verum aurum potabile & veram Balsamicam medicinam.

Sed age paucissimis tantùm verbis aperiamus Lullii methodum, quam tantopere celavit in suo de quinta essentia libro, aliisque in locis: quæ si rectè intelligantur, facilè diriget, atque instruet quemvis verum philosophum ad componendam, atque ex omnibus rebus eliciendam medicinam illam Balsamicam. Nam ubique idem scopus, idem finis, eadem unica atque sola via ad compositionem illius Balsami, aut sulphuris philosophici, existentis in omnibus rebus mineralibus, vegetabilibus, atque animalibus: quamvis in aliis magis, in aliis minus.

## CAP. VI.

*Qua arte paretur sulphur & mercurius philosophorum ex vegetabili ad faciendum verum aurum potabile.*

ERgo ut ritè omnia peragantur quæ ad talem operationem reqviruntur: eligendum est vinum generosissimum rubellum, ad minimum dolium integrum, ex quo aquam vitæ extrahes, ratione solita, quam rectificabis ad perfectionem summam. Hunc spiritum vini adservabis in loco frigidissimo, vase optimè clauso, ne propter immensam, quam habet subtilitatem

tem expiret. quod residuum est vini iterum destillabis, & exibit media quædam aqua vitæ, si vinum fuerit optimum. Quod ubi extillaverit seorsim servabis. Hoc iterato facies de vini residuo, separando, ut prius, aquam vitæ à suo phlegmate, singulis seorsim reservatis. Fœces verò in fundo residentes demum colliges, ex quibus ultimam humiditatem elicies, per balneum vaporosum, aut per cineres, donec picis instar crassescant. Huic subsidentiæ piceæ in diversos alembicos (si magna fuerit copia) immissæ, affunde reservati phlegmatis tantundem: ut quatuor, vel quinque digitos superemineat, pone omnia in balneo calido, aut supra cineres itidem calidos, sic paucis diebus phlegma, quod prius erat album, denuò recipiens tincturam evadet rubrum valdè: attracto nimirum ad se sulphure combustibili, ex vini fœcibus impuris. Phlegma hoc tinctum per inclinationem separa, & seorsim quoque si lubet, reserva ad alios usus, uti dicemus. Postea demum aliud novũ phlegma affunde supra easdem fœces, & in distinctis alembicis, si magna sit copia, ut jam dictum: quod rubedine tinctum, ut prius, itidem separa, & prædicto jam tincto, atque separato affunde. Hoc toties continuabis, donec phlegma nullam

amplius attrahat rubedinem, atque fœces jam ſubalbidæ, vel cryſtallinæ ſint redditæ. Quod ut facilius dignoſcas aliud phlegma affunde, & vel digito, aut baculo (mundo tamen) miſce, ut advertas, num aliquid reſtet tincturæ: nam omnino omnis elicienda, ut ne amplius tingatur, vel minimum affuſum phlegma: quo argumento certiſsimè cognoſces, omnino depuratam eſſe reſidentiam, ſeu fœces, quas alibi Chryſtallum tartari vocabimus, quoniam ex tartaro quovis communi, faciliori etiam methodo ſimiles cryſtalli eliciuntur. Remedium ſanè jucundiſsimum, gratiſsimumq; ſi quod aliud in mundo, promptè mundificans ſtomachum, hepar, atque lienem à ſuis impuritatibus: provocans urinas, & movens unam, aut alteram ſedem extraordinariè. Sed ad opus noſtrum redeamus. Fœces prædictæ jam debitè atque convenienter, uti dictum, depuratæ, reponantur in diverſis cucurbitulis colli oblongi, atq; affundantur unicuiq; de primo illo ſpiritu vini rectificato, ut tres digitos ſupereminеat: mox inducto unicuiq; parvo capitello cũ ſuo recipiente, luto tenaci, Hermeticè undiq; obſerato ne quid expiret, ponantur in cineribus calidis, ut bulliant atq; deſtillent: reaffuſo eo, quod extillarit, atq; ita rurſus bulliant. Poſtea permittes omnia ut refrigeſcãt. Tum

ſpiritum per inclinationem quàm poteris, diligentiſsimè ſeparabis, ne quid ſimul exeat turbidi: & rurſus unicuique cucurbitulæ alium ſpiritum vini affundes, & facies ſicut prius: hoc toties iterabis, & continuabis, donec fœces, quæ à propria ſua naturà calcinantur, incipiant nigreſcere, & fumare, ſi ſupra laminam ignitam ponantur. Nam ſignum hoc eſt, primã calcinationem philoſophicam eſſe peractam, & ſpiritum eâdem opera jam factum eſſe animatum ex Balſamo acido, & fermento naturæ contento in prædictis fœcibus reductis in cryſtallum, uti dictum. His ſpiritibus animatis ſimul junctis, ac optimè reſervatis, ne expirent, fœces prædictas injicies in vaſa, quæ appellantur, matratia globi inſtar rotunda, anguſta habentia colla, per quæ materia infunditur. Hæc vaſa hermeticè clauſa, atque obturata, ne quicquam exhalare poſsit ſepeliantur in arena, in furno Athanoris, quod flammam præbeat circumcirca ambitum prædicti vaſis. Tum ignem admove per quinque vel ſex dies continuos, donec terra candida fiat ſicut nix, ſitque optimè calcinata, atque fixa. Quam ut magis volatilem reddas, & facias ſulphur aut mercurium philoſophorum, poteris ſi velis hanc tuam calcem dividere in duas,

vel tres cucurbitulas magnitudinis convenientis, pendēdo prius pondus uniuſcujuſque, & ſuprà unamquamque affundes ſpiritus vini animati prædicti, quartam partem: applica capitellum parvum cum ſuo recipiente benè accommodato, ut prius; colloca in B. M. tepido per diem unum. Poſtea iiſdē vaſis in cineribus poſsitis adhibebis ignem mediocrem, ut extillet liqvor, qui cum prius fuiſſet ardentiſsimus, atq; acerrimus, nunc affluet prorſus inſipidus, nec alium ſaporem lingvæ imprimens, quàm fontanæ communis: propterea quòd prædictus ſpiritus relinqvat ſuum ſal Balſamicum, quod antea cum ſpiritu permixtum extillaverat, cum ſale prædictæ calcis: Natura enim naturam amat eamque ſeqvitur in ſua natura, ut inqviunt philoſophi. Denuò alium ſpiritum vini animati affundes, ut prius, eâdem proportione, deſtillandiq; ratione ſervata, donec ad guſtum percipias prædictum ſpiritum animatum exire, atq; deſtillare æquè fortem ad guſtum, ac fuerat tum, quando affuderas. Nam hoc erit ſignum ſal fixũ prædictum, retinuiſſe ex volatili quantum ſufficit, retinereq; decet, & poteſt. Iamq; ſi pendas lance tuas materias, deprehendes parte tertia ponderis adauctas, ut ſi fuerit ℥. j. calcis in unoquoque

vaſe

ſe nunc advertas unumquodque pende-
ʒ. iij. aut etiam magis. Quod accuratè
ſervandum eſt pro ſublimatione, atque
ſtrema operatione, (quæ adhuc facienda
ſtat) ut volatile nempe tranſcendat, ſu-
retque fixum. In quo negocio, ut tuti-
s procedas, accipiendum aliquid prædictæ
lcis vivæ philoſophiæ, atque injiciendum
minæ ferreæ ignitæ : quod ſi videas o-
nnem prædictam calcem exhalare, & in fu-
num evaporare, ſicut ſal armoniacum, ab-
olutum & perfectum habes opus. Sin mi-
ius, operatio prædicta iteranda, continu-
ndaque donec prædictum ſignum appa-
reat.

Quo facto, materias has pones in parvis alembicis longiuſculis in formam ſublimatorii, adhibitis capitellis, & recipientibus, ad excipiendam humiditatem ſpiritualem ſulphuream, atq; deſtillabis in cineribus, igne lento, per diem integrum: augebis poſtea ignem per gradus magis ac magis, eouſque, donec ſub finem per octodecim, aut viginti horas ignis fiat ſublimatorius, videaſq; vaſa non amplius obſcurari ſpiritibus, aut fumis exalbidis. Et videbis jam vaſorum lateribus ſublimatam materiam adhæreſcentem, pulchram, nitidam, atque perlárum ſeu talci inſtar tranſparentem: ſupra

quam in pulverem redactam in parvo mortario porphiriano, affundes ſpiritum ſulphureum deſtillatum, humectando paulatim, atque coqvendo totum, per tres, vel quatuor dies in forti Althanor: & habebis materiam perlaceam balſamum radicale ex vegetabili extractum, mercurium philoſophorum, ſulphur Balſamicum, denique ignem illum naturæ tam celebrem, tam abditum, atque occultum ab omnibus philoſophis, qui omn es uno conſenſu dicunt: ignis, & azoc tibi ſufficient. Hic ſolus balſamus eſt medicina univerſalis ad tuendam, conſervandamque ſanitatem, ſi exhibeatur cum liqvore aliquo convenienti, quantitate unius vel duorum granorum. Magna & admiranda eſt ejus virtus ad reſtaurandum balſamum noſtrum radicalem: quem ex communi conſenſu omnium medicorum diximus eſſe medicinam morborum.

At Lullius noſter, cæterique philoſophi non conquieſcunt in hoc, ſed ulterius progreſsi, prædictum ſulphur philoſophicum diſſolvunt in convenienti portione ſpiritus vini ad perfectionem rectificati, ut prius, & in pellicano hermeticè clauſo, ſinunt ut uniantur, & optimè copulentur ſimul per viam circulationis: & intra paucos dies aqua

red-

redditur azurea seu cœlestis: quæ distillata vim habet dissolvendi aurum, illudque reducit in calcem verè philosophicam, in liqvorem pretiosum, qui per iteratas circulationes ac destillationes, transire etiam potest per collum alembici, aut per retortam. In qua operatione, si procedas, ut decet, separare poteris à Sole jam philosophicè dissoluto & animato dissolvens tuum philosophicum quod perpetuò inserviet ad novas dissolutiones. Nam exiguum admodum in unaquaque dissolutione deperditur: & sic habes verum aurum potabile: medicinam universalem, quæ nec æstimari, neque laudari satis potest. Eadem planè ratione facies dissolutiones perlarum, atq; lapidum pretiosorum: remedia generalissima, & inter prima collocanda ad roborationes, si dissolvantur, & modo, & ratione prædicta, cum dissolvente naturali. Remedia, inquam, quæ longè meliùs naturam nostram confirmare ac roborare possunt, quàm, si, ut vulgò fieri consvetum, tantummodò conqvassentur, aut in pulverem tenuissimum redigantur, ut in communibus illis nostris præparationibus atque pulveribus cordialibus fieri solet.

Sed erunt fortasse, qui dicent, ejusmodi præparationes nimis esse difficiles, vel iis,

qui eas non intelligunt, vel iis, qui ista susque deque ferentes, non maximoperè scire gestiunt. At, inqvam, longè difficilius est plurimis medicis, benè ac ritè præparare, aut commune aliquod electuarium (quod illi tamen præscripserint) vel molle, vel solidum: immò (& conscientiam illorum appello) ritè coqvere saccarum ut fiat syrupus aut tabella. Quod tamen, vel semestri atque vix initiato pharmacopœo, & qui manus dociles, ingeniumque capax adhibuerit, perfacile fuerit. Et quot, quæso, hodie extant medici, qui ex innumeris, quibus suas compositiones inferciunt, simplicibus, ne decimam fortè quidem noverint partem? Scio quid loqvar, nec aliter norunt, aut intelligunt, quàm quòd ita vel legerint, vel in scholis audiverint, aut ex suis collectaneis corraserint.

Quot rursus sunt hodie, ut & fuerunt ante hæc tempora, quorum præscripta si ad amussim seqveretur pharmacopœus, tabellæ loco, quam ille putabat, faceret opiatam, aut econtrà? cum nesciat miser ille (cum interim egregiè sapere se putet) tantùm proportionem saccari cum pulvere ingrediente ad formandum utrumq;. Quid? quod loco ungventi emplastrum, aut hujus loco illud, quod lepidus ille consiliarius naturæ,

turæ, atque ſanitatis non intelligat doſim olei atque ceræ ad compoſitionem alterutrius? Hinc fit, ut pharmacopœi magna ex parte rideant hos noſtros medicaſtros: unde fit, ut iimet pharmacopœi hodie à pleriſque non minoris æſtimentur quàm ipſimet medici. Immò hoc præ aliis contemnunt, cùm illi non ſecus atque hi medici munere fungantur. Apud priſcos ſanè non ita erat comparatum. Nam proles Aſclepiadea ſibi invicem communicabat ſecreta veluti de manu in manum, quæ propria manu domi ſuæ parabant, etiã, tempore Galeni: erantq; ſimul & medici, & chirurgi, & pharmacopœi. Quapropter & deorum loco tum fuerant habiti, quòd remedia illorum atque ſecreta non ita eſſent communia, atque in vulgus ſpargerentur, ut fit hodie: ſed ſanctè ſibi reſervabant, ſub religioſo quodam ſilentio: populo verò etiam perſvadebant ea ſe per revelationẽ quandam, in ſomniis aut templis accepiſſe à diis ſuis, ut in majori pretio haberentur. Quinimò cremato Æſculapii templo retuliſſe chartis Hippocratem præceptiones medicas per quietem hauſtas, memoriæ proditum eſt. At hodie tam nobilem artem, adeò communem atque tritam, & tam à priſtino ſuo ſplendore deturbatam videmus, ut mulierculæ etiam ægrorum, & pu-

erperarum famulatrices eam exerceant: immò medici nonnulli eousque degenerarunt, ut etiam munere famulitio prædictarum muliercularum fungi non dubitent, nimirum, ut servitutis nomen indignum, quod tamen unicè flagitant, mereantur. Nomen, inqvam, indecens prorsus atque ignobile professori artis tam liberalis, quod tamen pleriq; hodie affectant, ut vulgo videantur boni & magni medici. At hercle talium medicorum fama non extenditur ulteriùs quàm ad aures muliercularum decumbentium, atque puerperarum, quæ degunt in sua civitate, quibus illi servilem suam operam præstiterunt, non ut medici, sed ut coqui, ut servi lectuarii, etiam circa mediam noctem, omniqúe hora, ut aliquos gloriari novimus. Atque utinam horum magna pars, non indigno prorsus atq; servili aucupio sibi captaret ejusmodi muliercularũ ægris atque puerperis accubuarum benevolentiam, ut ab ipsis magni fiant apud plebejos, & prædicentur. Et fit tamen hoc, fit, inquam, non sine immenso illorum artisque, quam falso profitentur dedecore. Ut satis jam ex dictis constet culpam plurimorum esse medicorum, quod hanc artem nimis communem reddiderint, ut dictum est. Quare temerè atque frustra objiciunt,

ıt, & quaſi pro excuſatione ſuæ ignoran-
e prætendunt difficultatem harum præ-
rationum, temporiſque diuturnitatem:
m ea res nec difficilis ſit, neq; longa iis,
ıi manus adhibere norunt. Nec flocci
ciendæ ſunt, aut labori parcendum, cum
ſtituantur pro medicina tam excellenti
mque pretioſa, quæ tantula, atque tam
xigua doſi poſſit cauſare adeò magnos, &
dmirandos effectus: unde ad medicum
ertingat honor, & gloria, ad ægrum verò
ngens ſolatium, ipſaque adeò ſanitas. At-
ue, ut concludam libet hoc loco adducere
ulcherrimam quandam ſententiam, quam
pud Ciceronem in Tuſculanis me legiſſe
nemini. Nec modus eſt ullus (inqvit) in-
veſtigandi veri, niſi dum inveneris, & quæ-
rendi defatigatio turpis, dum id, quod
quæritur, ſit pulcherrimum.

## Cap. VII.

*Medicinæ balſamicæ ex rebus omnibus præpa-
randæ & conficiendæ ratio.*

Ex præparatione prædicta ſulphuris bal-
ſamici vegetabilis, quam ſuprà docui-
mus fideliter, clarè, atque manifeſtè, facile
eſt intelligere, qua ratione idem ſulphur
extrahi poſsit ex omni corpore mixto. In
quo,

quo, ut summatim omnia colligam, reperitur primùm liqvor, omnis odoris, atque saporis expers, qui appellatur phlegma, vel aqua passiva: deinde liqvor gustu, colore, odore, aliisque impressionibus qualitatum virtualium prӕditus, qui vocatur liqvor mercurialis: & tandem liqvor oleagineus innatans, & flammam concipiens, qui sulphur dicitur. Post extractionem istorum trium humidorum distinctorum, nihil aliud restat, quàm cinis, seu pars sicca: ex quo cinere optimè calcinato sal extrahitur cum proprio phlegmate secundùm artem sӕpiùs, & iteratò illam aquam calefactam supra prӕdictos cineres (in manica Hippocratis impositos) affundendo, & transcolando, hocque toties repetendo, donec aquam salsam ad gustum percipias: haud secus ac in lixivio fit. Quo facto humidum destilletur, & subsidebit sal in fundo, quod in prima hac prӕparatione non satis mundum est & benè purificatum. Quare denuò aqua exstillata affundenda, ut sal in eademmet aqua rursùs dissolvatur: quo dissoluto filtra (aut sӕpiùs per manicam transmitte, ut prius, ut clarissima evadat) tum rursus coagula ad lentum calorem. Atque hac ratione ex omnibus cineribus vegetabilibus extrahes sal clarum & purum. Super hunc

unc salem in alembico impositum affun- e totam suam aquam mercurialem aci- am, digerantur per unum aut alterum di- n Balnei lentum: dein destillentur per neres, & aqua destillabit insipida. Quo- iam quicquid continebat salis volatilis re- debit cum proprio suo sale fixo. Perge a in operando ut suprà de vino docuimus. ut si nolis tam exactè omnia perficere, ranscola rursus omnem liqvorem mercu- ialem per sal prædictum, qui in se recipi- et quicquid habuerit illa aqua impressionis irtualis, exibitque aqua, seu liqvor nulli- is nec saporis neque gustus, sed aquæ com- muni omninò similis. Quod si adjicias tantum, ut pars volatilis superet fixam: hoc est, ut plus sit salis volatilis, quàm fixi, (quod facilè cognosces ex pondere, quod triplo auctum erit, & per probationem laminæ cupreæ, vel ferreæ candentis, quando ma- teria hæc super eam injecta exhalat, atque in fumum abit) tum sublimare potes, & fi- et sal armoniacum philosophorum (ita e- nim hanc materiam appellare illis libitum fuit) quod clarum erit, & perlarum instar transparens. Supra hanc pulverisatam ma- teriam paulatim affundes liqvorem oleagi- nosum purificatum, & coques hanc mate- riam, ut ex volatili denuò fixetur: quod ta- men

men fixum erit de natura fusibili magis, quàm vel ipsamet cera, & per conseqvens facillimè communicabit cum spiritibus, & naturali nostro balsamo, cum separatum sit & ab aqua sua passiva, itemque à terra passiva, inutili, quam utramque materiam elementum passivum vocant: quod nullam in se contineat proprietatem, nec ullam actionem edat. Ita fit corpus sive natura prorsus homogenea, & simplex etiamsi tres distinctæ naturæ videantur, quæ tamen sint unius, ejusdemque essentiæ, atque naturæ. Sic componetur corpus exactè purum ex tribus principiis hypostaticis, nempe sale, mercurio, & sulphure. Quod sulphur aliqua ex parte respondet igni verè simplici, ac elementari: mercurius aëri, & aquæ, itidem simplicissimis, atque verè elementaribus: Sal verò terræ puræ, simplici, atque elementari. Quæ terra non frigida est, & mortua: sed terra calida, terra viva, & activarum, atque vegetabilium qualitatum plena. Ecce quomodo paranda sit perfecta, atq; universalis medicina ex omnibus naturæ rebus. Qua si uti velis ad purgandum, elige pro subjecto simplex aliquod purgans: si specialiter velis roborare, elige res quæ maximè confortant: si specifica lenientia parata habere velis, vel generalia

a anodyna, sume ea, quæ maximè sunt dyna. At scias interim in uno eodem-, ac eo quidem solo remedio hac ratio-præparato, exempli gratia in natura sa-balsamici, habere te etiam detergens, gans, diureticum, ac ut verbo dicam,e-ians universale, correctivum omnium uritatum, atque corruptionum. Ha-quoque in natura sulphuris particulari, dynum generale, & spirituale: in natu-nercuriali confortativum universale, i-ique nutriens. Quæ naturæ omnes si-l junctæ, ut suprà, arte atque industria i medici atque philosophi, has omnes ctiones absque ulla molestia, ac pertur-ione præstare, atque exercere possunt: rim balsamum nostrum radicalem ro-are virtute sua balsamica, subministran-i omnia media non tantùm ad defensi-m suam, sed etiam ad expulsionem, & pressionem omnium morborum.

tque hæc est vera illa medicina, hæc ra-ejus universitatis, hæc ejus puritas, atq; fectio. Nec quicquam est ejus præpa-one facilius, si rectè intelligatur. Ac-it quod immensa ejus utilitas atque ex-entia tanta sit, ut nullus labor, nullus atus, nulla industria omitti, aut diffici-haberi debeat, quicquid tandem diffi-

cultatum, vel dubitationem oboriri, vel adferri possit. Quòd si quis ne hunc quidem laborem, licèt utilissimum, quippe ad sanitatem, vitæque prolongationem institutum, suscipere velit, ut tam exactè præparet istas medicinas balsamicas: at velit saltem eo ipso medio, & quodam quasi directore uti, in genere perquirat facultates evacuantes, mundificantes, detergentes, quæ in maximo sunt usu, & potissimum consistunt in salibus: Itemque anodynas, lenientes, consolidantes, in sulphure atque oleo: denique nutrientes, restaurantes & confortantes, in liqvore seu mercurio. Eademque ratione docebitur, vera correctiva omnium remediorum esse solas purificationes, atque coctiones, hasque solas esse verum mel, & saccarum ad dulcorationem rerum omnium. Nam & ea, quæ maximè sunt acria, acerba, austera, vel amara hoc medio dulcorantur, omnisq; maligna qvalitas corrigitur, atq; contemperatur, sicut fructus, qui ante perfectam coctionem, maturitatémve sunt acerbi, austeri, vel acini nimis, quilibet in suo genere, & qualitate. Sic vina videmus, in quorum maturatione defuit calor solis, crudiora acidioraq; fieri. Quæ ratio est cur hujus, quàm illius anni, licet ex una prorsus vinea, vina tamen ma-

aturiora, generosiora, & naturæ conve-
entiora reddantur. Quamvis hac in re
n parum etiam regioni, locoque cui solis
dii fortius imprimi possint, sit tribuen-
im. Ut & hinc ratio diversitatis vino-
m sit petenda, quòd alia sint generosa, a-
 mediocria, alia cruda admodum, & vix
na. Sic vina Tigurina, aliaque in locis
ontosis, & frigidis nata cruda ferè esse so-
nt: maturarique ampliùs, immò aliquot
iam annis in cadis sive doliis suis necesse
t, antequam cum voluptate, & utilitate
ibantur. Eadem etiam propter imper-
ctam maturationem, concoctionemque,
oc est, quod adhuc sint cruda, tanta fœce
q; materia tartarea sunt referta, ut inco-
 qui ea loca, ubi hæc vina crescunt, inha-
itant, calculis præ aliis sint obnoxii. Quòd
hunc defectum videmus in vino, tanto
utritivo, & tam benè naturæ nostræ ac-
ommodato, quid de Helleboro aliisque
lurimis medicinis venenatis erit dicen-
um: quæ tamen in montibus frigidissimis,
 omni cultura carentibus, progignuntur,
intoque minùs à sole coqvuntur? Non ita-
ue mirandum Helleborum nostrum non
sdem effectibus respondere, quos ei Hip-
ocrates attribuit: nam quod ille commē-
at in Græcia sub cœlo longè magis propi-

F 2 tio

tio provenit, in qua plantas, & vina efficaciora esse non est dubitandum. Quare soleo ego pro prima quadam præparatione Helleborum in hortos, temperatiori solo, locoque sitos transplantare. Qui quàm varient ab incultis, & frigidis montibus, vel cichorii, aut endiviæ hortensis, à sylvestris differentia satis superque ostendit. At illæ præparationes,quæ ab arte proficiscuntur, & fiunt, coctionesque quas eadem ars (naturæ imitatrix)perficit,sunt multò præstantiores & correctæ ac dulcoratæ,ut ex infrà positis præparationibus longè exactioribus,quàm vulgares illæ,quæ nihil ferè aliud ostendunt,quàm id quod crudum est,atque impurum, patebit manifestè, atq; adeò res ipsa fidem faciet.

Nulla itaque ratione excusandi, sed omninò culpandi ii, qui dum hæc aut non intelligunt, aut non intelligere volunt, reprehendunt tamen, atque inconsideratè occlamant omnibus, nullo habito discrimine verorum philosophorum ab impostoribus, falsò phil osophi spagyrici nomen sibi usurpantibus. Nec minus insulsè nobilissimam hanc artem quidam damnant, argumento ex eo ipso sumpto, quod multi circa eam versentur impostores. At sciant nasuti isti Theones, artis abusum non tolle-

re

re usum:nec ascribendam culpam arti,quæ non est artis,sed artificis titulum temerè assumentis. Et sanè optandum esset publici boni gratia, ut omnes ejusmodi impostores, atq; empirici, quique non legitima vocatione, vel autoritate publica ad hanc nobilissimam professionem sunt vocati, ejicerentur è civitatibus, & regionibus: aut saltem interdiceretur ipsis, ne tam fœdè, tantaque temeritate artē, quam prisci sacram appellare non dubitarunt, profiterentur. Hic asclepiadei medici, quod sui est officii facere deberent, omnesque nervos,atq; conatus intendere apud suos magistratus, & principes, ne ars tam sancta, tamque pudica ab ipsis etiam desperatis, ac nullius consilii, nullius pietatis aut doctrinæ hominibus, tam fœdè, ac turpiter prostitueretur. Hi sibi caveant, si hoc contemnant, ne si quando in abusum ejusmodi empiricorum animadvertatur: inquiratur etiam in multorum, (qui nomine tenus tantùm, & non reipsa sunt veri medici) invidiam, avaritiæque & ambitionis plenam æmulationem, maledicentiamque. Verendum profectò ne eveniat tandem quod in historiis legimus accidisse olim apud Lacedæmonios, qui rhetores, atq; oratores è Republica sua exterminarunt: horumq; exemplo Roma-

ni, non tantùm caufidicos & oratores, fed medicos etiam, atq; philofophos fectarios non fine ingenti infamia ejecerunt.

Videbimur fortè medicinæ noftræ balfamicæ, univerfali ac vegetabili diutius inhæfiffe: & quoniam de minerali, atq; animali particularius fumus acturi in præparatione noftra fpagyrica, nunc vela contrahamus: poftquam tamen aliquid de animali dixerimus: idque breviffimè.

## CAP. VIII.

### *Medicinæ balfamicæ virtus atq; præftantia.*

HUjus medicinæ materiam, philofophorum quidam, in nobifmet ipfis quærunt: alii in melle, naturæ animalis, atque cœleftis: alii in natura quadam animata, non actu, feu effectu, fed potentia: quæ mundi fimilitudinem refert: quæque in ventre fuo continet Solem & Lunam: fulphur & mercurium: album & rubrum quæ debita proportione ab ipfa natura vetuftiffima rerum difpenfatrice mixta funt. Ex quibus materiebus, per varias, pulchras, ac longas præparationes, fuam parabant medicinam univerfalem: quæ propter perfectam contemperationem, adæqvationem,

ac puritatem, contemperare, conſervare, atque etiam augere poteſt humorem radicalem, & nectar illud noſtrum vivificum: quoniam puritate naturæ ſuæ ſpiritualis, cum ſpiritibus noſtris ſymbolo communicat. Videamus deinceps, quantum dicta illa medicina præſtet ad profligandos morbos, quàm infinita illa multitudo diverſorum remediorum. Ac primò, cùm accommodari poſſit ad omnes intentiones reqviſitas, (ut ex prædictis facilè colligere eſt) cumque dari poſſit in doſi tam exigua, quæ nec nauſeam, nec actionem violentam ullámve perturbationẽ corpori noſtro inducat, ac nihilominus inſignem ſuam operationem, pro diſpoſitione naturæ noſtræ exerceat, non video deinceps, cur univerſaliſſima, atque nobiliſſima hæc medicina, non iſtis medicamentorum rapſodiis ſit præferenda. Hac qui rectè & tempeſtivè uſus fuerit, refocillabitur, & corroborabitur, viribuſque ita armabitur, ut deinceps morbum longè faciliùs, ac promptiùs excutere queat: qua alioqui deſtituta natura, facilè ſuccumberet. Utamur exemplo familiari, ut quæ hactenus diximus, omnibus clariùs innoteſcant. Videmus in igne noſtro elementari, ſi adjicias aliquid, quod facile concipiat flammam, ut paleas, fermenta

aut tale quid, illico exardescere, & accrescere vi, & urendi potentia, qui modò ferè extingvebatur: quòd alimento erat quasi destitutus, ac penitùs quasi à cineribus obrutus. Ita quoque balsamum nostrum radicale, fax & lampas illa flagrans, ignis vitæ nostræ, defectu alimenti proprii fatiscens, aut à fœcibus, atque cineribus obstructionum ita obrutus, ut periculum sit suffocationis, aliáve aliqua causa præpeditus, quò minus vividam suam flammã exercere possit ad conservationem vitæ nostræ: tum sanè eget quodam calefactore, atque restauratore, ut meliùs, & faciliùs suas functiones edere queat. Similis quoque est ratio de balsamo nostro radicali, quod imminutũ, aut aliquo extrinsecus occurrente impeditum, aut oblæsum, medicina illa balsamica adauctum, rursus insurgat, functionesque consvetas perfectissimè edat Nam cum balsamum illud medicinale sit naturæ cujusdam æthereæ, sive ignis cœlestis quippe quod vivificat, non urit, atque consumit; ideo statim ceu aqua quædam vitæ permanens, & spiritualis communicat, & quasi unitur cum nostro spiritu, eumque propter sympathiam, & symbolũ commune, restaurat & vegetat. Nec alia de causa hoc fieri arbitrandum est, quàm (uti modò dictum) ex ami-

amica illa convenientia, amicitiaque, quam balſamica medicina habet cum balſamo noſtro radicali. (Quæ ſola eſt ratio, ut propter utriuſq; convenientiam relativam, illud balſamum vitæ, hoc balſamum medicinale appellem, quod παρέργω hoc loco à nobis dictum ſit) præter tamen hanc naturæ ſimilitudinem, familiaritatemque, habet & alias virtutes particulares. Quippe cum magna activitate ſit præditum, ſit ſpirituale ſummeque penetrans: adeò attenuat, digerit, diſſolvit, atque evacuat infarctus iſtos fœculentos, cinereoſque, & ſuffocationis periculum vitæ balſamo minitantes. Rurſus ſi adſit quædam impuritas, vel corruptio, à qua haud parum offendatur, quo quæſo alio medio tutiùs, meliuſque extirpabitur, quàm à re tam pura, tam incorruptibili? Iam ſi febris quædam ardens eundem cum præcordiis invaſerit, quo Syrupo acetoſo, quo ſyrupo de limonibus convenientiori, efficaciorique extingves, quàm aciditate balſamica noſtræ illius medicinæ: Cauſam hîc noſtram dicat, ſitque locuples hujus rei teſtis pyrius ille pulvis bombardicus, quem non tantùm extinguit liqvor ille, ſed ne porrò concipiat flammam, prorſus reddit ineptum. Teſtes ſint ſpiritus ardentiſſimi, ſummeque volatiles aquæ ar-

dentis, quos nec tota glacies montium hyperboreorum congelare poſſit, congelantur tamen cum liqvore illo acido in ipſo etiam balneo M. cujus licet ſit proprium vel gelidiſſimam glaciem attemperandi, diſſolvendique ſedandus eſt dolor? Hæc medicina tibi anodynum erit, hoc ſaluberrimum illud Nepenthes. Amoliendum, extirpandumque venenum, aut peſtilens, & maligna quædam qualitas? Hac nulla tibi tutior theriaca, nullum ſalubrius alexipharmacum, quæ ipſa cunctorum alexipharmacorum ſummum eſt, atque præcipuum alexipharmacum. Corroborandum eſt cor, vegetandique ſpiritus? Huic balſamo nulla confectio alkermes, nulla de hyacintho præferenda. Denique quæ medicina, quod alterans promptius intemperiem corrigere poſſit, quàm remedium illud temperatiſſimum? His omnibus immenſis virtutibus adde & illam, quòd hæc medicina nullam unquam adferat vel nauſeam, vel perturbationē corporis; quod citò, tutò, & jucūdè operationes ſuas exerat. Nec mirū. Eſt enim puriſsima, homogenea, & à nullo heterogeneo impedita ejus natura. Unde fit, ut liberiùs, ac promptiùs, de potentia redacta in actum, ſeparet, corrigat, roboret, expellat, cæteraſque functiones ſuas exerce-

erceat. Idque dosi tam parva, tamque nulla, ut dum in cæteris medicinis unicæ reqviruntur, hîc pauca quædam grane dissoluta in vino, jusculo, aliòve convenienti liqvore morbo opposito, sufficiant, quæ tantos, & vel dictu admirandos effectus producunt.

Hæ sunt magnæ illæ proprietates hujus medicinæ universalis, tantopere à priscis philosophis celebratæ. Hæ virtutes admirandæ dicti nostri balsamici medicinalis, coadjutoris, & quasi Symmystæ balsami nostri naturalis, qui solus est rector, solus conservator vitæ nostræ: solus averruncator & liberator immediatus morborum, atque corporis nostri infirmitatum- Nam si morbus ex ipso Galeno est affectus contra naturam actiones lædens: utique contrarius est balsamo nostro radicali, & nectari vitæ nostræ, quod nihil est aliud quàm eademmet natura: aut certè instrumentum ita ei assistens, atque conjunctum, ut absqne hujus adjumento, nihil moliri, nihil agere aut perficere posſit. Ergo sive jam functiones sint immunitæ, sive depravatæ, sive prorsus abolitæ, hoc fieri aliter nequit quin dictus noster balsamus radicalis aliqua ex parte sit oblæsus, cum certum sit omnes laudatas functiones ab eo proficisci. Hic ille est, qui

φύσις

φύσις αὐθεύτης. Hippocrati dicitur: Hic ille dispensator, faciens alimentorum attractiones, expulsiones, mixtiones, separationes, coctiones. Huic idem Hippocrates prædictas corporis nostri functiones omnes, & singulas potissimùm attribuit. Non quod idem noster balsamus radicalis in se atque sua substantia suscipere possit alterationes, atque pati, cùm sit de natura æthereâ, cœlesti, ac proinde quodammodo incorruptibili: sed quod ejus actio retardetur, vel impediatur obstaculis quæ internis membris atque visceribus delitescunt, quæque ipsi pariunt negotium atque molestiam. Hæc morborum est occasio, hic ortus, hoc præcipuum fundamentum. Quare ut partes communis scholæ suscipiam atque defendam, sic statuo. Si ejusmodi morbus occursans sit extirpandus, primò omnium naturam in integrum atq; pristinum suum statum, atq; laudabilem esse restituendam. Ad quem sanè scopum omnes nostræ cogitationes collimare debent. Prospiciendum itaque, ut primò auferantur obstacula. Ad quod discipuli Hermetis Trismegisti respondent, hoc totum abundè præstari ac perfici posse sola restauratione balsami radicalis: quipe à quo omnis actio atq; ipsæ etiam crises salutares dependent: cui si, ut

con-

convenit, ſubveniatur, fore, ut æger vel unica hora plus ſolatii percipiat, atq; tantò id magis, qvum idem balſamus vitæ adjutus balſamica illa medicina, atq; ſtipatus audentiùs hoſtem ſit expulſurus: atque id brevi admodum, quod alia illa tritaque infundendarum potionum & medicinarum caterva, ne multo quidem tempore, & vix tamen tandem ægrè præſtare poſſit.

Ne verò quis exiſtimare poſsit, noſtra hæc eſſe inventa, eadémve temerè à nobis prolata, audiamus quid idem Galenus præter ea, quæ ſupra attulimus referat in libro ſuo decimotertio methodi. Præcipua (inquit) intentio medici eſſe debet ad naturalem ſtatum reducere laborantē, & quòd cæteris neglectis una adhibenda cura eſt, ut illud conſervemus, à quo agendi facultas procedit. Hæc autem conſiſtit in calido innato, quod dum validum eſt, nec impeditum, corpus innoxium conſervat, ita ut quicquid corpori acceſſerit præter naturā, quod ſit amovendum, ſemper calido naturali valido egere, indubitatum axioma ſit. Et quamvis in externis morbis, & in quibuſdam aliis nihil conferre calor naturalis videatur, ut in amotione carnis ſuperexcreſcentis in vulnere, vel diſtantium labiorum vulneris reunione, tamen conjunctio

&

„ & carnis generatio, & cicatricis inductio
„ non fiunt nisi ab ipsomet calore innato. Hæc Galenus, & rectè. Enimverò sanè omnes ejusdem sectatores, (ut ne quicquam de authoritate tanti corypæi derogemus) ultro dicent atque fatebuntur, verè atque omnino esse naturam, adeoque vivificum illud balsamum radicale, quod omnes ejusmodi salubres edit functiones, quam naturam & hic & suprà ex Galeno merito diximus veram & genuinam medicatricem omnium morborum: sed eatenus, quavis arte atque ope medicinæ illius balsamicæ adjuta, excitata, corroborataque natura, expellere possit, domare, aut exturbare omne id, quod ei molestum est, sive contrarium. Idem prorsus sanè & nos statuimus.

Nihilominùs tamen & illud quoq; concedendum est, eandem naturam esse principium,& quasi primum movens omnis curationis: quippe absque cujus robore vel vigore omnis medicina inutilis est atque frustranea: Natura quippe sibi semper est similis ac eadem, nec unquam in nobis otiatur, sed in perpetuo versatur negocio, jugiter agitans, motitans, atque vegetans donec obstaculo multiplici impedita segniùs illud præstet atque infirmiùs. Quæ sanè obstacula, seu adversitates, illamet ultrò

pro

propriisque viribus, avellere & superare conatur, aut etiam ejicere: verũ cum ei res sit cum hoste fortissimo, aut certè cum pluribus hos utiq; longè faciliùs atq; citiùs expugnabit, si artis subsidiis obfirmata, armisque sibi convenientibus instructa contra ire possit audentior majoriq; cum confidentia, robore, atq; securitate. Ad quam quidè rem præstandã medicina nostra balsamica, quæ exquisita illa præparatione naturam acquisivit purissimam, vivificam, spiritualem, roborantem, atq; homogeneam naturam quæ nulla exceptione longè accommodatior efficaciorq; est, quàm reliqua illa medicamẽta vulgi medicorum, nulla arte, nulla industria aut dexteritate præparata. Quæ quoniam cruda adhuc, impura & crassa, terrestrique impedita sunt crassitie, naturæ potiùs multum facessunt negocii, quæ antequam horum malignam qualitatem eruat, cruditatem decoqvat, terrestremque crassitiem atq; impuritatem secernat, succumbit priùs quàm auxilium aliquod recipiat atq; solatium. Et ne à similitudine nostra digrediamur, applicemus jam dicta ad ignẽ, de quo antea locuti sumus. Quemadmodum itaq; videmus ignem multis cineribus obrutum, & ne aërẽ quo nutritur cõcipiat, impeditum, facillimè suffocari: eundẽ rursus

ex-

excitari, si quis admota manu, diductis cineribus, eventilatisque, quæ restant, scintillis, liberum aëri præbeat aditum: hîc causa refocillationis, excitationisque ignis tribuitur ei, qui semotis cineribus manum adhibuit; cum nihil aliud fuerit quàm merum instrumentum restitutionis ignis. At principale efficiens consistit in ipsomet igne, quem frustra hercle ille dilatârit, aut eventilarit, si penitus fuisset extinctus. Quapropter soli igni residuo revivicatio illa (ut ita loqvar) tanquam causæ primariæ, proximæ, atq; intrinsecæ tribuenda, interveniente tantùm extrinseco ventilatore, tanquam instrumento.

Rursus, quemadmodum frustra facis, si ignem langvidum, ac vix ac ne vix quidem scintillantem multo carbonum mortuorum obrutu citò resuscitare velis: citiùs enim suffocabitur, quàm in pristinum vigorem accendetur. At si carbones accensos apponas, mox eundem adaugebunt, nec metus amplius erit ullus extinctionis. Simili prorsus ratione præcipua virtus, seu functio semper igni nostro vitali seu balsamo radicali accepta ferenda, potiùs quàm medico, aut medicamento: licet hoc aliqua ratione subvenire, manusque auxiliares præbere possit, & soleat, dum fæces cinere-

nereas, & farctus tartareos impedientes liberat, ac dissolvit, ut liberior sit transpiratio, ne ab iisdem oppressus, suffocetur. Talis est Balsamica hæc medicina, quæ purificata, exaltata, atque in essentiam præstantissimam redacta, spiritus alicujus vitæ instar, ignem nostrum vitalem, jam quidem viventem, sed langvidum excitat, instaurat, & pristino vigori restituit. Quod cùm absque omni comparatione longè citiùs, tutiùs, atque jucundius, (sicuti jam dictum) quàm prior illa medicina vulgata id præstet: iccircò illam non malè carbonibus mortuis, seu ligno virenti; hanc verò tanquam præparatam, & jam in balsamum redactam carboni accenso contuleris, quæ totius nostræ disputationis est summa. Atque hæc dicta sunto de natura, proprietate, qualitate, excellentiaque nostræ medicinæ balsamicæ, quam præcitati philosophi præparant ex una re sola non ex pluribus, sive sit mineralis, sive vegetalis, sive animalis. De hac unica medicina intelligendus est summus ille sapiens. Altissimus creavit è terra medicinam, quam vir sapiens non abhorrebit. Nam per τὸ medicinam intelligit remedium, non artem medicam. Nam consvetum fuerat primis illis seculis uti hac sola medicina ex unica & sola materia de-

prompta. Posterior ætas deinde longa investigatione adinvénit balsamum illud radicale, & deprehendit in aliis plus, in aliis minus de eo inesse. Quicquid sit: notum est veteres simplicissimis remediis esse usos, nec curabant tantam compositionum, mixtionumque farraginem, quibus hodie passim pharmacopœorum officinæ sunt farctæ. Et sanè si paulò diligentius attenderimus ad ea, quæ Theophrastus, Dioscorides, aliique priscorum nobis de medicina, & simplicium medicamentorum viribus, scriptis reliqverunt, advertemus simplicissima medicandi ratione usos esse, nec tantoperè respexisse ad activas, vel passivas qualitates caloris, frigoris, siccitatis, & humiditatis, ex quibus tot mixtionum, confusionumque ortus processit. At illos suis simplicibus hanc, illamque proprietatem tribuisse constat, vel ea ratione, quod sibi ab aliis ita communicatum fuerat, vel per traditionem magistrorum suorum in medicina facienda versatissimorum, vel denique per experientiam, atque per signaturas, formas, & figuras eorundem simplicium. At apud posteriores judicii temeritas eò procesſit, ut de illorum facultatibus etiam ex gustu, atque sapore decernerent, indeque primas, secundas ac tertias quali-

tates

tates conſtituerunt, quibus poſtea omnis virtus dictorum ſimplicium fuit attributa. Quoniam autẽ non ſemper & in omnibus univerſalem deprehenderunt hanc regulam, ſed fallere: [*ait Fernel.*] Iccircò quidam ad proprietates occultas, à forma, totaq; ſubſtantia promanantes confugerunt. Hæc & ſimilia ſubterfugia nihil aliud cauſarunt nobis, quàm magnam incertitudinem in dignoſcendis noſtris bonis. Quot enim quæſo res ſunt guſtu amaro, quæ tamen ſecundùm edictum illius regulæ neutiquam ſunt calidæ? Cujusmodi inter alia eſt opium, cichorium aliaque multa. Rurſus quot acida exiſtunt, quæ vel ſecundùm proprium illorum judicium ſunt calidiſſima, ut ſpiritus acetoſi, nitri, atque ſulphuris: cum illamet interim regula acida dicat frigidiſſima? Quot dulcia ſuperficie tenus ſunt, quæ interna ſua ſubſtantia nequaquam ſunt contemperata? Quot inſipida extrinſecùs, primoque guſtus occurſu, quæ intrinſecùs, & facultate ſunt acerrima, & mordicantia? Mel ſanè, caſſia, atque ſaccarum, interna ſua ſubſtantia tam ſunt calida, violentaque, ut ex iis etiam parentur talia diſſolventia, qualia ex aqua forti, aut regali præparari ſolent, quæ aurum, & argentum pari cum promptitudine diſſolvere poſ-

ſunt. Plumbum lingvæ nullum impertit guſtum: at interior ejus ſubſtantia nihil aliud eſt, quàm infatuatus quidam ſaccarinus dulcor. Si cuprum quoque extrinſecus inſipidum eſt, & colore rubro: at viride illud, in quod permutatur, acerrimum eſt. Talibus, & infinitis propemodum exemplis ſimilibus demonſtrare poſſemus nec omnino nec temerè fidendum, initendúmque eſſe guſtui, qualitatibúſve, ac temperamentis rerum exterioribus. Nam ſi interiùs, atque exactiùs, quàm ſuperficiaria illa guſtandi, aut experiundi ratione examinentur, interioraque ſedulò anatomizentur (placet enim voce hac artis uti, licèt minùs latina) longè aliæ, atque diverſæ ſæpenumero deprehendentur, non tantùm in guſtu, ſed etiam odore, colore, totaque illarum ſubſtantiâ. At ſi fiat ſeparatio trium principiorum hypoſtaticorum, tum innoteſcet vera, & legitima ſaporum differentia. Quippe una eademque ſubſtantia in ſe continere poteſt ſapores diſtinctos, ut ex his non ſatis tutò ejus proprietates colligas atque vires. Ut exempli cauſa proponamus Guajacum, ex cujus ſimplici guſtu vires & proprietates diverſas quæ in ipſo inſunt, haud facilè dignoſces: neque cauſam de certo adferre poteris, cur ſit diaphoreticum,

cum, aut ſudores provocare poſſit: quod ex ſeparatione prædictorum principiorum facilè aſſeqveris: nam reperies in ſua mercuriali acetoſitate, & oleoſa ſeu ſulphurea, & tenuiori ſubſtantia vim illam ſudorificam, quæ ineſt & in Iuniperino, & in buxo, in quercu, in fraxino, & in lignis vel corticibus ferè omnibus, ut & in quamplurimis aliis rebus: cauſam autem, cur ſubſtantiæ illæ acetoſæ & ſulphureæ ſudores ipſos provocent, docebimus poſtea: Sed & ex ipſo Guajaco ſubamaro ſalem quinetiam elicies purgationi, & humorũ evacuationi aptum. Sic de cinnamomo & reliquis rebus ferè omnibus dicendum. Cinnamomum enim aperiendi, & adſtringendi facultatem habet: Vis aperiendi conſiſtit in ſulphurea, oleaginoſa, & tenui ſua ſubſtantia, qua ſeparata ex ipſius fœcibus, ſubſtantiam de natura aluminis mirè adſtringentem reperies. Item quod opium ſit amarum, illud fit ratione ſalis, ex quo ſeparato à ſuo oleo, ſeu ſulphure narcotico, purgans fit, haud minùs ſanè, quàm ex omnibus amaris, ut gentiana, centaurio, & ſimilibus, ſeparato nimirum dextreque præparato eodem ſale. His ſalibus amaris inditum eſt nomen ſalis gemmæ, ad differentiam reliquorum ſalium, quorum magna eſt ſpecierum diverſi-

ſitas, ut fuſiùs & clariùs docebimus ſuo loco. Nunc autem tribus tantùm verbis dicam, ut ſalia quædam ſunt amara, ita alia ſunt dulcia, alia acida, acerba, auſtera, acria, pungentia; atque ſalſa: quorum particularis facultas meritò tribuitur ſubſtantiæ propriæ ejuſdem ſalis, quàm alteri cuidam qualitati, quæcunque tandem ea ſit: ſed de his alibi.

Hæc dicta ſint obiter, tantùm ut conſtet, ea ratione, qua adhiberi ſolet guſtus, ad dijudicandas rerum proprietates, quàm ſit dubius, atque fallax: ſimul ac ut pateat ei non temerè fidendum, ſed ulterius progrediendo internas rerum ſubſtantias, atque eſſentias examinandas eſſe. Sed ut ad inſtitutum redeamus, magis nobis probatur ſimplex illa medicina, qua priſci patres uſi ſunt: quæ nec tanto apparatu confecta, nec tot coloribus, & miſcellaneis erat confarcinata. Hanc ſola providentiſſima natura nos docet, & quaſi ad oculum oſtendit per infinitas propemodum ſignaturas, quas remediis imprimit, ut ſubveniat naturæ particulari. Quod ſi natura illa univerſalis docuit vel bruta, à quibus & homines non pauca didicerunt. Quantò magis nos, qui medici, & eſſe & haberi volumus, ad notas, & ſignaturas rerum reſpicere debemus,

quas

quas illa rebus peculiariter impressit, ut nos qui sensu, & ratione præditi sumus, easdem discernere, eorumque beneficio necessitatibus nostris subvenire queamus? Porrò plantarum hæ signaturæ, non tantùm desumuntur ex figuris, atque similitudinibus, quas vel in radicibus, vel in caulibus, foliis, floribus, & fructibus habent nobiscum, hoc est, cum corporis nostri partibus interioribus, aut exterioribus, aliáve re quadam sive animata, sive inanimata, communes: sed æstimantur etiam illæ signaturæ ex illarum coloribus, odoribus, saporibus, aliisque plurimis circumstantiis, quarum hoc nostro libro inseremus exempla quædam notatu digniora, quæ partim ex propria experientia, partim ex communi, ea tamen necdum satis cognita, atque perspecta, deprompta atq; consignata habemus. Ex quibus constabit naturam fidissimam illam magistram non tantùm nobis suppeditare, sed etiam nos docere remedia: idque absque omni usura, & ineffabili quadam liberalitate. Atque hæc est remediorum materia, quæ cum antiqua illa medicina convenit: quippe quòd ex ipsa natura exprompta sit, supra quam præcipuum nostrum fundamentum constituimus. Et meritò

natura namque prima antiqvissima doctissimaque omnium est schola.

# DE SIMPLICIVM SIGNATURIS EXTERNIS TRACTATUS.



Haud vanè à Platone, ejusque sectatoribus mirabile illud, & prima fronte παράδοξον visum pronunciatum: Plantam esse hominem inversum. Hæ siquidem, si rem ipsam exactè, & oculo attento, sagaci, atque curioso, hoc est philosophico, intueamur, magnã, non tantum cum homine, sed cæteris quoque animatibus habent similitudinem. Quinimò si ad naturæ illam ἀναλογίαν rerũ considerandarum ductricem oculos, & mentem attenderimus, ex iisdem, aut certè non usque adeò absimilibus plantas cum homine habere quandam proportionem animadvertemus. Quid enim, quæso, aliud est truncus plantæ, aut arboris, à Theophrasto, & Botanicis appellatus, quàm id quod in homine anatomici truncum quoque, vulgò philosophi & ipsi quoque statuarii staturam appellitant? quid aliud rami qua-

quaqua versum expansi, quàm brachiorum ac pedum: quid surculi, quàm digitorum, atque extremitatum vices gerunt? quid veriùs in arbore lignum, quàm id, quod ossa in homine? Iam verò spinæ, atque ossium medullam cum ipso cerebro, atq; corde repræsentat medulla plantarum: fibræ nervos, venas, & arterias: quippe per quas (φλέϐας vocat Hippocrates, qua voce tanquã generali, omnia tria prædicta vasa complectitur,) & alimentum, & spiritus, & calor, è terræ visceribus exhausta in universæ plantæ œconomiam dispensantur, atq; distribuuntur. Sic plantæ radix oris & ventriculi munere fungitur, hujus verò fibræ, venarum portæ, quæ mox per majores, tanquam venam cavam, hujusque ramos, tanquam per canales, & tubulos diffundunt nutrimenta. Corticis pellicula exterior, cuticulam, interior, eaque crassior, carnosior, atque fibrosior, veram cutim repræsentat. Folia verò, quæ floris, & fructus præludia quædam, non usque adeò malè cum carnoso musculosoque genere contuleris: sic internodia, insertiones ramorum, cum articulis, ac ligamentis: ea, quæ proximè cortici ac ligno interjacet & fibrata tunica, membranæ comparari potest. Sed quid de floribus dicemus, atque fructibus?

nimirum illi quandam quasi vitæ actionem, seu, ut veriùs loqvar, effectum repræsentant: illa enim arbor, illa planta maximè vigere atque vivere existimatur, quæ plurimum floret. Fructus verò, seu semen naturalis, atque vegetantis facultatis, τῆς γονῆς Hippocratis atq; τοῦ σπέρματος Aristotelis uberrimũ præbet exemplar. Nimirũ illud est, & totũ quidẽ illud, & solum, quod ad speciei plantarum conservationẽ, propagationemque primariò, per se & quatenus tale est comparatum. Ut non minùs legitima demonstratione concludas: semen est ergo principium, & facultatem in se continens generationis, propagationis, ipsiusque adeò speciei conservationis. Quam si dicas sperma, sive γονὴν, seu genituram (quam solam procreationis nomine meritò dignantur summi illi Atlantes) ideoque principium hominis verè ac demonstrativè concluseris. Quid ampliùs? nondum equidem hoc satis ad exactam comparationem: sed humores, sed efflorescentiæ, sed ipsa quoque excrementa in plantis sunt, atq; stirpibus: nec minùs sanè, ac in homine. Argumento sunt nodi, tophi, verrucæ, fructus luxuriantes, liqvores, lachrymæ seu resinæ, gummi, musci, atque lichenum genera diversa. At morbis etiam denique vexari,

ſanationem admittere, & rurſus integra frui valetudine ſtirpes æquè atque homines, pleni ſunt Geoponicῶν libri. Teophraſtus imprimis: itemque Cato, Varro, Columella, Palladius, & poſt hos Plinius multam huius rei obſervationem multiplexque artificium in ſcriptis ſuis conſignarunt. Iam ſi naturam utriuſque, hoc eſt mores, & vitæ regimen ſpectes, in multis illud ſimile obſervabis. Plantæ ſe cortice & frondibus ab æſtu ac frigore tutantur. Id animalia præſtant, pilis, pennis & pellibus. Odio perpetuo ſe proſeqvuntur, braſſica, vinea, olea. Aliæ mutua converſatione gaudent, ſalix cum vinea, utraque enim madore delectatur, ſpinoſa ſpinoſis, & oleracea cum oleraceis, coronaria cum coronariis. Quid dicam? aliæ ſe mutuo perimunt, hædera arbores plurimas, unde nominis, ab exedendo, argumentum promanavit. Atque ut animalia dentibus, cornibus, unguibus, atque aculeis à natura armatæ ſunt, quibus ad pugnam animantur: ſic ſtirpes Echini ut Eringia armantur aculeis aſperitatibuſque improvido, ac importuno attractui noxiis. Hoc patet in Carduis, Eringiis, fruticibus ſpinoſis: quorum plura genera ab herbariis recenſentur, Acacia, Zyzipha, Rhamnus, oxyacantha utraque, uva

crispa,

crispa, leo, draco, scorpius, phœnix, Acarna, Acantha, aliaque plurima, quorum magna pars ab aculeis & armis, quæ cum animalibus habent similia, denominata sunt. Immò ipsum quoque triticum, atque cerealia ferè omnia præcipuo hominis nutrimento à natura genita, aristis ceu spiculis quibusdam obvallata sunt, ne temerè, aut promptè ab avibus, aut quavis bestiola, vermiculóve invadantur. Sic rosæ pulchritudinem horridæ spinæ comitantur. Unde adagium illud celebre, In rosis spina, & vicissim in spinis rosa, ut ex natura etiam pateat, difficilem esse accessum pulchrorum: juxta illud δύσκολα τὰ καλά. Difficilia quæ pulchra. Hoc, quàm eximiè pateat in arte nostra, norunt, qui eam & norunt: & verò ii quoque, qui eam non norunt, Quæ difficultas totius fundi medici est calamitas. Est quoque in stirpibus distinctio sexus, nec nominis tantùm, sed & rei. Mares infructiferi magna ex parte: Fœminæ fructum concipiunt, & pariunt. Nec sexus distinctio, in eo tantùm, sed in ipsis quoque organis. Argumento sunt mercurialis, mas testiculis donatus, & mercurialis fœmina iisdem carens. Idem & in Cynocrambe seu mercuriali sylvestri, quam ex nominis etymo brassicam caninam appellare

lare licet. Hanc differentiam eximiè monſtrat Phyllon theligonon, & Phyllon arenogonon nuperis dictum. Totque ſunt arborum, fruticum, atque plantarum maris, & fœminæ differentiæ, ut eas nunc hoc loco referre pigeat, cum pleni ea de re ſint herbariorum libri.

Hæc & ſimilia, mihi credite, non vanè à natura in mundi hocce theatro ſunt producta: Namque, ut veriſſimè habet axioma, Deus & natura nihil faciunt fruſtra. Non itaque exiſtimandum fruſtraneas atque fortuitas eſſe iſtas ſignaturas, ſed in certum aliquem finem à natura productas. At in quem potius alium productas illas ſignaturas dicamus, quàm in finem hominis? In bonum, inquam, imaginis divinæ, cujus gratia cuncta creata, cuncta producta ſunt, cunctaque perenni ſucceſſione propagentur atq; conſervantur? Et certè videtur nobis natura eo ipſo, ceu ſpeculo quodā ob oculos ponere, cui quæq; appropriata, propria atq; utilia, & in quem finem ſingula ab ea producta ſint. Nihil enim, uti dictum, facit fruſtra: Cui igitur ſimile potiùs comparabis, quàm ſuo ſimili? A quo remedia deſumes, quàm ab eo, quod parti affectæ, atq; ipſi adeò naturæ eſt ſimilimū? Non abſurdè itaque philoſophati ſunt, qui plantas

ref-

resque omnes à natura signatas, animantibus brutis: hæcque rursus omnia, cum illis, creaturarum perfectissimo, nobilissimoque homine naturæ, viriumque quadam similitudine statuerunt. Quid impedit igitur quo minùs concludamus occultas plantarum proprietates æstimari, ac judicari ut plurimùm signaturis, hoc est, ex similitudine formæ atque figuræ, cùm animalium, tùm inanimatorum? Dicamus ergo, plantas, quæ repræsentant vel ipsa animalia, ve animalium partes, valere ad propellendo morbos, qui ab ipsis animalibus suborir possunt. Serpentaria major, quæ serpen tem repræsentat: Rhamnus, aut spina alb in qua acutæ spinæ habent similitudinen dentium serpentis, morsum serpentis per sanant. Sic orchidis illa species, quam à flo ris similitudine Neoterici eleganter orchi μυώδην vocitarunt, apum ictibus confer Psyllii semen, quod pulicem ementitur, fu gat pulices. Quæ caudam scorpii repræ sentant, ut scorpioidis varia genera, Tele phium, flos heliotropii, & his similia, ma gnas virtutes ad scorpionum plagas sanan das obtinuerunt. Sic semen Calthæ, qu habet brachia cancro similia, medetur can cro, quemadmodum & ipsemet cancer, nimal de genere crustaceorum. Plantæ

c

culos animalium figurantes, oculis salubres habentur, ut Euphrasia. Quæ uterum referunt ad partum valent, ut Aristolochia, Cyclamen, quarum radix rotunda est atq; cava. Quæ vesicæ similitudinem habent, ad vesicæ affectus conducunt, ut solanum Halicacabum, quod barbara voce Alkekengi vocant, staphylodendron, seu nux vesicaria. Quæ lienem exprimunt, ad lienis seu splenis affectus prosunt, ut Asplenium, Hædera, & similes. Iecur ostendentes, jecori prosunt, ut lichen, (quæ hepatica dicta) & ficus, & est fumus terræ jecoralis planta æquè ac lienaris: ejus signatura est, quod radice sua schirrosa utramque dictorum viscerum figuram quodammodo effingit. Quæ pulmones repræsentant, pulmonibus, ut pulmonaria, quæ arborum trunci, fungi, aut musci, seu potiùs integumenti alicujus adhæret, atque Cynoglossum, & huic similis pulmonaria maculata. Quæ cordis figuram referunt, cordi conferunt, ut malum citrinum, fructus anacardi, radices anthoræ, nardus, melissophyllon, quod folium habet cordis circumscriptione, mirificè ad cordis affectus valent. Item cardiaca, myrobalum, mala Cydonica, &c.

Hæc

Hæc de plantis internas partes quodammodò figurantibus: ſed & externis partibus multas etiam aſſimilatas videmus. Nam ſunt quædam plantæ capitatæ, hoc eſt, quarum pars aliqua in capitis figuram extuberat, ut Scilla, quam iccirco ad comitialem ſeu caducum morbum, epilepſiam medicis dictam commendant. Item pœoniæ flos antequam excludatur, qui cranium cum ſuis commiſſuris repræſentans, comitiali ſpecificum eſt & remedium.

Dentibus inciſoriis, ſed magis caninis appellatis ſimiles ſunt nuclei pini, itemque herba dentaria, cujus radix velut ex meris dentibus compacta videtur, hæc omnia dentibus proſunt. Quæ articulos, nodos aut tophos exprimunt, valēt ad podagram, chiragram, gonagram, omnemque arthritidem.

Plantæ genitalia repræſentantes laudantur ad generationem, ut fabæ, piſa, ciceres, lupinus, orchides, ſatyria, &c. Item phallus quem Hadrianus Iunius doctiſſimus medicus peculiari libello in hunc eundem uſum commendavit. Præterea tubera terræ, ſolanum tuberoſum neotericorum, & fungi genera plurima.

Pingves plantæ ad impingvandum, ut oleoſæ arbores omnes, & oleoſum fructum pro-

proferentes: Nux juglans, avellana, amigdalus, nuclei pini, radiculæ tarsi, tantopere in eum finem ab Italis celebratæ.

Macillentæ corpora pingvia emacerant, ut salsa pariglia. Carnosæ plantæ carnem gignunt, & augent, ut bulbi, caules, cardu-orum scapi. Vertebrales herbæ, ut cyperi, & junci genera diversa, præsertim odorata, vertebrarum affectibus prosunt.

Nervosæ nervis conducunt,& cartilaginibus, ut linum, cannabis, quæ contractos nervos emolliunt.Item inter animalia, vermes,& potissimum lumbrici terrestres(Plinius interanea terræ vocat)qui nervos referunt, nervis medentur.

Plantæ lactuosæ, seu fructus, lactis generationem promovent, ut ficus, lactucæ genera, hordeum, amygdala. At in plantis lactuosis discrimen est adhibendum. Nam ex his aliæ sunt serosæ, itaq; serosos humores expurgant, ut Tithymalli genera diversa, quæ purgant aquam inter cutem,ut scribit Mesues. Lathyris quoque, quia abundat lacte aqueo, aquas potenter cit. Ejusdem generis sunt Tymelea,esulæ species, & Scammonium, ex quo succus in officinis ad purgandum usitatissimus paratur.

Lactuosa quinetiam semina,semen genitale augent,ut semen pastinacæ, amygdala,

avellanæ, nuclei pini, nuces recentes, &c. Quarum plantarum ſuccus lac cogit in caſeum, illæ quinetiam ſemen augent, & ad prolem procreandam haud parum facere creduntur, ut carduus ſpinoſus, ſcolimos tam domeſticus, quàm ſylveſtris, galion. At ècontrà, quæ lac diſſolvunt, geniturain perdunt, ut menthæ folia, quæ in lac demerſa, impediunt ipſius coagulationem. Mammis quinetiam applicata, lactis grumos diſſolvunt, quod quotidiana experientia compertum habetur. Sed potentius lac in mammis concretum diſſolvunt ruta per ſe tuſa, aut cum aceto: item cyminum itidem cum aceto tuſa, & applicata intra paucas horas tanquam incantamento quodam lactis proventum arcet, & jam generatum expellit quod per tranſennam dictum ſit.

Nec partes tantùm plantarũ, ſed ipſi quoque colores partium ſuas quoq; ſignaturas habent. Ergo ex plantarũ diverſis coloribus, diverſarum virium conjecturæ, atq; indicia ſumuntur. Sic plantæ floribus albis præditæ, ut plurimùm ad pituitoſos morbos conducũt, ut brionia, ſambucus, ebulus, thimelea, chamelea, lilium album, liliũ convallium, & ſimilia, quorum magna pars pituitã purgat.

Plantæ flavi coloris vel ſucci, ad flavam bilem conferunt, ut Rhabarbarum, Rhapon-

ponticum, rhabarbarum monachorum dictum, radix gentianæ, centaurii, & cætera id genus quæ bilem flavam purgant: Chelidonia quæ ictero, seu morbo regio ex bile exorto plurimum conducit. Habent enim plantæ succos cum humoribus nostri corporis analogos: flavi flavis, albi albis, nigri nigris, rubri rubris, cæterique suis similibus magna ex parte respondent.

Radices & herbæ, quæ decoctum rubrum seu sangvineum reddunt, eædemq; sangvinem haud parum mundificant: ut radix Chinæ, Filicis, agrimonia Chamædris rad. acetosæ &c.

Plantæ glauci coloris urinas movent, ut abrotonum Siriacum, crocus, ononis.

Plantæ subrubræ, aut etiam coccineæ, atque in universum igneum atque adeò flammeum referentes colorem, extingvendis inflammationibus internis ferè prosunt. Exemplo sunt: papaver rhæas cujus aqua & pulvis pleuritidi & peripneumoniæ plurimum conducit, ut & Syrupus qui ex ejus succo paratur, quem infrà describemus. Item anagallis, Chrysocomæ, seu stœchas citrina, quæ pulmonum inflammationi conferunt. Itemque ex cortice avellanarum rubrarum & corallo rubro fit pulvis qui drachmæ unius pondere exhibetur cum a-

qua pap. rheadis tanquam ſpecificum remedium ad pleuriſim. Miſti plantarum colores miſtos humores trahere putantur. Iridem ſanè variegatam, non tantùm ſerum, ſed mixtos humores purgare obſervatum eſt. Porro major eſt colorum varietas in floribus, quàm in foliis, quòd folia ut plurimum participent ſolo mercuriali liqvore: unde fit, ut ex his nunquam ferè aliud, niſi id quod mercuriale eſt, per deſtillationem elicias. Liqvorem, inqvam, ſeu humidum illud quod per deſtillationem effluit. At flores continent nitroſulphureum liqvorem ſeu oleum ut dicemus poſtea. Flores igitur albi & lutei pituitam & bilem purgant, ut flores arthemidis, parthenium, rhabarbarum luteum & rubrum, pituitam, & ſangvinem: Iris pituitam, & bilem, Melancholicis affectibus herbæ atri caloris ſubveniunt, ut recentiores multi herbam Paridis ad id imprimis commendarunt.

Plantæ quinetiam nonnullæ rubræ, & aſtringentes ſangvinis eruptionem ſiſtunt, ut ſunt vulnerariæ, morus, polygonum, ſangvinaria, androſæmon, biſtorta, amaranthus, fragaria: & inter lapides Hæmatites, corallium rubrum: inter metallica crocus Martis, &c. Ita diſtingvendæ ſunt ſignaturæ. Majoris verò momenti eæ habentur,

quæ

quæ multùm conveniunt, hoc est in multis signis consentiunt alicui parti humani corporis, ut figura, colore & similibus, ut ex præcedentium aliorumque inductione colligere est.

Plantæ motu, colore, & aliis figuris, similitudines syderum gerunt & imitâtur, quorum etiam virtutes aliqua ex parte sibi vendicant.

Solares herbæ, quæ videntur radios undique emittere, non tantùm foliorum in orbem digestorum positu veluti radii, sed proprio colore, ut solseqvia ob id sic appellata, quòd florem semper soli obvertat, atq; ita cursum ejus imitatur: item flos maximus Peruvianus, qui omnium manifestissimè id præstat, & flores minores solis dicti, omnes ob eandem rationem: Item Calendula, Crocus, &c. Cordiales ferè sunt herbæ.

Lunares herbæ sunt albifloræ, & cerebro opitulantur, ut œnanthe, dictamnus, lilium convallium, lilium candidum: atq; eæ quæ plenum orbem lunæ repræsentant, ut chamemeli genera. Item quæ habent folia sinuata velut in cornua, ut lunaria minor botrytis dicta; & quæ crescendo, & decrescendo ad lunam alludunt, hæ omnes cerebrum roborare existimantur, partici-

patione quadam virtutis lunaris. Nam ut aurum flammicolor inter metalla cordi, sic luna cerebro favet: Illud namque magis cor, hæc magis cerebrum respicit. Hyacinthus inter lapides cordi, margaritæ cerebro familiares. Amethistus vini referens colorem, ebrietatem arcere creditur. Ætitem, qui velut prægnans alios continet in se lapillos, (ut ex sono percipitur, aut apertione, & distractione) confirmare uterum tradunt, si brachio sinistro adalligetur. Contrà fœmoribus alligatum parturientibus conferre. Has sanè virtutes his lapidibus inesse sola signatura indicavit: quam demum multa experientia confirmavit. Sed ad plantas revertamur, & rem brevius expediamus.

Herbæ perforatæ, & quarum expressio est sangvinolenta, ut in floribus Hyperici eximiè id patet, si digitis atterantur, ad vulnera recentia conducunt. Huc referunt etiam gentianellam, & ulmum,

Ad fistulas valent fistulosæ plantæ, ut gentiana, symphytum, lupinus, &c.

Quartanā quadratos caules curare posse, sunt qui statuant: ejusmodi plantarum immensus est numerus. Experimentis opus est, ut signaturæ fides adhibeatur: quæ, ut hoc semel dicam, physico & medico non

cau-

cauſa, ſed occaſio quædam eſſe debet ad dignoſcendas plantarum, & rerum virtutes: vel potiùs ſigna quædam σημεῖα Græcis dicta, ſeu εἰκότα: futura etiam τεκμήρια, hoc eſt certa, & indubitata, ſi experientia rerum omnium indubitata magiſtra, confirmentur, pari conjectura ſtatuunt tertianas trigonas, ſeu triangulares caules curare.

Iſtud majoris exiſtimationis, herbas maſculas viris: fœminas mulieribus magis appropriatas eſſe. Et maſculinas potentiores eſſe volunt fœmineis. Mercurialis ſanè fœmina quæ teſtibus caret, fœminarum vulvis repurgandis plurimum conducit, vel ipſomet teſte Hippocrate medicorũ principe. Et nos extractum, & ſyrupum mercurialem ſpecificum ad eundem affectum trademus. Mas proceriori ferè corpore prædita, viris magis confert.

Pœonia mas exhibetur viris: fœmina mulieribus epilepſia correptis.

Ariſtolochia longa, mas eſt: rotunda, fœmina. Rapum longum mas eſt: rotundum fœmina. Illud validius eſt, medicamentum ad mucilaginoſos humores, ſive cauſam materialem calculorum, aut ipſummet etiam calculum recentem diſſolvendum. Rapa verò ad alimenti naturam quàm proximè accedit. Notum quippe eſt ex

ſchola medicorum, alia purè eſſe medicamenta, alia purè alimenta, & alia medicamenta alimentoſa: alia alimenta medicamentoſa. Purè medicamenta ſunt purgantia omnia, quia ſemper ſuæ qualitatis vim exerunt, nec in corporis ſubſtantiam tranſmutantur. Purè alimenta ſunt, panis, vinum non nimis forte, carnes, butyrum, ova, & ſimilia, hæc enim in ſangvinem, & ſubſtantiam corporis abeunt. Medicamenta alimentoſa, medicamenti quidem vim retinuerunt, quod propiùs ad illa accedant: nihilominùs tamen quia aliquid in ſe continent, quod corpus enutrire poſſit, alimentoſa dicuntur, ut ſaccarum, mel, herbæ præterea oleraceæ ferè omnes, ut acetaria: item ſucci inſpiſſati, ut defruta, ſapa, & ſimilia. Alimenta denique medicamentoſa ſuum quoque nomen alimentoſum reſervarunt, quod ad alimenti naturam propiùs accedant, nondum ſint tamen purè alimenta, ſed quiddam medicamentoſi, aut alterantis, aut quomodocunque in corpus noſtrũ agere potentis habent. Qua de cauſa alimenta medicamentoſa vocantur, cujuſmodi ſunt rapum, uti dictum. Oleracea ferè omnia, quod maximè in ſpinachia, & blito patet: præterquam enim quòd nutriunt, alvum etiam laxant. In alterantibus, & aceto-

cetosa, portulaca, lactuca, quæ tamen si ad medicamenta alimentosa referre placuerit, non multum peccaveris. Ad alimenta medicamentosa quoque refertur lac omne, fructus ferè omnes, vel de pomorum genere, vel de numero nucum. Item hordeum, serum, legumina, aliaque multa. Et placuit hæc ita animi gratia hoc loco inserere: maximè quia ad hoc opus potissimùm pertinere, & pharmacopœo haud parùm profutura judicavimus: pergamus.

Althea pro mare habetur in sua specie: Malva pro fœmina. Urtica mas, quæ nodulos, & veluti testiculos habet, ut & maximè etiam illa quam Romanam vocant Herbarii, fœminâ longè est asperior, infestior, magisque pungens. Placidior verò fœmina, quoniam vegetabili illo sale plumæ minus abundat, de qua re postea pluribus agemus.

Arbores longævæ, quæ ideò multo, & sale, & sulphure, seu balsamo naturæ abundare se indicant, atque ideò semper virescunt, ad humanam vitam conservandam valent, ut Iuniperus, ex cujus baccis optimum remedium ad vitæ tutelam paratur. Item pinus: nuclei enim pini vitam nobis prorogant, vel eo potissimum, quòd balsamum nostrum vitæ quodammodo augeant.

Item palma cujus fructus dactyli dicti, sunt amici senectutis, diciturque palma immunis esse à senio. Certè ad summam,& plurium centenorum ætatem pertingere cognitum est. Aloë quoque perpetuum habet virorem: ex qua, sicut & ex prædictis, optima remedia parantur ad conservationem sanitatis, vitæque prolongationem: Quemadmodum etiam ex helleborino, Chelidonia, & reliquis, quæ ob abundantiam salis perpetuò virescunt.

Arbores resinosæ etiam, quia multo balsamo radicali abundant, ut myrrha, thure, mastice, & similibus, cum balsamo nostro non contemnendam habent affinitatem. Porrò ut ex plantis, ita quoque ex animalibus longævis ad vitæ propagationem valent, ut cervus: qui dum sentit se gravari senectute serpentum pabulo reparatur. Serpens namque quotannis renovata pellem seu exuvias deponis: quoniam sub terra tegens, vescitur balsamo illo radicali naturæ, quo singulis annis quasi renovatur restauraturque. Hinc fit, ut qui viperarum carnibus vescuntur, senectutem producant, atque in longum protrahant, ut scribit Dioscorides. Hæc est causa, cur theriaca ab ea nomen deprompserit: cur veteres experientia comprobassent viperam ad lepram con-

conducere, variisque venenatis, & vitæ nostræ insidiantibus potenter resistere.

Arbores, & fructus, qui vermiculantur, & vermium materiam repræsentant, vermes in nostris corporibus generant, ut ficus, pyra, mala dulcia, & inter herbas ocymum. Contrà, qui vermiculos non patiuntur, sed ipsa enecant aut eorum generationem impediunt, contra vermes prosunt, ut inter reliqua Hypericum, cum quo si caseum involvas, nunquam vermiculi in caseo generabuntur. Hypericum est etiam specificum ad vermes in ventriculo, in formam cataplasmatis appositum, & in jusculo exhibitum. Fit etiam ex ipsius succo vel decocto syrupus nostræ descriptionis, ad vermes specificum medicamentum.

Plantæ maculatæ maculis hominum detergendis prosunt, ut flores fabarum, cyclaminus, semina ricini diversa, quorum pulcherrima species nuper ex Indiis importata: Prosunt quinetiam contusis vulneribus, ut persicaria maculata, ex qua præstantissimum ad omes contusiones paratur remedium.

Plantæ quæ lapidosum quiddam proferunt, ad calculos multa experientia commendatæ habentur, ut milium solis, quod à semine lithospermon, hoc est lapideū semen,

men, propter duritiem nuncupatum. Item ossicula fructus mespilli. Item ea, quæ petris innascuntur, & saxorum rimis, eas, ceu vi quadam pervadentes, quarum plura genera habentur. Saxifragia nomine, & re primas tenere putatur: præterea quorum radices in globulos divisæ.

Iam ipsi quoque lapilli, qui in diversis animantium generibus, diversisque eorum partibus gignuntur, easdē vires lapidem vel calculum frangendi habere creduntur. Lapillos, qui in ventriculo bovis mense Majo reperiuntur, in vino dissolutos atque exhibitos, lapidem in renibus dissolvere ajunt.

Lapilli quinetiam spongiarum, lapis item Iudaicus dictus, qui omnes salis naturam repræsentant, quorum propriū est dissolvere tartarum, seu tartaream materiam. Pulchras, & aspectu jucundas plantas, vel foliis, vel floribus naturæ gratas esse, præter aspectum, ipse quoque docet odor. Exemplo sunt rosa, Cariophylli quibusdam betonicæ dictæ, violæ, Hyacinthi, præsertim orientalis: Narcissi, maximè ille quem miro aptè tamen composito nomine doctissimus vir, Pœna nostri ordinis amicus, & medicus regius leuconarcissoliriam, appellitavit in suo herbario.

Deformes verò tetri odoris ferè, & quædam

dam etiam venenatæ depræhenduntur, ut Aconitum, cicuta, quarum, ut & papaveris odor, sed magis vulvariæ, vel dictu fastidiendæ herbæ naturæ quodammodo adversatur.

Tales & similes signaturæ propemodum infinitæ, quæ veteres ad rerum cognitionem, ceu per θαυμασίαν quandam rei visibilis excitarunt, hoc loco adduci possent. Sed vel nimium etiam his inhæsisse videmur: voluimus tamē generali ista enumeratione lectori quasi ob oculos ponere quid & veteres & nuperos quosdam magni nominis philosophos ac medicos compulerit ad harum signaturarum pervestigationem. [*Ripleus, Isacus Holandus, Parar. & inter nuperos Io. B. à Port. Neapol. de his signaturis multa scripserunt.*] Nam cum viderent aliquid quod similitudine quadam cum corporis nostri partibus participaret, illico sagaci quadam animadversione similitudinem rei, & quandam veluti συμπάθειαν subolfecerunt: quam experimento comprobarunt uti dictum, ex conjecturali fecerunt certam, atque scientificam. Harum signaturarum quasi fons alter & ad rerū virtutumq; earum cognitionem acqvirendam, fuit sensus: maximè autem sapor, & color. De quibus quædam in præcedentibus attigimus.

qua pap. rheadis tanquam ſpecificum remedium ad pleuriſim. Miſti plantarum colores miſtos humores trahere putantur. Iridem ſanè variegatam,non tantùm ſerum, ſed mixtos humores purgare obſervatum eſt. Porro major eſt colorum varietas in floribus, quàm in foliis, quòd folia ut plurimum participent ſolo mercuriali liqvore: unde fit, ut ex his nunquam ferè aliud, niſi id quod mercuriale eſt, per deſtillationem elicias. Liqvorem, inqvam, ſeu humidum illud quod per deſtillationem effluit. At flores continent nitroſulphureum liqvorem ſeu oleum ut dicemus poſtea. Flores igitur albi & lutei pituitam & bilem purgant, ut flores arthemidis, parthenium, rhabarbarum luteum & rubrum, pituitam, & ſangvinem: Iris pituitam, & bilem, Melancholicis affectibus herbæ atri caloris ſubveniunt, ut recentiores multi herbam Paridis ad id imprimis commendarunt.

Plantæ quinetiam nonnullæ rubræ, & aſtringentes ſangvinis eruptionem ſiſtunt, ut ſunt vulnerariæ, morus, polygonum, ſangvinaria, andropſæmon, biſtorta, amaranthus, fragaria: & inter lapides Hæmatites, corallium rubrum: inter metallica crocus Martis, &c. Ita diſtingvendæ ſunt ſignaturæ. Majoris verò momenti eæ habentur,

quæ

quæ multùm conveniunt, hoc est in multis signis consentiunt alicui parti humani corporis, ut figura, colore & similibus, ut ex præcedentium aliorumque inductione colligere est.

Plantæ motu, colore, & aliis figuris, similitudines syderum gerunt & imitātur, quorum etiam virtutes aliqua ex parte sibi vendicant.

Solares herbæ, quæ videntur radios undique emittere, non tantùm foliorum in orbem digestorum positu veluti radii, sed proprio colore, ut solseqvia ob id sic appellata, quòd florem semper soli obvertat, atq; ita cursum ejus imitatur: item flos maximus Peruvianus, qui omnium manifestissimè id præstat, & flores minores solis dicti, omnes ob eandem rationem: Item Calendula, Crocus, &c. Cordiales ferè sunt herbæ.

Lunares herbæ sunt albifloræ, & cerebro opitulantur, ut œnanthe, dictamnus, lilium convallium, lilium candidum: atq; eæ quæ plenum orbem lunæ repræsentant, ut chamemeli genera. Item quæ habent folia sinuata velut in cornua, ut lunaria minor botrytis dicta; & quæ crescendo, & decrescendo ad lunam alludunt, hæ omnes cerebrum roborare existimantur, partici-

patione quadam virtutis lunaris. Nam ut aurum flammicolor inter metalla cordi, sic luna cerebro favet: Illud namque magis cor, hæc magis cerebrum respicit. Hyacinthus inter lapides cordi, margaritæ cerebro familiares. Amethistus vini referens colorem, ebrietatem arcere creditur. Ætitem, qui velut prægnans alios continet in se lapillos, (ut ex sono percipitur, aut apertione, & distractione) confirmare uterum tradunt, si brachio sinistro adalligetur. Contrà fœmoribus alligatum parturientibus conferre. Has sanè virtutes his lapidibus inesse sola signatura indicavit: quam demum multa experientia confirmavit. Sed ad plantas revertamur, & rem brevius expediamus.

Herbæ perforatæ, & quarum expressio est sangvinolenta, ut in floribus Hyperici eximiè id patet, si digitis atterantur, ad vulnera recentia conducunt. Huc referunt etiam gentianellam, & ulmum,

Ad fistulas valent fistulosæ plantæ, ut gentiana, symphytum, lupinus, &c.

Quartanã quadratos caules curare posse, sunt qui statuant: ejusmodi plantarum immensus est numerus. Experimentis opus est, ut signaturæ fides adhibeatur: quæ, ut hoc semel dicam, physico & medico non

cau-

causa, sed occasio quædam esse debet ad dignoscendas plantarum, & rerum virtutes: vel potiùs signa quædam σημεῖα Græcis dicta, seu εἰκότα: futura etiam τεκμήρια, hoc est certa, & indubitata, si experientia rerum omnium indubitata magistra, confirmentur, pari conjectura statuunt tertianas trigonas, seu triangulares caules curare.

Istud majoris existimationis, herbas masculas viris: fœminas mulieribus magis appropriatas esse. Et masculinas potentiores esse volunt fœmineis. Mercurialis sanè fœmina quæ testibus caret, fœminarum vulvis repurgandis plurimum conducit, vel ipsomet teste Hippocrate medicorũ principe. Et nos extractum, & syrupum mercurialem specificum ad eundem affectum trademus. Mas proceriori ferè corpore prædita, viris magis confert.

Pœonia mas exhibetur viris: fœmina mulieribus epilepsia correptis.

Aristolochia longa, mas est: rotunda, fœmina. Rapum longum mas est: rotundum fœmina. Illud validius est, medicamentum ad mucilaginosos humores, sive causam materialem calculorum, aut ipsummet etiam calculum recentem dissolvendum. Rapa verò ad alimenti naturam quàm proximè accedit. Notum quippe est ex

ſchola medicorum, alia purè eſſe medicamenta, alia purè alimenta, & alia medicamenta alimentoſa: alia alimenta medicamentoſa. Purè medicamenta ſunt purgantia omnia, quia ſemper ſuæ qualitatis vim exerunt, nec in corporis ſubſtantiam tranſmutantur. Purè alimenta ſunt, panis, vinum non nimis forte, carnes, butyrum, ova, & ſimilia, hæc enim in ſangvinem, & ſubſtantiam corporis abeunt. Medicamenta alimentoſa, medicamenti quidem vim retinuerunt, quod propiùs ad illa accedant: nihilominùs tamen quia aliquid in ſe continent, quod corpus enutrire poſſit, alimentoſa dicuntur, ut ſaccarum, mel, herbæ prætereà oleraceæ ferè omnes, ut acetaria: item ſucci inſpiſſati, ut defruta, ſapa, & ſimilia. Alimenta denique medicamentoſa ſuum quoque nomen alimentoſum reſervarunt, quod ad alimenti naturam propiùs accedant, nondum ſint tamen purè alimenta, ſed quiddam medicamentoſi, aut alterantis, aut quomodocunque in corpus noſtrũ agere potentis habent. Qua de cauſa alimenta medicamentoſa vocantur, cujuſmodi ſunt rapum, uti dictum. Oleracea ferè omnia, quod maximè in ſpinachia, & blito patet: præterquam enim quòd nutriunt, alvum etiam laxant. In alterantibus, & aceto-

cetosa, portulaca, lactuca, quæ tamen si ad medicamenta alimentosa referre placuerit, non multum peccaveris. Ad alimenta medicamentosa quoque refertur lac omne, fructus ferè omnes, vel de pomorum genere, vel de numero nucum. Item hordeum, serum, legumina, aliaque multa. Et placuit hæc ita animi gratia hoc loco inserere: maximè quia ad hoc opus potissimùm pertinere, & pharmacopœo haud parùm profutura judicavimus: pergamus.

Althea pro mare habetur in sua specie: Malva pro fœmina. Urtica mas, quæ nodulos, & veluti testiculos habet, ut & maximè etiam illa quam Romanam vocant Herbarii, fœminâ longè est asperior, infestior, magisque pungens. Placidior verò fœmina, quoniam vegetabili illo sale plumæ minus abundat, de qua re postea pluribus agemus.

Arbores longævæ, quæ ideò multo, & sale, & sulphure, seu balsamo naturæ abundare se indicant, atque ideò semper virescunt, ad humanam vitam conservandam valent, ut Iuniperus, ex cujus baccis optimum remedium ad vitæ tutelam paratur. Item pinus: nuclei enim pini vitam nobis prorogant, vel eo potissimum, quòd balsamum nostrum vitæ quodammodo augeant.

Item palma cujus fructus dactyli dicti, sunt amici senectutis, diciturque palma immunis esse à senio. Certè ad summam,& plurium centenorum ætatem pertingere cognitum est. Aloë quoque perpetuum habet virorem: ex qua, sicut & ex prædictis, optima remedia parantur ad conservationem sanitatis, vitæque prolongationem: Quemadmodum etiam ex helleborino, Chelidonia, & reliquis, quæ ob abundantiam salis perpetuò virescunt.

Arbores resinosæ etiam, quia multo balsamo radicali abundant, ut myrrha, thure, mastice, & similibus, cum balsamo nostro non contemnendam habent affinitatem. Porrò ut ex plantis, ita quoque ex animalibus longævis ad vitæ propagationem valent, ut cervus: qui dum sentit se gravari senectute serpentum pabulo reparatur. Serpens namque quotannis renovata pellem seu exuvias deponis: quoniam sub terra tegens, vescitur balsamo illo radicali naturæ, quo singulis annis quasi renovatur restauraturque. Hinc fit, ut qui viperarum carnibus vescuntur, senectutem producant, atque in longum protrahant, ut scribit Dioscorides. Hæc est causa, cur theriaca ab ea nomen deprompserit: cur veteres experientia comprobassent viperam ad lepram con-

conducere, variisque venenatis, & vitæ nostræ insidiantibus potenter resistere.

Arbores, & fructus, qui vermiculantur, & vermium materiam repræsentant, vermes in nostris corporibus generant, ut ficus, pyra, mala dulcia, & inter herbas ocymum. Contrà, qui vermiculos non patiuntur, sed ipsa enecant aut eorum generationem impediunt, contra vermes prosunt, ut inter reliqua Hypericum, cum quo si caseum involvas, nunquam vermiculi in caseo generabuntur. Hypericum est etiam specificum ad vermes in ventriculo, in formam cataplasmatis appositum, & in jusculo exhibitum. Fit etiam ex ipsius succo vel decocto syrupus nostræ descriptionis, ad vermes specificum medicamentum.


Plantæ maculatæ maculis hominum detergendis prosunt, ut flores fabarum, cyclaminus, semina ricini diversa, quorum pulcherrima species nuper ex Indiis importata: Prosunt quinetiam contusis vulneribus, ut persicaria maculata, ex qua præstantissimum ad omes contusiones paratur remedium.

Plantæ quæ lapidosum quiddam proferunt, ad calculos multa experientia commendatæ habentur, ut milium solis, quod à semine lithospermon, hoc est lapideũ semen,

dam etiam venenatæ deprehenduntur, ut Aconitum, cicuta, quarum, ut & papaveris odor, sed magis vulvariæ, vel dictu fastidiendæ herbæ naturæ quodammodo adversatur.

Tales & similes signaturæ propemodum infinitæ, quæ veteres ad rerum cognitionem, ceu per θαυμαστὸν quandam rei visibilis excitarunt, hoc loco adduci possent. Sed vel nimium etiam his inhæsisse videmur: voluimus tamē generali ista enumeratione lectori quasi ob oculos ponere quid & veteres & nuperos quosdam magni nominis philosophos ac medicos compulerit ad harum signaturarum pervestigationem. [*Ripleus, Isacus Holandus, Parar. & inter nuperos Io. B. à Port. Neapol. de his signaturis multa scripserunt.*] Nam cum viderent aliquid quod similitudine quadam cum corporis nostri partibus participaret, illico sagaci quadam animadversione similitudinem rei, & quandam veluti συμπάθειαν subolfecerunt: quam experimento comprobarunt uti dictum, ex conjecturali fecerunt certam, atque scientificam. Harum signaturarum quasi fons alter & ad rerū virtutumq; earum cognitionem acqvirendam, fuit sensus: maximè autem sapor, & color. De quibus quædam in præcedentibus attigimus.

mus. Nec opus esse duximus hoc in loco pluribus ea de re agere, cum Galenus ejus rei (uti æstimatur) clarissima documenta, experimentaque in scriptis suis, & maximè in libris de simplicium medicamentorum facultatibus reliqverit. Transeamus nunc ad signaturas internas philosophorum, & medicorum Hermeticorum.



# DE SIGNATVRIS RERVM INTERNIS SEU SPECIFICIS, ab Hermeticis Philosophis multa cura singularique industria compa-ratis, atque intro-ductis.



Ut rerum omnium diversa est considerandi ratio, diversusque cognoscendi modus: ita ratio & instrumenta ad acqvirendam illam cognitionem diversa. Exempla in rem præsentem facientia, non inter multa delegimus, sed res quotquot sunt in naturæ elementaris hocce theatro abundè faciunt fidem. Res enim ut perqvirerent, atque naturas earum pervestigarent, alio medici Empirici ac ipsi quoq; dogmatici,alio Her-

me

metici philoſophi uſi ſunt. Illi ad ſignaturas externas & qualitates intrinſecus incurrentes, maximè verò ad guſtatiles, viſibiles, atq; olfactiles reſpexerunt. Præterea ad qualitates primas, calidum, frigidum, humidum & ſiccum, quas harum principia conſtituerunt, atque facultatum ſeu virtutum prima fundamenta. Priores merè ſunt accidentariæ: quippe quarum baſis atque fundamentum nihil ſit aliud quàm forma, ſeu figura extrinſecus apparens, ut ex præcedentibus liquet: de quibus pluribus egimus, quàm ſperabamus, & quàm fortè inſtituti noſtri ratio poſtularat. Poſteriores, etſi à ſuo ſubjecto quodammodo promanent, habent tamen aliam penitiorem in eodem ſubjecto baſim, quam iccirco rectè principia, cauſas & fundamenta virtutum cum Hermeticis philoſophis dixeris. Chymici itaque, ſeu ſpagirici relictis nudis illis corporum qualitatibus, actionum, atque ipſorum etiam ſaporum, odorum, colorum fundamenta in alia quæſiverunt. Tandem ſagaci inquiſitione cognoverunt illa eſſe tres diverſas atque diſtinctas ſubſtantias illas, quas in omni corpore naturali elementato ſingulari artificio invenerunt: nempe ſal, ſulphur atque mercurium. Hæcque principia rerũ interna, principia conſtitu-

entia, virtualia, atque hypoſtatica nuncuparunt. In his quippe tribus principiis hypoſtaticis illæ memoratæ qualitates virtuales atque ſenſibiles, non imaginatione, analogia, aut conjectura, ſed reipſa & effectu reperiuntur. Nempe ſapores in ſale potiſſimum: odores in ſulphure, colores ex utriſque etiam ſed potiſſimum ex mercurio, quòd hic ſibi adjunctum habeat ſal volatile rerum omnium. Duplex enim eſt ſal, fixum nempe & volatile, ut dicetur mox.

Sal itaque principium eſt firmum, fixum, & ſubſtantificum rerum cunctarum: ideoq; comparatur cum terræ puro ac puto elemēto. Quod ſal non eſt ſua natura frigidum & ſiccum (ut volunt eſſe terram) quæ qualitates nihil aliud ſunt, quàm mors rerum: ſed potius calidum, & qualitate activa præditum, quippe quod inſervire debeat generationi rerum cunctarum.

Sulphur confertur igni: facillimè namque, ut illud, flammam concipit, & ardet quemadmodum & reliqua omnia, quæ de natura ejus participant, cujuſmodi ſunt reſinoſa, pingvia, & oleaginoſa.

Mercurius analogia reſpondet aëri & aquæ: non enim tantùm aqua illa ſicca mineralis, quam & alio nomine hydrargirum, &

& argentum vivum vocant, mercurius dicitur, ſed omnis aqua ſeu liquor activa aliqua virtute dotatus mercurius quoque dicitur propter excellentiam. Qui mercurius, ut diximus, utrique elemento, aëri, inquam, & aquæ adſimilari poteſt: aëri, quòd calori admotus, nihil ferè eſſe deprehendatur, quàm aër ſeu vapor, qui ſtatim in auras evaneſcat. Hunc, ſi placet, non malè humidum activum dixeris. Aquæ verò comparari poteſt, quòd ſit fluidus, nec proprio ſed alieno termino, dum in ſua natura eſt, contineatur, quæ humidi eſt, apud Ariſtotelem definitio. Hæc tria, inquam, principia in omnibus corporibus reperiuntur, tanquam ſubſtantiæ internæ ac neceſſariæ ad compoſitionem omnis corporis mixti. Nam humiditas prædicta mercurialis volatilis ac ſpiritualis cum parte terrena corporea atque fixa propter ingentem illam diſcrepantiam atque contrarietatem utriuſq; conſociari facilè cùm non poſſet: opus fuit medio, ac ceu quodam ſeqveſtro, qui utriuſque, hoc eſt, tam ſpiritualis quàm fixi participatione utrumque conjungeret. Atq; hoc eſt ſulphur ſeu oleum, quod inter fixum atque volatile medium quiddam tenet. Nunquam enim tam facilè, nec tam citò, aut tam benè deſtillatur oleum, ac aqua:

ſchola medicorum, alia purè eſſe medicamenta, alia purè alimenta, & alia medicamenta alimentoſa: alia alimenta medicamentoſa. Purè medicamenta ſunt purgantia omnia, quia ſemper ſuæ qualitatis vim exerunt, nec in corporis ſubſtantiam tranſmutantur. Purè alimenta ſunt, panis, vinum non nimis forte, carnes, butyrum, ova, & ſimilia, hæc enim in ſangvinem, & ſubſtantiam corporis abeunt. Medicamenta alimentoſa, medicamenti quidem vim retinuerunt, quod propiùs ad illa accedant: nihilominùs tamen quia aliquid in ſe continent, quod corpus enutrire poſſit, alimentoſa dicuntur, ut ſaccarum, mel, herbæ præterea oleraceæ ferè omnes, ut acetaria: item ſucci inſpiſſati, ut defruta, ſapa, & ſimilia. Alimenta denique medicamentoſa ſuum quoque nomen alimentoſum reſervarunt, quod ad alimenti naturam propiùs accedant, nondum ſint tamen purè alimenta, ſed quiddam medicamentoſi, aut alterantis, aut quomodocunque in corpus noſtrū agere potentis habent. Qua de cauſa alimenta medicamentoſa vocantur, cujuſmodi ſunt rapum, uti dictum. Oleracea ferè omnia, quod maximè in ſpinachia, & blito patet: præterquam enim quòd nutriunt, alvum etiam laxant. In alterantibus, & aceto-

cetosa, portulaca, lactuca, quæ tamen si ad medicamenta alimentosa referre placuerit, non multum peccaveris. Ad alimenta medicamentosa quoque refertur lac omne, fructus ferè omnes, vel de pomorum genere, vel de numero nucum. Item hordeum, serum, legumina, aliaque multa. Et placuit hæc ita animi gratia hoc loco inserere: maximè quia ad hoc opus potissimùm pertinere, & pharmacopœo haud parùm profutura judicavimus: pergamus.

Althea pro mare habetur in sua specie: Malva pro fœmina. Urtica mas, quæ nodulos, & veluti testiculos habet, ut & maximè etiam illa quam Romanam vocant Herbarii, fœminâ longè est asperior, infestior, magisque pungens. Placidior verò fœmina, quoniam vegetabili illo sale plumæ minus abundat, de qua re postea pluribus agemus.

Arbores longævæ, quæ ideò multo, & sale, & sulphure, seu balsamo naturæ abundare se indicant, atque ideò semper virescunt, ad humanam vitam conservandam valent, ut Iuniperus, ex cujus baccis optimum remedium ad vitæ tutelam paratur. Item pinus: nuclei enim pini vitam nobis prorogant, vel eo potissimum, quòd balsamum nostrum vitæ quodammodo augeant.

Item palma cujus fructus dactyli dicti, sunt amici senectutis, diciturque palma immunis esse à senio. Certè ad summam, & plurium centenorum ætatem pertingere cognitum est. Aloë quoque perpetuum habet virorem: ex qua, sicut & ex prædictis, optima remedia parantur ad conservationem sanitatis, vitæque prolongationem: Quemadmodum etiam ex helleborino, Chelidonia, & reliquis, quæ ob abundantiam salis perpetuò virescunt.

Arbores resinosæ etiam, quia multo balsamo radicali abundant, ut myrrha, thure, mastice, & similibus, cum balsamo nostro non contemnendam habent affinitatem. Porrò ut ex plantis, ita quoque ex animalibus longævis ad vitæ propagationem valent, ut cervus: qui dum sentit se gravari senectute serpentum pabulo reparatur. Serpens namque quotannis renovata pellem seu exuvias deponis: quoniam sub terra tegens, vescitur balsamo illo radicali naturæ, quo singulis annis quasi renovatur restauraturque. Hinc fit, ut qui viperarum carnibus vescuntur, senectutem producant, atque in longum protrahant, ut scribit Dioscorides. Hæc est causa, cur theriaca ab ea nomen deprompserit: cur veteres experientia comprobassent viperam ad lepram con-

conducere, variiſque venenatis, & vitæ noſtræ inſidiantibus potenter reſiſtere.

Arbores, & fructus, qui vermiculantur, & vermium materiam repræſentant, vermes in noſtris corporibus generant, ut ficus, pyra, mala dulcia, & inter herbas ocymum. Contrà, qui vermiculos non patiuntur, ſed ipſa enecant aut eorum generationem impediunt, contra vermes proſunt, ut inter reliqua Hypericum, cum quo ſi caſeum involvas, nunquam vermiculi in caſeo generabuntur. Hypericum eſt etiam ſpecificum ad vermes in ventriculo, in formam cataplaſmatis appoſitum, & in juſculo exhibitum. Fit etiam ex ipſius ſucco vel decocto ſyrupus noſtræ deſcriptionis, ad vermes ſpecificum medicamentum.


Plantæ maculatæ maculis hominum detergendis proſunt, ut flores fabarum, cyclaminus, ſemina ricini diverſa, quorum pulcherrima ſpecies nuper ex Indiis importata: Proſunt quinetiam contuſis vulneribus, ut perſicaria maculata, ex qua præſtantiſſimum ad omes contuſiones paratur remedium.

Plantæ quæ lapidoſum quiddam proferunt, ad calculos multa experientia commendatæ habentur, ut milium ſolis, quod à ſemine lithoſpermon, hoc eſt lapideū ſemen,

dam etiam venenatæ depræhenduntur, ut Aconitum, cicutá, quarum, ut & papaveris odor, ſed magis vulvariæ, vel dictu faſtidiendæ herbæ naturæ quodammodo adverſatur.

Tales & ſimiles ſignaturæ propemodum infinitæ, quæ veteres ad rerum cognitionem, ceu per θαυμασίαν quandam rei viſibilis excitarunt, hoc loco adduci poſſent. Sed vel nimium etiam his inhæſiſſe videmur: voluimus tamē generali iſta enumeratione lectori quaſi ob oculos ponere quid & veteres & nuperos quoſdam magni nominis philoſophos ac medicos compulerit ad harum ſignaturarum perveſtigationem. [*Ripleus, Iſacus Holandus, Parac. & inter nuperos Io. B. à Port. Neapol. de his ſignaturis multa ſcripſerunt.*] Nam cum viderent aliquid quod ſimilitudine quadam cum corporis noſtri partibus participaret, illico ſagaci quadam animadverſione ſimilitudinem rei, & quandam veluti συμπάθειαν ſubolfecerunt: quam experimento comprobarunt uti dictum, ex conjecturali fecerunt certam, atque ſcientificam. Harum ſignaturarum quaſi fons alter & ad rerū virtutumq; earum cognitionem acqvirendam, fuit ſenſus: maximè autem ſapor, & color. De quibus quædam in præcedentibus attigimus.

mus. Nec opus esse duximus hoc in loco pluribus ea de re agere, cum Galenus ejus rei (uti æstimatur) clarissima documenta, experimentaque in scriptis suis, & maximè in libris de simplicium medicamentorum facultatibus reliqverit. Transeamus nunc ad signaturas internas philosophorum, & medicorum Hermeticorum.



# DE SIGNATVRIS RERVM INTERNIS SEU SPECIFICIS,

ab Hermeticis Philosophis multa cura singularique industria comparatis, atque introductis.



VT rerum omnium diversa est considerandi ratio, diversusque cognoscendi modus: ita ratio & instrumenta ad acqvirendam illam cognitionem diversa. Exempla in rem præsentem facientia, non inter multa delegimus, sed res quotquot sunt in naturæ elementaris hocce theatro abundè faciunt fidem. Res enim ut perqvirerent, atque naturas earum pervestigarent, alio medic Empirici ac ipsi quoq; dogmatici, alio Herme-

metici philosophi usi sunt. Illi ad signaturas externas & qualitates intrinsecus incurrentes, maximè verò ad gustatiles, visibiles, atq; olfactiles respexerunt. Præterea ad qualitates primas, calidum, frigidum, humidum & siccum, quas harum principia constituerunt, atque facultatum seu virtutum prima fundamenta. Priores merè sunt accidentariæ: quippe quarum basis atque fundamentum nihil sit aliud quàm forma, seu figura extrinsecus apparens, ut ex præcedentibus liquet: de quibus pluribus egimus, quàm sperabamus, & quàm fortè instituti nostri ratio postularat. Posteriores, etsi à suo subjecto quodammodo promanent, habent tamen aliam penitiorem in eodem subjecto basim, quam iccirco rectè principia, causas & fundamenta virtutum cum Hermeticis philosophis dixeris. Chymici itaque, seu spagirici relictis nudis illis corporum qualitatibus, actionum, atque ipsorum etiam saporum, odorum, colorum fundamenta in alia quæsiverunt. Tandem sagaci inquisitione cognoverunt illa esse tres diversas atque distinctas substantias illas, quas in omni corpore naturali elementato singulari artificio invenerunt: nempe sal, sulphur atque mercurium. Hæcque principia rerū interna, principia constitu-

en-

& argentum vivum vocant, mercurius dicitur, ſed omnis aqua ſeu liquor activa aliqua virtute dotatus mercurius quoque dicitur propter excellentiam. Qui mercurius, ut diximus, utrique elemento, aëri, inquam, & aquæ adſimilari poteſt: aëri, quòd calori admotus, nihil ferè eſſe deprehendatur, quàm aër ſeu vapor, qui ſtatim in auras evaneſcat. Hunc, ſi placet, non malè humidum activum dixeris. Aquæ verò comparari poteſt, quòd ſit fluidus, nec proprio ſed alieno termino, dum in ſua natura eſt, contineatur, quæ humidi eſt, apud Ariſtotelem definitio. Hæc tria, inquam, principia in omnibus corporibus reperiuntur, tanquam ſubſtantiæ internæ ac neceſſariæ ad compoſitionem omnis corporis mixti. Nam humiditas prædicta mercurialis volatilis ac ſpiritualis cum parte terrena corporea atque fixa propter ingentem illam diſcrepantiam atque contrarietatem utriuſq; conſociari facilè cùm non poſſet: opus fuit medio, ac ceu quodam ſeqveſtro, qui utriuſque, hoc eſt, tam ſpiritualis quàm fixi participatione utrumque conjungeret. Atq; hoc eſt ſulphur ſeu oleum, quod inter fixum atque volatile medium quiddam tenet. Nunquam enim tam facilè, nec tam citò, aut tam benè deſtillatur oleum, ac aqua:

accedit quod sulphuris seu oleaginosi corporis substantia sit tenax, ideoque aptissima ad combinationem reliqvorum duorum ad efficiendam bonam, perfectam & æquabilem mixtionem. Res exemplo fiet manifestior. Quemadmodum enim nunquam tenax atque laudatum cœmentum confici potest ex sola aqua, atque arena, sed calce insuper opus est, quæ utraque illa tanquam oleum ac gluten quoddam connectit. Sulphur itaque, seu oleaginosa substantia, & salis & mercurii est mediator, & utrumque copulat: nec copulat tantùm, sed acrimoniam salis atque mercurii aciditatem, quæ ut plurimùm in eo reperitur, reprimit atque contemperat. Haud secus sanè ac spiritus, & humidum illud vivificum seu radicale, animam, substantiam incorpoream, cum corpore, toto genere ab illo distante conjungit.

Apparet itaque, qua ratione tres hæ naturæ possint consistere simul, atque corpus mixtum, ac perfectum constituere. Nam quemadmodũ sal solum per se istud præstare nequit: ita nec duo isti humores fluxiles & mobiles sua natura corpus fixum, firmum atque solidum componere sine sale possunt. Rursus sulphure opus est tanquam glutine, quo sine alioqui mercurialis liqvor

ab-

absorbetur à siccitate salis terrestris, & violentia caloris ignei, quem continet. At humor mercurialis reliquorum est tanquam vehiculum ad penetrationem & mixtionem facilitandam serviens. Si quis fortè aut obstinacior, aut judicio hebetiori, ne sic quidem rem hanc percipere velit: respiciat sangvinem corporis nostri, ut in eo serum sit vehiculum, & quasi mediator, ac combinator reliquorum duorum principiorum, ut patet ex præparatione, & separatione ejus. Meritò enim tali exemplo hoc loco uti possumus. Suo verò loco demonstratione evidenti, atque infallibili ostendemus, qua ratione & reliqua duo principia, præter serum (quod mercurii vices gerit, & vel ex leni destillatione separatur) insint in sangvine. Sal, inquam, quod vires suas exerens, atq; prodens, tot diversorũ ulcerũ genera, aliosq; plurimos morbos procreat: præter portionem illã salis, quæ cum urinis per renes, atq; vesicam perpetuò transcolatur. Sulphur item, seu oleaginosus liquor in eodẽ sangvine ut insit, monstravimus. Quod sulphur exaltatum efficit exhalationes sulphureas, ut inflammationes, à quibus tot febrium differentiæ. Ita sublimationes mercuriales suscitant catarrhos, aliosque morbos mercuriales: Nec in sangvine tantùm,

ſed in ipſo etiã lacte, quod ex illo fit, vel cuivis manifeſtè patebit, tria prædicta principia ineſſe, ſi ſeroſam ſubſtantiã, mercurialẽ: butyroſam, ſulphureã: & caſeoſam, ſalſuginoſam, ſeu terreſtrẽ continere intellexerit. Sed nimis fortè hoc in loco de iſtis, cùm hæc materia nobis in aliũ locũ reſervata ſit. Porrò Chymici varia, atq; diverſa saliũ genera ſtatuũt, quæ ut in natura ſeorſim, ſic & in omnib. corporibus mixtis reperiũtur. Nempe ſal commune (quod ipſũ mare per ſecretos & intimos canales toti terræ cõmunicat) itemq; ſal gẽmæ, alumen cujus plures ſunt ſpecies, vitriolum, ſal armoniacum, & ſal nitrum, quod ſal petræ vocant. Inter hæc ſalia duo ſunt volatilia, atq; duobus liquoribus inſenſibili quadam ratione permixta: nitrũ nempe ſive ſalpetræ, & ſal armoniacum naturæ: nitrum quidem de ſulphure, oleoſoque rerum liquore participat, Armoniacum de mercurio, ſeu humore rerum mercuriali. Hæc autem prædicta ſalia (quæ in ſubſtantia terreſtri, atq; metallica reperiuntur) vegetabilibus etiam, radicum beneficio, communicantur, quæ cum ſemper exiſtant in terra, naturam potiſſimum ſalis fixi retinent. Et ea quidem ratione perveſtiganda eſt in radicibus ſalis fixi natura: quemadmodum etiam flores & folia plurimùm

mùm participant de duobus reliquis ſalibus volatilibus, quæ cum ſint ejuſmodi, facilè evaneſcunt, & pereunt, cùm flores, & folia flacceſcere, & exſiccari percipiuntur. At verò, quòd ex ſale fixo nutrimentum capiant, integræ ſemper virenteſque conſervantur: Ideoque validiùs & æſtatis ardori tabifico, & hyemis frigori mortifero reſiſtere poſſunt. Adde quòd & ipſarum radicum maxima pars altiùs terram penetret, quò faciliùs externas injurias perferre, ac propulſare queat. Inſtante autem verno tempore, cum cœleſtis calor, ſive Sol ſeſe nobis appropinquans, arietis ſignum ingreditur, radiiſque ſuis vivificis tellurem feriens, hanc excitat, ſinumque ſuum aperire cogit, ex quo tandem duo illa liqvida principia (de quibus ſuprà verba fecimus) profundit affatim. Liqvor quidem, ſeu vapor mercurialis, qui cum ſale armoniaco naturæ volatilis (admirabili quodam naturæ deſtillandi modo) elevatur ſurſum per radices, truncumq; ſub cortice aſcendens (quo quidem tempore facilis fit decorticatio) ſtirpes jam flacceſcentes, ac penè mortuas exuſcitat, vivificat, foliiſque viridibus adornat. Alia verò ſalis volatilis ſpecies nitro-ſulphurea, ſulphuri, oleoque naturæ volatiliori permixta univerſam terram vn-

dique diversis pulcherrimisque floribus investit; atq; exornat. Neque tamen propterea existimandum est vaporosum unum liqvorem, qui ex terra procedit, alterius non esse participem, cum sulphureus liqvor mercuriali, & mercurialis sulphureo non careat. Atque hæc est causa, cur in natura vegetabili, aliàs citiùs folia, aliàs flores, aliàs denique folia & flores simul & unà afflorescere percipiamus. Et magna sanè prudentia illa principia in res omnes dispensata sunt à natura. Experientiaque docet alias magis, alias minus de hoc vel illo participare. Neque enim facilè ex foliis oleum elicias, sed mercurialem liquorem abundè ex omnibus, at ex paucissimis aliquid sulphurei, seu oleaginosi. Ratio est, quia mercurius in iis dominatur, & eorum potissimum est nutrimentũ, principium, atq; fundamentum, ut diximus. Florum verò proventum urget liqvor sulphureus, sed hic non solus, & purus, sed cum portione aliqua mercurialis liqvoris, salis verò minimo immixtus: unde ex floribus & mercurium elicias, & sulphur, seu oleum magis volatile & salis minimum. At ex seminibus plurimum sulphuris fixioris, mercurii & salis ferè nihil. Causa est, quod seminibus, etiamque iis, quæ in magnis herbis mercuria-

ria-

rialibus, atque carnosis fructibus, ut pomis, pyris, cucurbitis, &c. latent, ortum & constitutionem potissimam præbuerit non sulphur volatile illud nitrosum & aëreum, sed sulphur verè oleaginosũ, & pingve, quodque medium tenet inter fixum & volatile. Sal verò in his quidem omnibus consistit, quippe maximè fixum, & necessarium principium est ad constitutionem & compactionem omnium corporum.

At in ligno, atque radice potissimum sal ipsum residet, non tanquam in suo centro, seu propria sede fixum (in terra enim principium ejus radicatum est) sed quia primò ei, atq; copiosissimè communicatum. Hinc postea multum in surculos & folia, minimum in flores, & fructus dispensatur. Unde ex foliis plerisque satis magnam quantitatem salis elicere licet. At ex floribus, & seminibus quàm minimum ad proportionem cæterorum.

Patet itaque, qua ratione tria hæc principia, vegetabilia omnia constituant, tanquam principia hypostatica, eaque producant, conservent, vegetent, & viribus diversis instruant. Patet etiam omnia quidem prædicta tria principia rebus inesse, sed de alio plus, de alio minus, ut jam in exemplo vegetabilium ostensum est.

Nullum itaque ex tribus illis principiis ſimplex, atque ſolum reperitur, quod non participet quoque de alio. Sal enim beneficio dictorum duorum ſalium, nitroſi & armoniaci, continet in ſe ſubſtantiam oleaginoſam,& mercurialem:ſulphur ſubſtantiam ſalsā & mercurialē : & mercurius ſubſtantiā ſulphuream,atq; ſalſam.Sed nomen unumquodq; retinet ejus de quo plurimum participat.Si tamen rem exactè conſideremus, deprehendemus cætera omnia à ſale tanquā principio firmo,atq; conſtanti promanare. Cujus ſanè natura meritò oculos noſtros attollat in cœlos, cum vel hinc & in inferioribus iſtis & naturalibus dilucidè admirāda,venerandaq; illa Trinitas in unitate lucens innoteſcat,& eluceat. Cùm itaq; principia illa hypoſtatica ſint, atq; inveniantur in naturæ rebus omnibus, nequaquā exiſtimandum eſt ſine ullo effectu,aut omni prorſus virtute ſpoliata ineſſe, quin potius contrarium ſtatuendum, firmiterque credendum ex his potiſſimùm promanare omnes rerum proprietates, qualitateſque virtuales. Nam quicquid ſapore præditum eſt, is ſi fuerit amarus, erit à ſale gemmæ. Talia itaque virtutem habent tergentem, evacuantem, ſeu ſpurgantem. Sic reliqua omnia quæ amaritudinem continent

talia

talia eſſe deprehenduntur, ut & ab iſta ſalis ſpecie illud habeant, & hujus beneficio inter medicamenta tergentia, atq; purgantia referuntur: cujuſmodi ſunt herbæ amaræ omnes, earumque ſucci: item omnia fella. Immò ſine his ne excretio quidem ritè in corporibus obitur. Natura enim per ductum cholidocon, quem vocant, ſubinde aliquid fellis in inteſtina egerens, expultricem excitat, ac ad excretionem ſtimulat, ipſumque per ſe etiam terget, purgat, atq; evacuat. Quod niſi fiat, quaſi ſepulta, & obruta expultrix jacet, nec quicquam boni inde ſperandum eſt: ſuccos autem amaros (ut & ipſa fella) eſſe de natura ſalis, facilè vel inde colligi poteſt, quòd fel ſæpiſſimè in propria veſicula in lapillos, aut ſal fixum congeletur. Ex amaris quoque herbis, ut abſinthio, centaurio minore, quod non malè fel terræ dixerunt Botanici, plurimum ſalis elicitur, uti norunt artifices. Ex fellibus animalium etiam fel amarum elicitur mirificè purgans. Quorum humiditas ſi evaporetur, aut diſſipetur, ut craſſiora evadant, ſubſiſtit in veſicula, & ductu bilario offarcto hæret, nec naturam ſtimulat. Sic ſal quoque eſt in urina, quod ſangvinem per venas emulgentes in renes, & inde per ureteres in veſicam, & inde rurſus per canalem

ad id dicatum expurgat. Sed quid iſtis inhæreo tanquam notis? In opio ipſo amaro quod tam inſigniter ſtupefactivum, & frigidum eſſe clamitant omnes, ineſt ſal amarum & nitroſum, quod ſi à ſulphure ſuo fœtido (cujus ſolius beneficio narcoticum eſt) ſeparaveris, inſigne purgans efficies. Ita ex centaurio, gentiana, ruta, fumaria ſeu fumo terræ, & ſimilibus omnibus egregia purgantia elicere norunt periti. Sal aluminoſum ſaporem rebus reddit acerbum: vitriolum adſtrictionem, ſeu ſtipticitatem: armoniacum aciditatem. Eorundem porrò ſalium diverſa mixtio diverſos parit ſapores: & id potiſſimum beneficio duorum ſalium volatilium, quæ omniũ optimè commiſcentur propter ſubtilitatem, atq; ſpirituoſam ſuam ſubſtantiam. Armoniacum, quod acidum, copioſius ineſt vitriolo rebuſque vitriolatis, quàm ulli alteri ſubſtantiæ ſalſæ, aut metallicæ. Sal enim illud acidum, ſeu aciditas illa, naturæ ejuſdem eſt fermentatio, & coagulationum diſſolutionumque rerum omnium cauſa, ut jam ſuprà paucis attigimus, & pluribus, atq; manifeſtiùs declarabimus alibi.

Ergo quæ ſunt ſtiptica, atq; extrinſecus colorem viridem, ſeu vitriolatum habent cum interna aciditate, & rubore quodam,

ut

ut apparet in granatis,berberis,& limonib. certum eſt ea id habere à vitriolo, & à ſale armoniaco acido naturæ:vitriolū n. extrinſecùs viret; & intrinſecùs ſi artificioſa anatomia facta inſpicias rubet. Sic quoque ex cortice prædictorum fructuum utpote granatorum extrahere licet ſubſtantiam quàm proximè ad vitrioli naturam accedentem. Et liquor qui ex illorum granis rubris elicitur aut ex limonum aut fructuum berberis ſucco, habet vim diſſolvendi perlas atque corallia perinde ac ſpiritus vitrioli: Hocque fit virtute ſalis armoniaci acidi naturæ, & per naturam mixti: ſed ita mixti, ut induſtria artificis ſeparari poſſit, ita ut tandem ſale illo armoniaco elicito, liqvor ille fiat dulcis & potabilis, ſalque ſeparatim remaneat,quod tamen denuò cum aqua fontanâ, vel quavis inſipida mixtum, illam reddat acidam. Aciditas illa ſeu ſal armoniacum ſpirituale non tantùm reperitur in vitriolo, ſed & in ſale communi,in nitro, immò in ipſo etiam ſulphure,ut & in omnibus rebus. Namque illa aciditas illud ipſum eſt, quod ſulphur coagulat, quod copioſè in eo reperiatur. Nam ſine eo ſulphur ipſum non unitum cohæreret, ſed fluidum eſſet, uti reliqui liqvores oleaginoſi. Idem ſal armoniacum

na-

naturæ nobis manifeſtatur per extractionem illam olei acidi, quod ex ſulphure elicitur: cujus natura longè eſt alia quàm dicti ſulphuris: tantum enim abeſt ut flammam concipere poſsit, ſedècontrà impedit etiam vel ipſummet pulverem pyrium aliàs ſclopetarium dictum, ne & ipſemet ab ignis contactu inflammetur, ut jam ſuprà dictum eſt.

Idem liquor æquè, atq; vero haud minùs, ac ſuccus limonum, berberis, aliúſve ejus naturæ diſſolvit perlas, atq; corallium, idque virtute diſſolutiva ejuſdem ſalis armoniaci naturæ quod continet. Idem, & ſimili prorſus ratione præſtat acetum. Quippe vinum (quod ſupra reliqua vegetabilia eſt de natura vitrioli, uti monuimus ſuprà) plurimum continet prædicti ſalis acidi naturæ. Hæc qui exactè perpenderit, promptè, & ex veris fundamentis diſſolvet quæſtionem de vera & genuina aceti qualitate, quæ quæſtio plurimos medicos doctiſſimos divexavit. Virtus quippe diſſolvens quæ in aceto apparet, vel ex eo quoque quòd terræ injectum velut bulliat, arguit ejus naturam eſſe prorſus calidam. Alii contrà frigidum exiſtimantes acetum, ſummum ſtatuunt remedium ad extingvendas, reprimendaſque inflammationes externas.

Item

Item ex gustu acido, quem omnino effectum frigiditatis autumant, atque adeò ex eo, acetum frigidum esse concludunt. At verò hæc controversia facillimè tolli potest ab iis qui habent cognitionem perfectam salis armoniaci naturæ, quod acetum continet in se. Hoc enim sal, vera est causa virtutis ejus dissolventis. Quoniam autem idem sal vim habet coagulandi spiritus, & dissolvendi corpora, iccirco efficax est, atque remedium singulare ad inflammationes tum internas, tum externas. Etenim coagulat exhalationes nitro-sulphureas, quæ inflammationes illas excitant. Nam ex solis spiritibus, sive nitrosis, sive sulphureis ex sale nitrosulphureo seu tartareo corporis nostri emersis, atque in evaporationes elatis ejusmodi ardores, atque symptomata febrilia efflorescunt. Id quod non efficitur dum illi spiritus in propriis corporibus seu fœcibus tartareis adhuc colligati, & quasi in iis sepulti jacent. Quod si manifestiùs cognoscere voles vim corrosivam, atque inflammantem dictorum spirituum, respice ad aquas fortes communes (quæ nihil sunt aliud, quàm spiritus nitri, atque vitrioli) quas videbis dissolvere argentum aut aliud quodvis metallum solidissimum. At si vel centum libris vitrioli,

& nitri, (ut ſunt in ſua natura, atque corpore) addas unicam tantum unciam argenti, hoc tamen non diſſolvent unqvam. Patet igitur vires ejuſmodi violentas ineſſe tantùm ſpiritibus à corpore ſuo ſeparatis, evaporatis, vel diſſolutis: quas vires nullo medio tutiori auferes, atque ſupprimes, quàm ſi rurſus ſpiritus illi incorporentur ac coagulentur. Hoc autem præſtat ſal illud armoniacum acidum naturæ, quod in aceto ut & in omnibus rebus aciditatem habentibus ineſt. At ſunt fortè, qui proprio nos jugulaturos gladio exiſtimantes, eodem exemplo à nobis allato inferent, ejuſmodi eſſentias à Chymicis paratas ferè omnes eſſe ſpirituales, & per conſeqvens remedia violentiora naturæ, quàm par ſit: nec ſatis tutò proinde poſſe exhiberi. His ita reſponſum velim: Non eſſe eandem rationem, ac proinde concluſionem ineptam. Nam ſi vel ſpiritum vitrioli, aut ſalis petræ aſſumamus, qui verè ſunt ſpiritus participantes de igne terreſtri: eos tamen aut dulcorari, atq; familiariores naturæ reddi poſſe aut certè miſceri cum juſculis, aut liqvore aliquo cõvenienti. Tum gratiſſimos futuros, hoc eſt, ſapidiſſimos, atq; benignos, non ſine inſigni interim virtute, atque efficacia. Quin ipſe quóque limonum ſuccus per ſe ſolus copioſè exhibitus ſtomacho nocere poteſt. Qua-

propter vel cum liqvore aliquo, vel cum saccharo commiscere, & in syrupum, vel julepum redigere solemus, ventriculo non minùs utilem, quàm gratum. Sed notior est hodie virtus spiritus vitrioli, atq; à probatissimis diversarum regionum medicis commendatus, quàm ut ejus dignitati ac laudi quicquam detrahere possint ignari. In Gallia præsertim nostra jam passim audio celebrari à pluribus ad ardores, & febres extingvendas. Et meritò sanè. Est enim & ad has, & ad alias plurimas etiam contumacissimas ægritudines singulare remedium, uti suo loco tradetur, sed à medico experto exhiberi par est: non ab empirico, aut tali aliquo qui mortes (ut cū Plinio loqvar) per sua experimenta facere consvevit.

Porrò spiritus acidus ex solo nitro, aut sulphure (inter salia metallica) elicitus, ejusdem est naturæ, atque proprietatis. Nam & hi haud minus, quā ille conducunt ad extingvendas cujuscunq; generis febres, idq; virtute sua coagulativa, qua sulphureos, & excandescētes illos nostri corporis spiritus domant, atq; coagulant. At rursus nos multa reprehensione dignos judicabunt alii, quod suprà diximus, unū idemq; sal armoniacū acidū esse virtutis dissolventis, atq; coagulātis: qui cū effectus sint cōtrarii, ab una

ea-

eademque causa procedere neutiquam possunt, juxta commune dogma philosophorum. Sed rectè istud à nobis dictum est: & ita dictum volumus: Ac dicimus denuò sal istud armoniacum naturæ acidum, de quo loqvimur, & dissolvere corpora, &, quod magis est admirandum, coagulare spiritus: immò, quod omnem prorsus superet admirationem, in media etiam flamma. Ac de dissolutione non maximoperè à nobis istud probari necesse est, cùm illud constet vel mulierculis harum rerum studiosis. Spiritus namque vitrioli (ut hoc addam propter ignaros) aut sulphuris aut nitri acidus, benè præparatus, atque ab omni terrestritate separatus, vel in vola manus, dissolvit corallos, atque perlas. Ex qua dissolutione insigne remedium paratur ad fluxus hepaticos, lientericos, dysentericos, ubi hepar opus habet prompta corroboratione. Sed ritè parentur necesse est secundùm formulas infrà à nobis descriptas. Eadem planè dissolventia parantur ex succis limonum, granatorum, berberis, ribes, debitè, ac convenienter depuratis à fœcibus suis terrestribus, quæ dissolventem facultatem non parum impedire solent. Nec minùs idem præstat acetum optimum destillatum. Hæ namque omnes

sunt

ſunt aciditates armoniacæ, ſeu vitriolatæ, ac perinde vim habent diſſolvendi iiſdem rationibus uti dictum eſt.

Sed de contraria hujus aciditatis facultate, contrarioque priori effectu coagulante, (quem harum rerum ignari mirabantur) nunc à nobis verba fieri tempus ſvadet, & ratio. Quamvis nec in his magno opus ſit ingenio, aut multijuga veſtigatione. Nam vel mediocriter in arte ſpagyrica verſati, atque vix ſemeſtres quidam Chymici, aut ipſi etiam vulgò pharmacopœi iſtud norunt, & viderunt in præparatione (quam vocant) mercurii, ſeu argenti vivi vulgaris. Cujus liqvorem ac fluidam naturam nulla frigiditas exterior, nullũ gelu elementale, quantum quãtum tandem fuerit, congelare poteſt, aut fixum reddere. At ſi cum ſolo vitriolo mediocriter calcinato ſublimetur, fiet, ut mercurius, qui coagulationem, tanquam perfectionem ſuam appetit, virtute quadam magnetica (ſicut apicula roſcidum illum liqvorem ex floribus, ut inquit Ripleus) attrahat in ſe illud ſulphur, aut ſal armoniacum naturæ acidum fitque ejus beneficio ex fluido, ſolidus, ut & facillimè manibus contrectari poſſit. Qua in forma conſtitutus vulgò ſublimatum appellatur. Sed, ut perfectior evadat, artifi-

ces majorem curam adhibentes, addito huic novo vitriolo, reiterant sublimationes, ut denuò ejus sale armoniaco naturæ imprægnetur. Ita tandem solidus evadit, & lucidissimus instar vitri alicujus Chrystallini. Venetorum Philosophi Spagyrici hunc mercurium ita præparatum, possunt rursus exuere suo coagulato, seu sale armoniaco naturæ acido. Nam aquæ injectus eam omninò reddet acidam, quod proprium est omnium salium. Quo facto, mercurius suo acore coagulante spoliatus, redit in pristinum statum, fitque rursus ex fixo mobilis, & fluxus: Sed perfectè depuratus; nec ampliùs mercurius, seu hydrargirum illud vulgare, sed mercurius philosophorum.

Iam verò, si aqua prædicta exaletur, ut restet tantùm liqvor acidus similis spiritus vitrioli habetis liqvorem quovis spiritu vitriolato excellentiorem ac verè spiritualem. Sic pro magno veneno, quod admixtum erat mercurio (quod tum nihil erat, quàm quidam quasi ignis terrestris corrosivus) nunc habebis verum spiritum vitrioli, cujus major pars eaque melior evaporat, consumitur, aut deperditur, si modo, & ratione, qua solent vulgò, igne illo magno, & violento per retortam extrahatur. Talis spiritus ea ratione, qua dictum præparatus, ingens est specificum, solus domator epilepsiæ,

psiæ, si non ab ignaro empirico, sed à medico, uti par est, cum licore aliquo appropriato administretur. Atque hæc est una probatio virtutis coagulantis mercurii. Eadem ejus vis coagulativa manifestè apparet in præparationibus, quas præcipitationes vocant, quæ fiunt cum spiritibus acidis vitrioli, atque sulphuris, quorum beneficio in pulverem redigi potest, quod non facilè fit ab igne. Sed, ut constet hanc coagulandi potestatem armoniaci acidi naturæ non tantùm esse in mercurium, (in quem hanc vim exercere potest, neutiquam verò in spiritus nitrosulphureos corporis nostri, cum quibus argentum vivum nullam habet sympathiam, atque convenientiam) ostendemus illud alia quadam demonstratione manifesta, atque verissima: uti constabit experiri volentibus: eoque simul experimento docebo non minùs excellens remedium ad gangrænas, & omnia ulcera cancrosa, & phagedænica, nisi suspectum sit, quòd intra corpus assumatur propter urinam ingredientem. Accipe urinam pueri, aut adolescentis vinum bibentis, bonam quantitatem: depuretur secundùm artem: cui adde vitrioli Romani, aut Hungarici (his enim melior fiet operatio) duplum. Pone, ad digestionem in B. M. tepido per

ſex vel octo dies, in uno, aut diſtinctis alembicis vitreis. Nam multa opus eſt materia. Hac digeſtione peracta augebis ignem balnei, ut bulliat aqua. Mox impoſito capitello, adhibitoque recipiente deſtillabis aquam. Ac ea quidem, quæ primò exibit erit inſignis aqua ophthalmica. Secunda priori paulo acrior, ad dolores podagricos tepidè cum linteolis applicata confert. Eſtque hæc una antipodagricarum mearum. Perge ita urgendo calorem balnei, aut etiam per cineres calidos, donec materia in alembici fundo reſtet inſtar mellis. Quam poſtea infundes in vas ferreum, & adhibito igne ſpatula ferrea continuò agitabis, ne adhæreat: hocque euſque continuabis, donec omnis liqvor vi ignis exhalarit, & reſideat ſolum ſal vitrioli, atque urinæ in fundo ſiccum, & in maſſa quadam. Hanc pulveriſatam in cornutam benè lutatam immittes adhibito amplo recipiente optimè ſignato, ne ſpiritus exhalare poſſint: admove ignem vehementem, quali opus eſt ad parandam aquam fortem, aut ſpiritum vitrioli. Sed tamen ita moderandus eſt ignis per gradus, donec ad ſummum perveniat, uti ars poſtulat. Et videbis tandem recipientem impleri ſpiritibus albidis undiq; qui in ſummo illo calore, tanquam in nubi-

bus

bus aëris, congelabuntur in glacies quaquaversum per recipientis capacitatem dependentes. Haud secus sanè ac præ ingenti frigiditate hyemis, & aëris, nubes, atque vapores in nivem glacialem seu squammulas congelatas arboribus adhærescentes conspicimus: ita spiritus hi salis, ignis non frigoris vehementia, concrescunt in glaciales illas particulas, & quasi in media etiam flamma. Sic duo hi prædictorum salium, vulgò philosophis pro calidissimis habitorum in glaciem congelantur per virtutem coagulativam salis armoniaci acidi naturæ, quem in se continent. Hæc glacies adservari potest in modum salis nitri. De qua, si scrupulum unum, aut dimidium exhibeas in jusculo, vino, aut liqvore convenienti, ingens erit remedium ad omnes obstructiones hepatis, atque lienis. provocat urinas, & est specificum remedium ad dissolutionem calculi. Eadem glacies redacta in aquam (nam convertitur facilè in humido) insigne atque præcipuum est remedium ad inflammationes & gangrænas, quas subitò extingvit. Ex hac tam pulchra atque nobili experientia, omnis verus philosophus ac medicus argumentum eliciet ulterius philosophandi atque investigandi, quàm solet vulgus: sicque certiùs disquirere pot-

erit de causis coagulationis calculorum, qui ex iisdem salibus aut tartarea materia in diversis partibus corporis nostri procreantur. Idem sagaciùs inquiret in alios plures morbos qui fiunt ex coagulatione prædictorum spirituum acidorum aut vitriolatorum, vel ex evaporationibus aliorum salium acerrimorum, à quibus inflammationes & dolores podagrici efflorescunt, atque tandem tophi, ex virtute interna condensantium prædictorum spirituum. Ex his quoq; facilius patebit remedium mitigandi, atque artificium dissolvendi ejusmodi calculosa, si attendamus & consideremus diligenter in quo latitet virtus illa acris, atque dissolvens, in quo item proprietas coagulativa dictorum spirituum.

Eadem contemplatio occasionem subministrabit inquirendi in diversa meteora, quæ fiunt in microcosmo, homine, inquam, ex continuis illis vaporibus atque exhalationibus, quæ ex inferiori ventre, (quem meritò cum terra comparaveris) in aëream, hoc est, superiorem corporis nostri regionem, cerebrum, inquam, sublevantur. Ita patebit ex solis vaporibus mercurialibus in nubes à cerebri frigiditate condensatis, nec digeri, aut dissipari ab eo potentibus: modò pluviæ moderatæ ac simplicis specie,

mo-

modò densissimarum nubium aut catara-ctarum in modum descendere:unde catarrhi mites, aut violenti, quos suffocativos nuncupant, quòd materia uno quasi quodam impetu in partes vitales procumbat. Deniq; ex iisdem contemplationibus hauries verâm originem ventorum, grandinum, nivium, à quibus tinnitus aurium, paralypseis, apoplexiæ, & similes morbi, à vaporibus mercurialibus condensatis excitantur. Quorum sanè morborum causa non tantùm, quod vulgus facit, ad frigiditatem referenda: sed etiam respiciendum ad aciditatem hanc salis vitriolati, quæ vaporibus illis mercurialibus permixta, eosdem repente, & quasi de improviso coagulare atque conglaciare potest, unde apoplexiæ, & ejusmodi morbi producuntur. Nam vel exemplo è corpore nostro exprompto, hoc est, urinæ, facilè patet, qualis istis humoribus mercurialibus acido sale permixtis insit vis coagulandi. Quapropter hoc simpliciter nobis concedi necesse est, quod diximus, sal armoniacum naturæ acidum habere vim dissolvendi corpora, & coagulandi spiritus, ut in prædictis experimentis aliunde explicatum est.

Sed erit fortè sciolus quidam nasutulus, & qui vix ac ne vix quidem limen philoso-

phiæ salutaverit, qui magna confidentia nullo pudore (ut non ita pridem à quodam sesquiasello, temeratissimi interim ingenii, homine factum) contra nos insurgere & occlamare ausit, in corpore nostro haudquaquam reperiri naturam vitriolatam, aut tale aliquid simile. Sed hunc, aut ejusmodi homines sufficienter & æquanimiter (si discere non recusaverint) illud docebimus in opere nostro de recondita rerum natura, artisque perfectione: ubi & hoc, & plurimas alias utiles, & vero medico necessarias quæstiones declarabimus. Sed ne vel hîc sicco pede prætergressi videamur, tribus tantùm verbis dicam. Primò omnium exactè considerandum svadeo, quis sit ignis ille naturæ, quis sit ille coctionis cibi in ventriculo author, qui eundem dissolvit atque immutat, & tam exiguo quidem tempore, quod nec aqua bulliens, nec ignis elementaris quidem præstare possit, vel longo. Rursus considerent quæso causam famis caninæ quæ tam promptè consvevit omnem cibum in ventriculo consumere, ut ne terminum quidem, aut spacium legitimum naturæ concedat nutriendi sui: unde fames ista insatiabilis. At ex vulgi opinione dicet aliquis hoc fieri ab humore quodam acido & melancholico, qui lateribus in-

injectus interdum ebullit haud aliter ac fortissimum acetum, vel potiùs sicut oleum vitrioli, aut aliud simile quiddam devorans atq; dissolvens. Enimverò sanè si aciditas illa diligentiùs fuerit considerata, & per anatomiam philosophicam inspecta, à bonis & candidis facilè judicabitur, non ineptiùs dici vitriolatum, quàm melancholicum. Quinimò longè etiam meliùs: cùm melancholia talia nec possit, nec præstare soleat, nisi per aciditatem suprà dictam. Hac enim loqvendi ratione, longè meliùs exprimitur virtus dissolvens, reliquæque proprietates, quod facilè patebit ei, qui examussim omnia consideraverit. Et quid prohibeat tandem vitriolatas ejusmodi facultates, vel humores appellare, cùm constet omnibus suis proprietatibus atque viribus ad naturam vitrioli accedere? Nimirum liberum est, & concessum vulgò medicis bilem appellare æruginosam, vitellinam, porraceam, propter affinitatem rerum, à quibus ista nomina mutuata est: Eccur igitur non & nobis integrum sit idem faciendi, & humores vitriolatos appellandi, quòd de natura vitrioli participent? Sed redeamus ad meteora quæ fiunt in corpore nostro: & jam locuti sumus de iis, quæ excitantur à vaporibus liqvorum mercurialium, quæ

cum aqueis similitudinem habent, atque etiam cum iis, quæ ex meris terræ vaporibus fiunt in macrocosmo. Restat nunc, ut etiam de aliis aliquid tradamus. Quemadmodum igitur exhalationes sulphureæ, nitrosæ, vel antimoniales ex terra in aërem atque nubes sublevatæ, causant meteora ignita, ut fulgura, fulmina, tonitrua, cometas, & his similia: Ita quoque in corpore nostro à fumis atq; evaporationibus fuliginosis ex sangvine retorrido & adusto, atque à tot tamque diversis tartareis sulphureis, atque nitrosis (quibus viscera nostra scatent) effumationibus excitatis, similia producuntur meteora. Ejusmodi quippe materiæ fuliginosæ, vel in ipsis hypochôdriis, à ventilatione præpedita æstuantibus, subortæ, vel à calore immodico & febrili excitatæ, tandem efferuntur & sublevantur in cerebrum atque ignita in eo suscitant meteora, manias diuturnas, phrenitides ardentes, melancholias pertinaces, deliria, dolores capitis, epilepsias, & id genus plura. Horum quædam, ob materiæ fuliginosæ tenacitatem, aut copiam longo tempore durant, uti mania: quædam citiùs finiuntur, ut phrenitides: quædam ferociùs hominem exercent, quædam mitiùs, nempe prout materiæ prædictæ fuliginosæ, vel plus, vel

mi-

minùs fuerint acres, abundantes, adhærentes, salsæ, sulphureæ, aut talis ejusmodi qualitatis magis, vel minùs inflammabilis, vel quacumque alia ratione noxiæ. Est enim magna istarum materierũ fuliginosarum diversitas: Haud secus sanè, ac ipsorum etiam lignorum combustorum differentes fieri fuligines videmus, nempe alias tenaces magis, alias salsas, sulphureas, & ejusmodi diversitates. Eadem diversitas etiam apparet in separatione spirituũ tartareorum cerevisiæ, defrutorum, vini, hydromelitis & similium potuum, quorum diversitas, vel ex odoribus nares ferientibus abundè manifestè apparet. Ita in salibus quoque, sulphuribus, & oleis, quæ destillantur vaporũ diversitas (qui nihil aliud sunt, quàm spiritus à diversis materieb. tartareis producti) satis manifestè declarat. Horum namque alii sunt acuti, alii acidi, alii mordicantes, alii fœtidi, alii odorati, quidam tantæ acrimoniæ, ut vel solo odore ferientes cerebrum, moveant successiones, & sternutationes extraordinarias, aut alia quacunque ratione oblædunt cerebrum, vel obfuscando spiritus, aut obtundendo, & conturbando: vel sulphureis illis fumis, aut narcoticis, quales ex plurimis carbonibus excitari solent, sopiendo: ut videre est in plu-

plurimis,qui ejuſmodi carbonibus aſſidentes quodammodo lethargici evadunt, aut quomodocumque cerebro vehementer perturbato. Eædem conſtituendæ differentiæ in antimonialibus, arſenicalibus, & mineralibus humoribus, vel vaporibus, idque ex eorum effectu,vel ſceptico,vel certè cauſtico, quod prædicti fumi continent beneficio ſalis. Tales acres fumi plus ſatis ſæpè oculis noſtris innoteſcunt, quibus & dolores, & inflammationes, & fluxiones acritudine ſua accerſunt,noſque ſæpè,ceu altera quædam Xantippe aut fœmina rixoſa perturbatrixq; è domo noſtra expellunt & arcent. Hinc ex ea fumorum diverſitate diverſa ſuboriuntur ſymptomata,diuturnitate, malignitate, atque vehementia magis, vel minus infeſtantia, idque pro natura mineræ, atque conditione qualitatis, vel quantitatis exhalationum, & earum ſubſtantiarum, quæ cum iis ceu vehiculo quodam ſublevantur. Rurſus quoque videmus in viſceribus terræ microcoſmi non minùs quàm macrocoſmi, in ventribus, inquam, eoſdem ferè effectus fieri meteororum, tam aqueorum, quàm igneorum. Exemplo ſunt tympanites, hydrocele, itemque flatus ab infarctibus incluſi, viſcera & partes internas concutientes, quæ omnia ven-

ventos, pluvias terræque motus præclarè repræſentant: Aquæ verò intus aut inter cutem, mare, flumina, fontes, & rivulos. Deniq; & ignita meteora variè fiunt etiam in homine ab exhalationibus ſpirituum nitroſorum, & ſulphureorum, qui inflammati, tot febrium excitant diverſitates, tot inflammationum. Naſcuntur etiam in homine diverſæ ſubſtantiæ metallicæ, ut arenæ, lapides, ſeu calculi, qui in variis viſceribus, atque capacitatibus ventriculi, fellis, quique in ſplene, hepate, inteſtinis, articulis, ac in ipſis etiam pulmonibus, atque cerebro procreari ſolent, ut alibi fuſiùs oſtendimus, quamvis freqventiùs id eveniat in renibus atque veſica, in quibus partibus ſunt mineræ omnium fertiliſſimæ. Sed & ſucci concreti (quos vocant) gignuntur in humano corpore: ut diverſa ſulphuris genera, ſaliumque præſertim plures differentiæ, vitriolata, aluminoſa, nitroſa, gemmea: ſal gemmæ, aut ſal commune ſalſum, efflo-reſcit in pituita ſalſa: ſal armoniacum acetoſum, in pituita acida, itemque in quadam ſpecie melancholiæ acidæ: ſal vitriolatum æruginoſum, in bile æruginoſa: ſal aluminoſum pungens, & ſtipticum, in pituita vitrea, ejuſdemmet qualitatis prædita: ſal nitroſum amarum in bile amara: urinæ quin-

etiam

etiam penitùs nitrosæ materiam nitro simillimam repræsentant: reperiuntur & in microcosmo, perinde ac in macrocosmo, plures aliæ salium differentiæ: sal saccarinum in dulci pituita:itemque sal arsenicale & scepticum in humoribus malignis & pestilentibus. Ex quorum salium resolutionibus, sed maximè stypticorum, fiunt quædam species colicæ, quæ tandem in contra-ćturas degenerant. Ex corrosivis distincta dysenteriarum genera oboriuntur: ex acribus & salsis, ardores urinæ: ex acetatis orexes ventriculi: ex arsenicalibus authraces, carbunculi, itemque ulcera cancrosa, phagedænica, dysepulotica & similia. Ex eorundem verò coagulationibus fiunt arthritides, calculi, scirrhi, & varia obstructionū genera, prout ipsæ tartarorum, saliumque, quæ in corpore nostro gignuntur naturæ evariant. Sed ut prædicta omnia explicentur meliùs, & clariùs appareant etiam ad sensum (cum ex his emenda sit vera exactaque cognitio causarum morbificarum, qua sine frustra remedia quæruntur, aut adhibentur) subjiciemus quasdam demonstrationes manifestas, & ad sensum patentes. Sed breviter, cum ampliorem specialioremque istorum tractationem reservaverimus ad opus nostrum de recondita rerum natura, &c.

No-

Notum est, & in confesso omnibus, vel edicto summi medicorum dictatoris Hippocratis, corpus nostrum constare ex continentibus, contentis, & impetum facientibus: Continentia sunt partes solidæ, atque firmiores, ut ossa, cartilagines, ligamenta, carnes, quæ continent, & quasi coërcent partes molliores. Contenta rursus in duplici sunt discrimine: quædam sunt impetentia, exhalantia, impellentia, seu impetum facientia: (ut loqvuntur medici) quædam humectantia, effluentia. Prioris generis sunt spiritus balsami nostri radicalis, quos spiritus innatos vocant, sive pari alicui infixi hæreant, seu per universum corpus divagentur, generati ex substantia purissima, atque spirituali liqvoris sulphurei, & salis alimentorum vitæ nostræ. Spiritus rursus subdividunt in naturales, in vitales: atque in animales. Hi omnes vel genuini sunt, atque puri, vel impuri & fœculenti. Illi profectò naturæ sunt purissimæ, atque adeò æthereæ, & vitæ conservatores. Hi crassi, atque impuri ad illos collati, obnoxii alterationibus, quippè qui de impuritate fœculenta mercurii, atque liquorum salis, & sulphuris alimentorũ, plurimum participant: Ex quibus principiis nos constare suprà docuimus. Humectantes partes sunt

li-

liqvores mercuriales, aut id, quod vulgò humores nuncupant, tam naturales utiles, & nutrientes, qui retinent aliquid de ſpiritu vitæ, quàm inutiles, & excrementitii. Effluentia ſeu exhalantia ſunt halitus, quo nomine & vapores, quorum ſuprà meminimus complectimur: quæ nihil ſunt aliud, quàm vel deſtillatio, & evaporatio illa humida, ſublata ex parte aquoſiori rerum humoralium ſeu mercurialium: vel exhalatio ſicca rerum ſulphurearum aut tartarearum atque ſalium corporis noſtri. Et tales exhalationes nihil quoq; aliud ſunt, quàm fumi, fuligineſque ſpirituales, ſed excrementoſi, ideoque ſuperflui. Nam præter primas illas ſeparationes, quas natura facit ex parte alimentorum craſſiori, & impuriori, per excretiones fœcum ordinarias: adhuc etiam in chylo, ac in ipſo ſangvine humorum nobiliſſimis, ſunt quædam impuritates ſuperfluæ, quas proinde natura ſeparat. Ergo per evaporationes ſeparantur ſuperfluitates humidiores, & eæ tantùm, quæ in tertia concoctione ſeparantur, quæ aſſimilari nutriendis partibus nequiverunt. Quapropter à natura expelluntur per ductus inſenſiles, poros inquam cutis, ut liberiùs perfletur, & ventiletur ab aëre calor noſter naturalis, aut cordis fervor.

Super-

Superfluitates halituosæ quoque æquè participant de ſicco atque de humido: hoc eſt, his quæ ex materiebus ſulphureis, ſalſis, atque liquoribus mercurialibus exhalantur, atque evaporantur. Quarum quidem pars tenuior, & halituoſior per inſenſiles tranſpirationes: aquoſior per ſudores: ſordidior verò, atque ea, quæ maximè eſt fœculenta cutis ſuperficiei obhæret. Quod ſi verò jam ejuſmodi exhalationes fuliginoſæ retineãtur in corpore noſtro, (id quod vel propter frigus ambiens adſtrictionemque cutis, vel propter locorum aut ætatis rationem, victus rationem intemperantem indeque enatam diſpoſitionem, aut cutis denſitatem ſimiléſve occaſiones accidere ſolet) tum fieri nequit, quin ejuſmodi corpora infinitis propemodum morbis aliis (præter eos, quos in meteororum aëreorum, atq; terreſtrium microcoſmi claſſem retulimus) fiant obnoxia.

Notandum verò etiam hoc loco, in omnibus iſtis evaporationibus, exhalationibuſque ordinariis, exhalare etiam aliquid ſubſtantifici nectaris vitæ noſtræ, vel balſami radicalis ſpiritualis. Quæ exhalatio, ſi fiat lentè, & abſque omni violentia, vel vi quacunque, ſed continuatione quadam ſpontanea & naturali, protrahitur ætas noſtra

ſtra pedetentim interim declinando ad extremam uſque ſenectutem, donec omnis aqua vitæ naturæ oleúmve radicale (quod lampadi vitæ noſtræ fomitem præbet) ſuffocetur, aut extingvatur defectu aëris, & humidi radicalis, quo fovetur & ſuſtentatur. At ſi exhalatio illa fiat vi, vel præcipiti violentia, (ut accidit in febribus colliquantibus, ardentibus, & affectionibus, atque commotionibus vehementiſſimis ſpirituum corporis noſtri, ut doloribus atrocibus, extremis atrophiis, lypothymiis freqventibus, ſyncoparumq; incurſu vehemēti, aut his ſimilibus ſymptomatis) certè ante ſenectutem præveniri, adeoque lampadem nectarei illius olei vitæ noſtræ ſuffocatione extingvi neceſſe eſt. Hinc mors præmatura plurimorum, & quodammodo violenta; violentiæ tamen cauſâ, ab occaſione interna obortâ.

Quoniam autem apprimè conducit, & neceſſarium eſt ut rectè intelligantur ea quæ de naturis in nobis contentis, (hoc eſt, impetum facientibus, humectantibus, &c.) modò dicta ſunt: maximè verò, cum ex iis deveniamus ad cognitionem ſpirituum noſtrorum, & humoris noſtri radicalis, vel nectaris vitæ, itemque ad cauſas conſervationis, prolongationis, deſtructionis, abbre-

breviationisque vitæ nostræ: iccirco eadem omnia jam declarabo exemplo, quo ad certam perfectamque earum rerum cognitionem quivis attentus pervenire queat. Nec magni hîc facimus præsumptiones, rationes probabiles, vel etiam authoritates, sed demonstrationem nostram in ipsis sensibus fundabimus, ut & ea quæ à nobis dicta sunt, & videri, & palpari possint. Cui si quis porrò obstinatiùs contradicere non erubescet, illud Averrhonis si bene memini, occinemus: Plus valet unica experientia, quàm plures rationes. Experientia autem fit sensu: & qui sensum negat ille pœna sensus (ut ne quid gravius dicam) dignus est. Quid? quod ipse quoque Aristoteles omnis demonstrationis, etiam illius τοῦ διότι fundamentum in sensu esse dixerit, quis huic porrò repugnare audebit?

Ergo exemplo rursus assumamus vinum, cùm & illud exempli loco sumpserimus suprà. In hoc quàm quæso, apertè, quamq; manifestè apparet, ejusmodi separationes, & excrementa fieri? & propria quidem sua natura hoc facit, ut tantò facilius ex analogia hac quam habet cum nostro sanguine constet natura alterutrius, atque utriusque. Ex depuratione enim vini cognoscimus anatomiam vitalem nostri san-

gvinis: ex eadem innotescit quinam sint spiritus nostri innati, ætherei, ut & calor noster nativus, & humor radicalis: quæ duo corpus nostrum fulciunt, vitamque tuentur, & quorum adminiculo alter alterius opus habet: cùm humidum illud radicale sit pabulum ac fomentum caloris, atque idem hic calor illius humidi beneficio subsistat. Ita hæc duo undique spiritu perfusa, & quasi connexa, diffunduntur in omne corpus. Eodem hoc exemplo innotescet distinctio humiditatis vitalis nutrientis, ab inutili, & excrementosa. Denique constabit in effluentium genere, quænam sint humida, & quæ sicca; quæ ex iis naturæ nostræ obesse, aut prodesse possint. Ex qua quidem sangvinis anatomia plus proficiet (ut ego quidem arbitror) docilis lector, eo ipso, quòd & humores illos quatuor, ex quo sangvinem constituunt, referamus & certa quadam analogia conferamus. Sed ad rem tandem accedamus. Quando igitur vinum paratur, uvæ torculari primùm exprimuntur racemi. at pelliculæ & acini separantur, abjiciunturque. Mox sordibus, & recrementis inutilibus, partim hominum industria, partim ab ipsiusmet vini natura rejectis: Vinum in cados infunditur, atque dolia. In his digestione facta atque ebul-

bullitione, simul etiam fœculentas illas crassioresque superfluitates suapte vi separat atq; ejicit. Quo facto, vinum iam ferè factum est, & potui aptum, atque nutritioni. Prima illa vini artificiosa præparatio (quæ vinaciorũ separatione, & expressione fit) nobis repræsentat quodammodo præparationem frumenti, in qua & farina, & palea separata, reliqvum in farinam conteritur, ut nutritioni magis fiat idoneum: ita in ore nostro prima fit separatio carnium ab ossibus, & talium ejusmodi. Expressio autem fit ore, atq; dentibus: mox masticatione ritè peracta cibus in ventriculum devolvitur. Hæc est prima nutrimenti nostri præparatio analoga cum prima illa vini atque frumenti: respondetque id, quod stomacho committitur, ei vino, quod in dolia primùm infunditur, & farinæ jam factæ. Deinceps ergo in stomacho altera fit naturæ operatio: Illud enim quod concipit stomachus concoqvit, digerit, hoc est omnis generis simul mixtos cibos, sicut vinum in suo dolio, aut aliud quodvis genus potulenti, ex melle, fructibus, hordeo, aut aqua, cui varia incoxerint, parati. Stomachus itaque dolium illud naturæ est, in quo non tantùm ei demandata materia coqvitur, atq; digeritur, sed ab ea quoque separantur fœces

tartareæ, & quicquid in eo eſt excrementitii per ductus à natura ad id deſtinatos. Tandem multa purificatione peracta ſangvis fit depuratus, rubeus fons & origo ſpirituum vitæ noſtræ: haud ſecus, ac vinum ritè purificatum cæteris ferè, quæ nutritioni, ac reſtaurationi vitæ noſtræ deſerviunt, præfertur. Sed pergamus.

Ex hoc vino arte & vel leviſſimi caloris interventu per vaſa circulatoria, ut vocant, extrahitur ignis naturæ, quem comitatur humidum radicale:nempe aqua vitæ, ignea prorſus, atq; ætherea,ac verè eſſentia quinta, tota ſpiritualis, & naturæ ferè incorruptibilis. Simili prorſus ratione, beneficio ignis naturæ, & per circulationem quæ à calore cordis atq; hepatis fit, elicitur ac generatur in nobis ignis ille vivificus, ſtipatus atq; fotus proprio ſuo humore unctuoſo & radicali, qui eſt aqua vitæ, ac verum atque vivificum illud nectar, quinta eſſentia, & ſpiritus æthereus ferè, incorruptibilis fautor atq; conſervator vitæ noſtræ. Illud etiam in prædicti vini operatione notandum hîc obiter occurrit, quodque animadverſione quidẽ & admiratione dignum eſt, nempe quòd duo tréſve ſolùm carbones accenſi ſub ampliſſimo vaſe, ſeu cacabo impoſiti (quod viginti, vel plures vini heminas con-

tine-

tineat) calefaciunt ipſum vinum, viniq́ue ſpiritum ad deſtillandum promovent: cùm ex illo minimo calore, vel multo minor aquæ portio vix tepefieri queat. Sed quod admirandum magis aut notatu dignum eſt, dũ ille vini ſpiritus per colvurina, ut vocãt, nempe per canales aut fiſtulas æneas oblõgas & retortas, ad hancq́ue deſtillationem aptas tranſcendit, eas, ut & ingens aquæ frigidæ plenum dolium, & ab igne ſatis remotum (in quo prædictæ fiſtulæ manent) adeò calefacit, ut vix quis manum admovere queat. Quod ſanè ingenti calori, quem vini ſpiritus per prædictas fiſtulas tranſiens aquæ frigidæ impertit, tribuendum eſt: nam dum totus extillarit vini ſpiritus, etiamſi ſub prædictum vas ignem multò vehementiorem adhibeas, calorem tamen illius aquæ in dolio contentæ ſenſim extingvi & refrigerari percipies. Quod ſanè nobis in mentẽ inculcare debet, quænam ſit caloris noſtri emphyti ſeu ſymphyti proxima cauſa & origo: quippe hic calor ex continua & perenni circulatione ſpiritus vivifici ſangvinis noſtri in nobis excitatur. Hæc aqua vitæ dum tota tandem à calore quodam interno ſeu externo & violento deſtillata, aut temporis progreſſu penitus aſſumpta eſt, jam proculdubio caloris illius vivi-

fici extinctio tandem apparet, morſque frigida ſubſeqvitur. Sed ut ad rem redeamus: Poſt extractionem veræ ac genuinæ aquæ vitæ, ſeu ſpiritus vini (qui eſt tota illa puritas triũ principiorum hypoſtaticorũ) cujus liqvor mercurium, flamma (quam promptè concipit) naturã ſulphureã, acumen verò, & vis eximiè guſtum feriens, ſpiritum ſalis armoniaci repræſentant: magna reſtat copia phlegmatis, ſeu liquoris mercurialis, qui continet quidem aliquid adhuc ſpiritus vini: at quod reliqvum eſt, nihil eſt aliud quàm aqua inutilis, quæ mox vapeſcat atque corrumpatur. Simili quoque ratione poſt extractionem aquæ vitæ ac verè ſpiritualis ex ſangvine noſtro, reſiduus manet in corpore humidus, & humectans ille liqvor, quem partim alimentoſum partim excrementoſum diximus. Reſtant ultimò, præter prædicta, fœces, ſeu reſidētiæ tartareæ, & nitroſulphureæ, quæ in ſe multas fœtidas impuritates, ut & magnam ſalis copiam continent. Impuritates oculis, & tetri fœtores naribus ſatis ſuperq; ſe produnt, dum diverſa ex his oléa vehemẽti igne extillantur. At ex fœcibus calcinatis ſal elicitur, idemq; fixum cum proprio phlegmate, ut ſuprà docuimus in operatione ejuſdem vegetabilis. Sal iſtud volatile efficitur cum ſale armoniaco vola-

volatili in proprio ſpiritu, ſeu aqua vitæ contento, procedendo, ut jam docuimus. Similiter & in ſangvine præter ſpiritum illum vitæ, & liqvorem mercurialem (quæ duo revera ſeparari ab ipſo ſangvine, & ad oculum oſtendi, poſt digeſtiones convenientes, in calore Bal. mar. qui fit analogus calori naturæ, ut meliùs & faciliùs conſtet, quomodo idem calor eademque natura in nobis eaſdem faciat operationes & ſeparationes) præter illa duo, inquam, quædam conſiſtentia mellis liqvidi inſtar reſidebit in fundo, in qua mellita conſiſtentia multas impuritates invenies, quas oculis & naribus percipies, ſi ad ignem cinerum calori febrili analogum materia prædicta exſiccetur. Quippe qui nidorulentus ac nitroſulphureus ille fœtor manifeſtè in nobis cauſat meteora ignita tam ſuperiori, quàm inferiori corporis parte, aliaque innumera ſymptomata parit, ut oſtenſum eſt ſuprà. Sic ignis quoque vi, (haud ſecus, ac ex vino) ita ex fœcibus, & tartaro ſangvinis, ſeparari poſſunt ſulphura atq; olea picis in modum craſſa atque tenacia: adhæc tanto fœtore abominanda, ut ne præſens quidem præ abominando illo odore ſubſiſtere queas: ex quibus multa ſymptomata in corpore noſtro ſuboriri poſſe quilibet facilè colligere

poteſt. Quo peracto, reſtabunt cineres ex quibus elicitur ſal, quod (virtute ſalis armoniaci naturæ) effici poteſt volatile, atq; fieri id quod Lullius appellat lunariam majorem, ad imitationem operis vegetabilis. Admirandum prorſus eſt hoc opus, ex quo fit vera munia, medicina univerſalis, veruſque balſamus naturæ conſervans atque reſtaurans. Atque hæc eſt vera atque vitalis anatomia ſangvinis, quem non temerè, ſed verè, & manifeſta demonſtratione, & quaſi ad oculum ipſaque adeò autopſia innitenti oſtendimus magnam habere cum vino analogiam: cùm verus philoſopus æquè ex uno, atque ex alio (licèt alterum majus artificium reqvirat) norit ſeparare aquas vitæ penitus ſpirituales, quæ impetentia dicuntur: præterea liqvores mercuriales tam utiles, quàm noxios, quæ humectantia: denique halitus & fuliginoſas exhalationes, quæ effluentia appellantur.

Quod ſi igitur in vino, quo indies utimur ad nutritionem corporis, eoque puro & claro poſt ſeparationem ſpiritus ejus, videamus tot res heterogeneas, tamq; impuras: quanto, quæſo, plures ſolidioreſque impuritates deprehendemus in tartaro vinorum doliis atque cadis adhæreſcente, atque ex fœcibus & reſidentia vini ejuſdem? Qui

Qui eximiam illam tartari nigredinem, (quæ manifeſtatur in calcinatione ejus) ſeparationemque ſpiritus ejus atque olei rubri, nigri, & fœtidi, quæ per deſtillationem fit norunt, atque intelligunt, hi luculenter ſatis teſtari, fidemque facere poterũt, quantus fœtor inſit in ipſius ſulphure: quanta item ſit acrimonia ejuſdemmet tartari propter ſal, quod ex ipſo extrahitur, atque oleum, quod fit ex reſolutione ejuſdem ſalis tartari. At hercle in ejuſdem vini fœcibus, præter jam dicta, longè impuriora, fœtidiora, ſordidioraque depræhenduntur, ut norunt plus ſatis illi, qui propter calcinationem earum, ut efficiant cineres, quos vocant clavellatos, extra urbes in campos atque loca remota concedere coguntur, propter ingentem earum infectionem, atque fœtorem, quo & ipſa loca vicina infici ſolent.

Quid igitur mirum, ut oſtenſum eſt ſuperiùs, ſi in ſangvine quoque noſtro poſt ſeparationem veri ſpiritus, reperiantur tot res heterogeneæ, tot impuritates tartareæ, fœtidæ atque ſulphureæ? quin inquam, eo etiam magis plures ſordes inſint, atque fœtores in pluribus heterogeneis chyli partibus, ex quibus primum ortum compoſitionis ſuæ, ſangvis ipſe traxerit? Tartarus ille

eſt ſangvinis, qui vaſis viſcerum adhæreſcit. Iam verò fœces chyli nihil aliud ſunt, quàm tot, tantaque diverſi generis excrementa ipſius alimenti in diverſis corporis partibus exiſtentis. Atque à natura omnino digeri, evinci expellique nitroſulphureæ illæ & tartareæ impuritates cum non poſſint, viſcera offerciunt, unde graviſſimorum morborum ſeminarium, atque proventus, ut vel hinc, ſi liberè fateri velimus quod res eſt, cum magno Hippocrate dicere cogamur morbos, & radices, & ſemina in corporibus habere. Quod ex prædicta vini & ſangvinis analogia evidentiſſimè patet. Nam apparentibus innititur fundamentis & ad ſenſum patentibus ſignis ceu terminis quibuſdam, neutiquam verò imaginatione quadam dubia effictis.

Et quemadmodum videmus vernis temporibus, quando natura flores ſuos protrudit, vini fœces ipſo vino permiſceri, iſtud conturbare, & ſæpè corrumpere. Quemadmodũ in calore eximio Solis aut æſtatis æſtu, pars calidior ſulphurea ejuſdem vini nempe ſpiritus exhalare poteſt, & ſolet, unde ejuſdem vini corruptio conſeqvitur. Ita quoque iiſdem planè temporibus fœces, & tartarea illa colluvies ſangvini noſtro permixta eundem pervertit, atque corrumpit.

Un-

Unde morborum occaſio, atq; proventus multiplex. Nam & ab externo, & ab interno calore diſſipato ſpiritu ſangvinis, atq; ſeparato, neceſſe eſt illum corrumpi, cui ſanè corruptioni, & ab ejuſmodi quidem cauſis obortæ, omnino plurimorum quoque morborum cauſa accepta ferenda potius, quàm nudis, & ſimplicibus illis qualitatibus. Sicut itaque docuimus in ſeparatione veri ſpiritus vini (qui nectare cœleſti, ac ſpirituali vitæ noſtræ ſymbolizat, uti dictum) plurimas ejus impuritates demum innoteſcere: ita prorſus, ac eadem ratione fit cum tritico, cum fructibus, & ex his paratis potionibus & cibis, & in univerſum cum rebus omnibus vegetabilibus eodem modo procedendo, ut de vino diximus. Habent enim & illa non levem cum ſangvine noſtro proportionem, juxta illud: *iiſdem nutrimur quibus conſtamus*, & vice-verſa haud malê dicas, *iiſdem conſtamus, quibus nutrimur.* Participat autem alterum altero magis, vel de hoc, vel de illo, exempli gratia, ſpiritu, liqvore mercuriali, ſale, fœcibus, fœtidis & inutilibus excrementis: quæ ratio, quòd ex hoc, aut illo cibi genere laudabilior, aut illaudabilior ſangvis generetur.

Ex hydromelite itaque (ut hoc exempli, & quaſi ſuperpondii loco addam) ex defru-

to,

to, ex cerevisia, & similium potionum generibus, eorumque fœcibus easdem præparationes, & separationes tam laudati liqvoris, quàm fœcum, eodem planè modo, ut de vino docuimus fieri possunt: nec aliter ex his eliciuntur principia, & partes heterogeneæ, quàm ex illo. Denique ex omnibus iis, quæ nutritionem præbent homini, ex quorum præparatione, atque separatione, facta demum cum sangvine nostro analogia longè fœlicius, ac melius morborum fontes ediscere poteris, quàm si, (ut vulgò consvetum) ad qualitates recurras, atque humores, & contemplatione quadam ingeniosiori, quàm veriori morborum & symptomatum causas & origenes perquiras, atque decernas: & placuit quidem ista de exacta & interna humorum anatomia, eorum denique examine artificioso brevibus anticipari, tum ut ex iis constet, unde sint petendæ genuinæ signaturæ rerum, veræ & infallibiles morborum causæ, ut exinde omnem artificiosam componendi, præparandi, & administrandi medicamenti rationem (quam hoc opere quærere, atque docere intendimus) veri philosophi ac medici intelligant.

Sed tempus tandem est, ut id, cujus gratia

tia susceptum est hoc opus, exequamur: nempè ut doceamus modum parandi & concinnandi omnis generis medicamenta etiam secundùm rationem & methodum dogmaticorum. Subinde quid in unoquoque rectè, quid perperam passim hodie ab omnibus, atque in universum in cunctis practicantium, & dispensatoriorum libris præscriptum sit ac in pharmacopœorum officinis fiat, graphicè depingamus, & commonefaciamus. Sicque nec veterem prorsus, nec omnino novam, sed veterem φαρμακοποιΐαν restitutam, & plurimis nostris inventis, experimentis atque compositionum formulis, quibus fœliciter usi sumus, adauctam demus, atq: exornatam.





# IOS. QVERCETANI CONS. ET MEDICI REGII.

## DE DOGMATICORUM MEDICORUM LEGITIMA ET RESTITUTA medicamentorum præparatione

### LIBER PRIMUS.

*De medicamenti definitione & divisione.*

### CAP. I.



EDICAMENTORUM dogmaticorum reſtitutam præparationem, (in quam nunc incumbo) traditurus, operæpretium eſſe duxi aliquid de ejuſdem medicamenti definitione, compoſitionumque cauſſis ſpecialius præfari, ſed id breviſſimè me facturum polliceor: exactiùs eadem alio opere diſcuſſurus.

Medicamentum igitur Galeno, & omnibus dogmaticis medicis, eſt omne id quod naturam noſtram immutare, & quocunque tandem modo vincere poteſt. Hoc autem vel ſimpliciter tale eſt, vel ſecundùm quid. Simpliciter tale purè medicamentum dicitur, quod verè & ſemper cum definitione mo-

modò allata adæqvetur & convertatur. Secundùm quid medicamentum, nec ita propriè appellatum dicere possumus omne id, quod cum alimenti natura, quocunque tandem modo, vel aliqua sui parte participat. Ejusmodi appellantur medicamenta alimentosa, & alimenta medicamentosa: de quibus aliàs, quæ etiam si lubet commodè huc referri possunt. Medicamento velut è diametro est oppositum alimentum. Quidni? illud enim immutat, hoc simile fit. Mutare, & assimilari sunt contraria. Ergo & illa quæ hoc efficiunt. Iam autē medicamentum de utroque intermedio, hoc est, de medicamento alimentoso, & alimēto medicamentoso recedit, atq; participat: tantum & alimentum. Sed id ea lege atq; omine, ut medicamento adfinius sit medicamentum alimentosum: alimento alimentum medicamentosum, cujus rei ratio infrà dicetur.

De medicamento hoc opere propositum est agere, sive propriè, sive impropriè sumpto, non autem de alimento. Placuit id tamen hæc in tractationis limine ita distingvere, juxta illud doctorum præceptum. *Qui bene distingvit, bene docet.*

Iam verò omne medicamentum, aut simplex est, aut compositum. Simplex appellant medici, non tantùm id quod purè

& ſimpliciter tale eſt, cujuſmodi ignis purus, aqua pura & impermixta aut tale quid aliud: & in Spagirica medicina, ſal, ſulphur, & mercurius: Sed quod ad compoſita collatum, tale eſſe videtur reſpectu ejus, quod magis compoſitum eſt: ut veriùs ſimplicius dicas, quam abſolutè ſimplex. Compoſitum autem eſt omne id quod ex ſimplicibus prædictis concinnatum eſt. Utriuſque exempla hæc ſunto.

Simplicia: Ex mineralibus; metalla, ſucci, lapides. Ex vegetabilibus: ſtirpes omnes, earumque partes: radix, lignum, cortex, folia, fructus, ſemina, excrementa, reſinæ, gummi, herbarum ſucci, denique quicquid à ſtirpibus quocunq; tandem modo procedit.

Ex animalibus, ſunt vel integra, vel partes. Integra ſunt ſcinei, oniſci, ſeu aſelli, lumbrici, ſcorpiones, cantharides, aliaque plurima.

Partes eorum ſunt: adeps, cornu, oſſa diverſa, pili, ſangvis, excrementa, &c.

Hæc, inquam, omnia naturalia ſimplicia in officinis appellantur, nec ullam adhuc præparationem experta. Sunt namque, & alia etiamnum in pharmacopœorum officinis dicta ſimplicia, non tamen à natura ſed arte parata, ut aquæ ſtillatitiæ ſimplices,

ces, olea ſimplicia, ſyrupi ſimplices: & his ſimilia, quæ collatione cum magis compoſitis ejuſdem formæ medicamenti talia dicuntur: & viceverſa, compoſita cum reſpectu ad illa. Quamvis etiam verè, & abſolutè hæc compoſita dici mereantur. Horum omnium cognitio axacta medico dogmatico non tantùm utilis eſt, ſed etiam neceſſaria, vel ipſo Galeno dogmaticorum medicorum omnium coryphæo multis in locis illud atteſtante. [*com. 3. in aph. 1. ſect. & 6. Epid.*] Idem Galenus hanc methodum medicamenta præparandi, atque componendi fusè ac doctè tradidit in ſuo opere de compoſitione medicamentorum ſecundùm genera.

Porrò medicamentorum omnium tum ſimplicium, tum compoſitorum materia, vel ex mineralium, vel ex vegetabilium, vel denique ex animalium familia depromitur, ut jam dictum eſt. Quorum omnium perfecta cognitio conſiſtit in delectu, in præparatione, mixtione, compoſitione, quantitate, proportione, atque forma: Præterea in omniũ tam ſimplicium, quàm compoſitorum adminiſtratione, atque uſu legitimo. Electio ex arte fit, indicatione ſumpta à ſubſtantia medicamenti, vel, ut nuperi quidam profundius philoſophantes

voluerunt, à totius ſubſtantiæ proprietate, à qualitatibus omnis generis, earumq; gradibus primis, ſecundis, tertiis, quartis, horumque latitudinibus: à quantitate, numero, figura, ſitu, loco: & poſtremò à tempore tum durationis, tum collectionis, quæ omnia brevitatis cauſa fuſiùs hîc non exponemus. Sed de his conſulendi ſunt veteres, ut Theophraſtus, Dioſcorides, Galenus, Meſues, & alii, qui de medicamentorum præparandorum ratione ſcripſerunt. Præparationem verò, mixtionem, compoſitionem, quantitatem, ſeu doſin, proportionem atque formam docemus in progreſſu.

## CAP. II.

*De cauſis compoſitionis medicamentorum, ſecundùm doctrinam dogmaticorum.*

NOn avaritiæ aut hominum voluptatis inventum eſt compoſitio medicamentorum, uti Plinius clamitat, & more ſuo, haud ſemel tragicè, tanquam officinarum commenta perſtringit. Sed eorum qui dogmaticam medicinam tuentur atque ſectantur, (quam ſuo loco, ſuo tempore, ſua occaſione ritè cum ſpagirica contemperatam, probatiſſimam, & nobiliſſimam cenſemus) ſummo conſilio, ſumma prudentia, ſumma-

maque tam necessitate, quàm utilitate, adinventa atque introducta. Nam & ipsæmet morborum vel simplicium, vel compositorum naturæ, qualitatesque contrariæ, & variæ circa eos intentiones, pro varietate causarum, symptomatum, partium affectarum, naturæ ægrotantium, conditioneque eorundem pro ætate, conditione, vigore, consvetudine: addam & illud si lubet, pro voluptate, & placito eorundem medicamentorum compositioni ansam præbuerunt, rationemque suppeditârunt.

Sed ut liberè fateamur quod res est, compositionis medicamentorum præcipua caussa fuit, & esse debet, ut commodiùs, citiùs, tutiùs, atque jucundius morborum cura procedat: juxta illud, quod in votis habuit summus medicorum dictator.

——*Citò, tutò, jucundè.*——

At etiamnum urgentior & efficacior causa fuit, ut diligentiùs, & quo fieri potuit circumspecto artificio respicerent ad impugnationem causæ morbificæ: nimirum ut nunc influentem materiam repellerent, nascentem prohiberent, crudam coqverent, crassam inciderent, atq; attenuarent, infarctam liberarent, extirparentque, ut eleganter hanc rem explicat Galenus cap. 5. lib. 1. de comp. med. secundùm genera.

Interim dum hæc omnia fiunt, ad partium situm, naturam, robur vel debilitatem, respicere par fuit. Hæc, inqvam, omnia occasionem, & necessitatem quoque pepererunt compositionis diversorum medicamentorum. Sunt & plurimæ aliæ causæ, quæ hanc medicamentorum mixtionem introducere medicos dogmaticos coëgerunt: Nam, ut omittam alias plurimas, quid non movit eos ad hoc institutum partium affectarum diversitas, distinctaque conditio, ac interdum etiam contraria? Quid, inquam, antiquos compulit, ut sua πολύχρηστα pararent, atque concinnarent? quæ sanè ab ipsomet Galeno laudantur, & commendantur cap. 7. secundùm locos & cap. 11. de compositione simplicium secundùm genera.

Enimvero sanè, partis affectæ præstantia eandem medicamentorum compositionem jure optimo sibi vendicavit: Hæc ratio, hoc indicium, ista denique necessitas (quam secundùm quid, & propter melius vocant philosophi) suasit, & quasi coëgit eos, ut affectibus vel ventriculi, vel hepatis accommodatis medicamentis, perpetuò resolventibus, aut aperientibus roborantia, & modicè adstringentia conjungerent. Hoc sanè ipsemet præcipit Galenus, ut passim, sic

sic potissimum lib. 1. de compositione med. sec. loc. cap. 8. & cap. 15. l. 13. meth. med. & cap. 95. artis parvæ.

Sic medicamenta etiam sæpissimè miscentur, quæ proprietate quadam specifica partes respicientes, aliorum vires ad affectas partes ferant. Sic in medicamētis, quibus in affectibus capitis utimur, cephalica admiscemus, ut & in remediis quæ cordis, ventriculi, hepatis, lienis, & uteri affectibus conducunt, cardiaca, stomachica, hepatica, splenica, hysterica admiscentur, ut ex Galeno lib. de comp. med. sec. gen. cap. 1. intelligere licet.

Præterea miscentur quoq; medicamenta, quando simplicia propter sui crassitiem, aliámve quandam ob causam ad partem affectam internam non pervenire, aut certè vix & ægrè pertingere possunt. Iccirco parant sua oxycrata: & metallicis tritis acetum admisceri jubet ipsemet Galenus, [*cap. 1. lib. 8. de comp. med. sec. gen.*] quò nimirum faciliùs ad intima usque penetrare possint.

Sed & huic mixtioni simplicium studere, ipsa quoque necessitas compulit dogmaticos. Nam cùm perciperent plurimis medicamentis simplicibus, maximè verò purgantibus inesse aliquam malignitatem, aut odoris, aut saporis ingratitudinem, necesse

fuit admiſcere quæ & malignitatem corrigerent, aut ſaltem infringerent, & palato atque naribus gratiam aliquam commendarent, atq; ingrati ſaporis, ac nauſeabundi moleſtiam vel reprimerent, vel certè quodammodo obfuſcarent. [*Gal. cap. 3. l. 8. ſecund. loc. & com. in aph. 11. l. 2. & de rat. vict. in acutis.*]

Et quoniam medicamenta non præparantur ſolùm in rem præſentem, ſed etiam in uſus futuros, nempè ut quovis tempore, quavis occaſione ſint in promptu: ideò & his, & multis aliis de cauſis reſervari debere cenſuerunt: idque etiam ex ſummi dictatoris conſilio. [*lib. de decenti ornatu*] Quare ne putredinem contrahant, ſuis compoſitionibus ea admiſcent, quæ humiditatem excrementitiam putredinis autorem, exiccent, & abſumant: ut ſic integra ad pluſculos non ſolùm menſes, ſed & annos, viribuſque valentibus conſervari poſſint. Qua de cauſa mel, ſaccarum, ſal, & his alia ſimilia commiſcenda cenſent.

Porrò, ſi quis alias miſtionis, compoſitioniſque medicamentorum cauſas, & quæ ad legitimam medicamentorum mixtionem comparandam reqviruntur, exactiùs ſcire velit, conſulat Meſuem in principio Theorematis ſecundi. Exactè etiam legat

Ga-

Galenum in locis citatis, ut ſuam hac de re mentem conſeqvatur. Cujus tamen fundamenta, & inſtitutum paucis etiam hoc loco libet delineare.

Galenus itaque poſtquam morbos ex intemperie ſimplici nuda ſubortos, & cum materiæ affluxu introduxiſſet, ſymptomatum manifeſtis injuriis animum adhibens, humorumque vitia, ex quibus morbi derivantur, in ipſorum copia, aſperitate, viſciditate, craſſitie, mollicie, cruditate collocaſſet: iſtis adverſa opponenda eſſe remedia ex lege contrariorum cenſuit. Itaque alteratis, & intemperatis, calida, frigida, humida, ſicca: cauſarum vitiis expurgantia, lævigantia, attenuantia, incidentia, relaxantia, conſtringentia, coqventia & his ſimilia opponende eſſe decrevit. Saporum proinde beneficio, deinde applicatione (unde indicatio illa à juvantibus, & lædentibus) & partim priſcorum experientia, partim propria induſtria,aut etiam empiricorum, partim analogica quadam ratione, atque conjectura ad ejuſmodi virium atque facultatum cognitionem pervenit.

Iam verò,poſtquam idem Gal. (qua erat ſumma induſtria atque ingenio præditus) depræhendiſſet in una ſimpliciqúe ſubſtantia interdum diſſimiles & contrarias ineſſe

proprietates, hîc correctione, atque retusione alterutrius obsistendum esse judicavit: (quamvis contrarias illas qvalitates leviusculè tantùm & velut per transennā solummodò attigerit:) hoc autem aliter fieri non posse putavit, quàm admistione alterius alicujus, vel unius, vel plurium. Rursus, quia in medicamentis simplicibus, vel pauca, vel nimia inerat vis agendi, aut odores & sapores erant ingrati, aut facultates contrariæ, omnia obstacula hæc sustulit mixtione, & compositione jam à nobis commemorata. Itemque violentis remediis proprias & anodynas correctiones attulit: venenatis & malignis confortantia & cordialia adjunxit: ingratamque remediorum amaritudinem cum mellis, & saccari fœcunditate ab Arabibus deprompta, in quandā dulcedinem, sed ut ingenuè fatear, plerisque nauseabundam, transformavit.

Atque hæ sunt causæ, & potissimæ rationes dogmaticorum cur sua medicamenta miscerent, cur tot compositiones suis pharmacopœis parandas, & tot pyxides, phialas, scatulas, atque ollas medicinis refertas ad usum reservandas præciperent: quibus non tantùm se addictos volunt, sed omnes reliqvos, qui medicinam profitentur: empiricos appellantes illos, atque igna-

gnaros, qui hisce non tanquam delphicis quibusdam præceptionibus confidunt. At mehercle, ut non usquequaque improbo ordinem talem in arte præscriptum, ita tyrannidem inconsideratam omnino abdicandam censeo. Toleranda sanè esset vel illa, si non, ut habet ἀδάγιον, ut plurimùm *aliud in scripto, aliud in pyxide*, reperiretur. Sed age ut constet etiam illud eorum nobis probari institutum, proponamus & per classes digeramus, quicquid & olim, & hodie in officinis medicamentorũ paratum,& adservatũ sit: singulaq;,qua ratione fiant in officinis, quæ rectè quæ perperam perpendamus. Subinde si quid novimus melius, publici commodi, & salutis ægrotantium, juniorumque medicorum (quibus hic noster labor totus dicatus esto) gratia, in medium proferamus: & nostris experimentis propria magna ex parte industria conquisitis, collustremus. Ita fiet spero, ut nec nova prorsus, aut nostra, sed veterum dogmaticorum medicorum placita rectè intellecta, restituta,nostrisque inventis adaucta, nasutissimus quisque, & vel ipsemet Theon fateatur.

CAP.

## Cap. III.

*Ordo & classis omnium medicamentorum vel arte, vel ratione compositorum.*

COnsvetum est hodie officinis, & quasi in legem abiit, pharmacopœorumque hodie præcipuam curam summumque studium esse novimus, ut ad omnis generis affectus peculiaria sibi remedia parent, eaque in officinis, ceu thesauros quosdam, in usum dogmaticorum medicorum adservent. Nimirum ut fœlici operis successu, id postulante necessitate, in promptu statim habeant, quò artis nominisque sui dignitatem & gloriam augeant, atque tueantur. Veteres quidem, ut jam suprà monuimus, in domo sua conficienda curabant remedia; quibus in casu præcipiti usuri essent, vel etiam ex tempore, si morbus daret inducias. At hodie, quia separata habetur ferè pharmacopœia à medicina, hæcque à liberali disciplina, non mirum si desciverit (excusent, quæso, modesti & prudentis ingenii viri) ferè in mechanicam: quod pharmacopœorum inscitiæ tribuendum est, qui nullo judicio consilioque medicorum doctorum directi, sua parant medicamenta. Sed aliter melius multo ab iis, qui reipsa veri sunt pharmacopœi, qui-

que

que nihil nisi ex arte & præceptorum authoritate & imperio ducti agunt, talia parari solent.

*Aquæ*
*Vina tam confortantia, quàm purgantia*
*Hydromelita*
*Oxymelita, mellisq; variæ compositiones*
*Decocta tum præparantia tum purgantia, tum sudorifica*
*Syrupi*
*Opiatæ*
*Condita*
*Conservæ*
*Sapæ & Rob.*
*Electuaria mollia lenientia & solutiva*
*Electuaria sicca solutiva*
*Catapotia, seu pillulæ*
*Pulveres medicati*
*Confectiones cardiacæ, & ad varios morbos conferentes*
*Confectiones aromaticæ, seu species cordiales*
*Tabellæ*
*Trochisci*
*Antidota, & compositiones opiatæ somnum conciliantes*

*Col-*

*Collyria ſicca, quæ Fief Arabibus dicuntur*
*Olea*
*Ungventa*
*Cerata*
*Emplaſtra*

Sed præter iſta ſunt etiam plura alia, quæ in officinis vel ex tempore, vel ſanè in paucorum dierum uſum præparari aſſveti ſunt.

*Epithemata*
*Fotus*
*Balnea*
*Collyria*
*Clyſteres*
*Decocta*
*Varii ſucci vel liqvidi, vel inſpiſſati.*
*Emulſiones*
*Scuti*
*Sinapiſmi*
*Suppoſitoria*
*Peſſi qui etiam à nonnullis Lyciniadi dicuntur,*

& plura alia, quæ icci rco prætereo, quòd trita ſint omnibuſque cognita, nec præparatione aliqua egeant, cùm in rem præſentem præſcribantur.

At

At in omnibus iſtis formulis variæ præparationes inſerviunt nempe:

*Maceratio*
*Expreſſio*
*Digeſtio*
*Infuſio*
*Pulverizatio*
*Trituratio*
*Coctio*
*Solutio*
*Mixtio, conſervatio, & ſimilia.*

Quæ omnia meræ ſunt operationes à pharmacopœi induſtria dependentes.

De his omnibus & ſingulis ordine quodam ſumus acturi, ſuas præparationes, præparationumque modos conſvetos, & non conſvetos, ſed tamen ad artis præſcriptum convenientes tradituri.

At verò ſunt & alia quæ in officinis vulgò non habent, ſuis tamen præparationum modis vel poſſent, vel certè tum ad gratiam, tum ad neceſſitatem & commoditatem interim, omniumque medicorum honorem habere deberent. Cujuſmodi ſunt:

*Diverſarum rerum*

*Extracta tum purgantia, tum roborantia, & ad ſanandos morbos ſpecifica, vegetabilium*

*Li-*

*Liqvores mercuriales, ſeu ſpiritus aqvei medicati, vegetabilium*

*Liqvores ſulphurei, ſeu olea chymicè extracta medicata aromatum, liqvorum, herbarum, florum, ſeminum, & diverſarum aliarum rerum vegetabilium.*

*Salia vegetabilium aperientia, detergentia, purgantia, & ad plures affectus ſpecifica remedia*

*Salia pyrotica, ſeu cauſtica vulgò dicta ex vegetabilibus comparata.*

Operas autem quas pharmacopœum ſcire decet non tractant, aut certè rariſſimè, & paucis in locis, niſi ab induſtrio & harum rerum gnaro medico fuerint edocti: Ut ſunt, Calcinationes ſeu incinerationes, diſſolutiones, filtrationes, coagulationes, deſtillationes. Nimirum talia, & ſimilia ad Chymicam, ſeu Spagyricam medicinam ſpectare putantes, cùm tamen, & eadem ſibi commodo, utilitati, ſummoque honori ſint pro futura. De his omnibus autem eo ordine, ac methodo agemus ut ſingula ſuo tantùm loco, & ubi ars, & neceſſitas tractationiſque ſeries id poſtulat, perſpicuè, atq; dilucidè explicemus. De his in noſtra pharmacop. Spagyrica, ſi Deus vitam conceſſerit, plura dicturi.

## Cap. VI.

### *De aquis destillatis, & de destillatione in genere.*

POsterior ferè ætas aquis stillatitiis maximè incumbit, ut eas parandi ars hodie mulierum veriùs esse videatur, quàm medicorum. Ergo methodo, & ordini nostro suscepto insistentes, dicamus priùs, quæ, & quales aquæ hodie habeantur in officinis: Deinde quomodo ab iis parentur. Tum in quo delinquant, & peccent in earumdem præparatione, & qua arte atque industria parari debeant aquæ stillatitiæ, clarè, & veraciter doceamus. Tandem plures pulcherrimarum, utilissimarumque aquarum tam simplicium quàm compositarum longa, diuturna experientia, atque industria, multorumque ægrotantium, cum salute, atque solatio conqvisitarum, & in usum translatarum, descriptiones & præparationes aliquot proponamus: sicque caput hoc de aquis, secundùm dogmaticam medicinam paratis, finiemus.

Sed antequam ista omnia fiant, aliquid in genere de destillatione, & ad eam pertinentibus rebus, ac operationibus differendum. Etsi destillatio Spagyricum sit inventum, ut in Spagyrica potius pharmaco-

pœa de ea agi conveniat, ita tamen hodie non tantùm in officinis, sed apud vulgus quoque innotuit, ut destillationis modum plurimos se intelligere putare videam, paucos verò, qui ea in re aliquid recti, atq; perfecti sapiant. Non possum itaque non summatim quæ ad illam pertinent, hoc loco opportuno complecti, maximè, cùm id pharmacopœi, quem informare, & corrigere intendimus, sit opus haud minimum. Reliqvum quicquid esse potest specialioris considerationis in aliud, quod paramus opus reservaturi. Ergo Alchymia seu Spagyrica, quæ inter quatuor medicinæ columnas à nonnullis recensetur, quæque omnium corporum compositiones & dissolutiones, eorumque præparationes, alterationes, atque exaltationes patefacit, illa, inquam, & destillationis quoque inventrix est, atque magistra. Utitur namq; ea septem operibus, ac ceu quibusdam gradibus, quibus, tanquã organis quibusdam necessariis, rerum transmutationes instituit atq; perficit. Per transmutationem autem hoc in loco intelligimus, cùm res suam formam extrinsecam amittit, & ita alteratur, ut prorsus priori substantiæ, & formæ suæ pristinæ non sit similis, sed aliam nunc induit

for-

formam, atque aliam assumit essentiam, alium calorem, aliam virtutem, aliam denique naturam, & proprietatem. Exemplum esto, ut cùm linteamen fit papirus: metallum vitrum: pelles seu coria gluten: herba cinis: cinis sal, & sal liqvor: mercurius res mobilis admodum, quoddam fixum, ut cinabrium, & pulvis. Septem autem isti operationum gradus sunt:

*Calcinatio*
*Digestio*
*Fermentatio*
*Distillatio*
*Circulatio*
*Sublimatio*
*Fixatio*

De quorum omnium utilitatibus hîc maximoperè à nobis disseri nihil attinet, cum eæ in hoc opere passim & alio opere exactiùs sint manifestandæ, & aperiendæ. Quanquam autem solutio, & putrefactio, ut plurimum præcedat, aut certè præcedere debeat destillationem in ipsa praxi, placuit tamen primo loco de hac agere tanquam de principaliori operatione, communiori, & ad quam reliquæ ferè referantur, vel saltem propter eam fiant.

Hîc multa dici possent de destillationis etymo: cur sic appelletur: An destillatio

differat ab elixatione: item de antiquitate destillationis: de dignitate, ejusdemque utilitate: An præstent destillata decoctis dilutisque. Sed ista omnia in aliud tempus sunt reservata.

Destillatio autem, de qua hîc orationem instituimus, est liqvoris aqvei seu partis humidioris in halitus à calore extenuatio, atque sublatio, & ob frigiditatem aëris in aquam conversio. Vel est puræ, & liqvidæ substantiæ à dispositis ad hæc corporibus extractio per calorem.

Arabes, & qui eos seqvuti sunt complures nonnunquam appellarunt sublimationem latiori nomine, qua in sublime vapores feruntur, sed Spagyricis haud satis proprio. Nam alius gradus est à destillatione diversus, sublimatio, in qua in altum quidem vapores à rebus siccis attolluntur, sed non ut in aquam degenerent: verùm ut ficciores puriores, splenditioresque fiant, adhæreantque ad vasis latera, & operculum. Neque enim, quod ad sublimationem propriè dictam pertinet, rostrato pileo opus est, nisi sit colligendi aquam animus, quæ exundabit. Itaque, ut ex rebus terrestribus partes puriores separentur, sublimantur sulphura volatilia, & salia volatilia. Cùm destillatio contrà in aqvam fluen-

fluentem, seu liqvorem eas adducat, ex definitione destillationis facilè patet, quænam sint ea, quæ destillari possint. Cùm enim destillatio nihil sit aliud, quàm liqvoris aquei, seu rei humidioris in vapores extenuatio, & in aqvam conversio: satis inde constat ea tantùm destillari posse, quæ & humiditatem in se continent, & halitus emittunt, qui rursus in liqvorem fluentem cogi possint. Peripateticæ philosophiæ princeps Architectus Aristoteles constituit discrimen inter ea, quæ exhalant, & quæ evaporant. Nam exhalant, inqvit, quæ à calido comburente fumum emittunt, in quo siccæ, & humidæ partes ita conjunctæ sunt, ut non tanquam duo, sed ut unum calido subjiciantur, & divelli una pars ab altera non queat. Quamobrem hujusmodi fumus, neque madefacit, ob siccū combustum sibi junctum, neque in spiritum vertitur, cùm distrahatur, dissipeturque, sed magis inficit, quod in fumo lignorum videtur: qui, ut docet Albertus Magnus, ob siccum terreum adustum atro inficit colore, qui adhæret propter humidum, quod tamen cum exiguum sit, non continuus est, & durus apparet, nisi ab unctuoso educatur. Tum enim nidorem appellant, quemadmodum è pingvi fuliginem: ut ex resi-

nis ferè omnibus fit fuligo. Quid verò interſit inter pingve,&unctuoſum Ariſtoteles inſinuat. Nam picem, ceram, thus, & quæcunque picem habent, pingvia vocat: oleum autem, & quæcunque oleoſa ſunt, unctuoſa. Videtur itaque ex his, quæ Ariſtoteles prodidit, colligi poſſe, ligna, oſſa, oleum, ceram, thus, & hujuſmodi deſtillari non poſſe,cum horum fumi non madeſcant, ex ipſius ſententia: ſed in aërem extenuentur,nec poſſint in aquam cogi. Oleum enim ex ſententia Ariſtotelis, non incraſſatur, neque elixatur, quia non eſt vaporabile, ſed exhalabile. Ad hæc cùm idem dicat myrrham, thus, & cætera, quæ lachrimæ appellantur terrea eſſe, quæ autem talia ſint non exhalare, cùm nequaquam liqventur. Quapropter fruſtra eorum inſtituetur, aut ſuſcipietur deſtillatio. Satis etiam perſpicuè idem Ariſtoteles aſſerit mel, lac, oleum, ſalem, nitrum,& ſangvinem in igne non evaporari, ſed craſſiora reddi: cauſamque adferens, ait, ideò id evenire, quod mel ſit naturæ terreæ: & alibi inquit, oleum eſſe aëreæ, atque terreæ, lac aëreæ & aqueæ,& ſangvinem(præſertim fibroſum) aqueæ, & terreæ, ſed magis terreæ, ſal, nitrumque ejuſdem naturæ, quare incraſſari igne, neq; evaporari.

At mehercle contrarium nos docet philoſophia Hermetica, ipſa experientia rationum victrice ſtipata. Nam ex prædictis omnibus ſtillatitii liqvores elici poſſunt, ſed per diverſos modos, uti norunt id vel ſemeſtres Spagyrici, & nos ſuis locis exactiùs docebimus. Nec eſt omittendum etiam illud Ariſtotelis, & priſci illius ævi ætate multa vera fuiſſe præſertim quæ de hac diſſolutionum ac eliqvationum materia diſputari poſſunt. Vera, inquam, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid: quia ejuſmodi operationes Chymicæ iſtis temporibus nondum innotuerant. Nondum ſanè cognitum erat tum ſalis genera à calore diſſolvi, & rurſus alia in eodem, & quidem ſummo congelari poſſe. Nondum innotuerant liqvores, qua ratione ex ſalibus elicerentur, quæ vel corporum duriſſima metalla diſſolverent. Non olei ex cera conficiendi ratio, non ſublimatio corporum fixorum, atq; ſolutio: non coagulatio volatilium, atq; ſpirituum. Et, ut brevibus rem comprehendam, ad externa, & ordinarium naturæ calorem reſpexit vir ille, cujus vires & exactè cognitas habebat, & quid in unamquamque materiā poſſit: ita in artificialibus ipſū aut non exercitatum fuiſſe, aut certè de iis nihil prodidiſſe, ſatis conſtat ex iis, quæ ab

illo prodita ad hanc noſtram ætatem pervenerunt. Non igitur cognitas habuit operationes Chymicas. Non enim ita ſcripſiſſet ſummus ille vir. Sed ex iis principiis, & fundamentis, quæ poſuit ille, Geometricorum more, & rectè & evidenter, & candidè decrevit. At, inquies, unius rei unica tantum veritas: At inqvam, veritas non eſt niſi in animo percipientis: Veritas, inquam, conſiderationum,& operum artis, neutiquam verò ſcientiæ, quæ perpetuò una eſt, & ſimplex. At artes variant, pro artificum ingenio, induſtria, & inventionis modo, pro cujus diverſitate effectus ſæpe contrarii conſeqvuntur. Ergo Ariſtoteles excuſandus eſt hac ratione, & præterea ei gratia quoque habenda, quod tam vivis, & tanta facilitate comprehenſibilibus rationibus externis poſteritatem docuerit. Non tamen ita ſuſpiciendus eſt,ut huic nihil detrahi, nihil demi poſſe videatur. Nam artes contrarium docent, & ex his potiſſimum artium nobiliſſima pharmacopœa artificioſa, quam à Spagyrica nihil niſi nomine ſolo, differre exiſtimamus.

Dicamus itaque longè aliter, atque diverſa ratione de rebus hodiè decernendum, ſtatuendúmque eſſe, poſtquam tot aqvarum, tot liqvorum, tot præparationum

num genera, & dixerim penè ipsis si revivifcant, miracula futura, sunt introducta.

Enimverò si vel Hippocrates vel Aristoteles, vel ipse etiam Galenus nunc reviviscat, obstupescat sanè tot ornamentis artem adauctam, atque illustratam; tot novis inventis ditatam, tot mirificis operationibus confirmatam. Quod si nuperus ille Budæus, lumen illud Galliæ, & universæ adeò Europæ præcipuus literarum cultor, & restitutor, conjugis avus, in ultima hac ætate miratus sit crysulcam aquam, quam fortem vocant, dissolvere matalla, quo tamen seculo id non usque adeò infreqvens erat: quid quæso faciant, aut dicant illi qui nihil istorum nec cogitarunt, ac ne subolfecerunt quidem? Verissimum itaq; est, quod sapientum quidam medicorum nostri seculi ait: Creverunt cum ingeniis & ipsæ scientiæ, artesque magna & inæstimabilia incrementa sumpserunt. Sed ut (quod nostræ ingenuitatis sit, atque modestiæ) tueamur quantum licet priscos illos Atlantes, fatebitur vel ultrò, eo calore, hoc est externo, eoq; artificio ignis de quo ipse loqvitur, fornacibus notissimo, dissolvi non posse, atque destillari: At posse alia, ipsis, & omni illi seculo ignota, quæ in hoc & ali-

is noſtris operibus methodo perfacili docebimus, atque declarabimus.

## CAP. V.

### *De deſtillationum differentiis.*

DEſtillationis modi diverſi ſunt pro diverſis rationibus, modis, atque ſubjectis; unde diverſæ deſtillationis differentiæ exurgunt. Prima à rebus, è quibus humorem vel liqvorem elicimus, deſumitur. Nam alio modo mel: alio ſulphur, alio vinum, alio cera, alio terebinthina, gummi, ut maſtix, euphorbium, ſtyrax & reliqua ejuſmodi: alio ſalia, alio herbæ, alio radices, alio flores, alio denique ſemina deſtillantur.

Secunda ex differentia liqvoris ſtillatitii deſumitur: nam aliter aquæ, ſeu ſtillatitii liqvores: longè autem diverſo modo olea ipſa eliciuntur. Exempli cauſa ex herbis, floribus, radicibus & ſeminibus non ſiccis, ſed virentibus aquæ per ſimplicem deſtillationem eliciuntur ſine admixtione alicujus liqvoris. At ex radicibus, herbis, floribus, & ſeminibus ſiccis & odoratis, præſertim mediante aqua aut quovis aliquo alio liqvore admixto, olea ſupervacantia eliciuntur. Tertia differentia à materia, & figura vaſis dependet. A materia: nam aliud eſt ter-

terreum, aliud æneum, aliud plumbeum, aliud vitreum. A figura: alius namque destillationis modus per alembicum, alius per cornutam, alius per matratium, alius per pellicanum &c.

Quarta à vasis situ, nam vel recta cucurbita, cui rostratum capitellum imponitur, vel incurva, aut inclinata, cujusmodi destillationes per ascensum dicimus: seu cùm unius matratii (quod vocant) seu cucurbitæ collum in alterius collum immittitur, quod bociam contra bociam, vel botum barbatum destillatores Chymici nuncupant. Nimirum quādo per concursum vasa ita junguntur, ut alterum alterius os excipiat, idque diverso positu, & situ recto obliquo, procumbente, &c. Atque his ferè destillantur, quæ difficilè ascendunt, succique minùs habent. Multa etiam per descensum destillantur, vase eo, quod materiam continet inversim alteri imposito: qui modus per descensum vocatur, & contrarius est ei, qui fit per ascensum. Per descensum destillantur gagates, & varii generis ligna pingvia, ut Gajacinum, juniperinum, & resinarum genera. Quod si verò accipiamus latiùs destillationis nomen, ut sit humidi eductio à calore: Ad hanc etiam refer-

ferri poterit ea, quæ per deſcenſum fit inverſo cucurbitæ ore.

Quinta à gradibus ignis, qui ſunt quatuor: primus, ſecundus, tertius quartus. Primus eſt lêtus, qualis eſt ignis balnei, aut vaporis: ſecundus cinerum: tertius arenæ vel ſobis ferri: quartus eſt ignis nudus, ut vocant.

Cum primo & ſecundo ignis gradu deſtillamus per aſcenſum: cum tertio & quarto, per concurſum, & deſcenſum. Sic deſtillantur olea ex ſalibus, ut ſale communi, vitriolo, & reliquis hujuſmodi. Item

Deſtillatio complectitur ſub ſe tanqvam partes, ac veluti ſuccenturiatas, aut certè haud multum abſimiles operationes:

*Exaltationem*
*Exhalationem,*
*Circulationem,*
*Rectificationem,*
*Cohobationem.*

Exaltatio eſt ſuperflui, & impuri humoris à puro evaporatio, in quo differt à deſtillatione, in qua liqvores extrahuntur ſpecie vaporis congelati in liqvorem, ſeu aquam. At exhalatio fit penitus evaporato humore aqueo, idque ſola cucurbita abſque pileo, aut patella vitrea, cujuſmodi operatio freqvens eſt, & conſveta in parandis extractis ut

ut essentia croci, sennæ, radicum omnium, rhabarbari, hellebori, & similibus, uti docebimus.

Circulatio est freqvens & crebra rei destillatæ ascensio in vasis ad id accommodatis, fitque per se sine fœcibus in organis, quæ pellicani artificibus appellantur.

Rectificatio est repetita liqvorum destillatio, quo multum purificentur, & magis exaltentur.

Cohobatio, est quoque destillationis repetitio, qua liqvor destillatus rursus fœcibus affunditur, & denuò destillatur, ut fit in arcano vitrioli.

Porrò per destillationem omnes aquæ liqvores & olea proliciuntur ex omnibus lignis, herbis, seminibus, & floribus. Ex omnibus verò pingvibus oleum extrahitur.

## Cap. VI.

*De destillationis quibusdam quasi præludiis, comitibus, & veluti ancillis, nempe fermentatione, concoctione, & digestione: operibus apprimè pharmacopœo necessariis.*

NOn sufficiat pharmacopœo simplicem tenuisse destillationis modum, de quo jam egimus in genere: sed opus habet insuper,

ſuper, ut præparationes ſibi inſervientes exactè cognoſcat, ſi, ut induſtrius pharmacopœus debet, ſuas res ex arte parare velit.

Ejuſmodi autem ſunt, fermentatio, concoctio atque digeſtio. Quas operationes ſi ritè intellexerit, naturam quodammodo imitatus, varias pulchras atque utiles præparationes efficere poterit. Nec pharmacopœum tantùm eaſdem noviſſe par eſt, ſed ipſum etiam medicum pharmacopœis præcipientem, ſi ſuo honori, & ægrotantium ſaluti conſultum velit. Sed talia hodie ita in deſpectum abierunt, ut vel negligant iſta multi medici, vel certè ſuperciliosè contemnant, neſcientes nimirum, quid utilitatis ejuſmodi præparationes poſt ſe trahant. Et certè non video cui potiùs cauſæ ejuſmodi pertinaciſſimum deſpectum tribuam, quàm meræ ignorantiæ: cùm ſatis notum ſit, non contemni aliquid niſi ab ignorante. Et quid non contemnunt iſti larvati, qui & præparationes medicamentorum contemnunt? qui nihil aliud, quàm cruda, & impuritatibus ſcatentia ſuis ægris propinant? malunt nimirum obſtinatius in errore ſuo pergere, etiam cum ignominia, & ægrotantium jactura, quàm rectè monita ſeqvi, ne non ſatis ſapuiſſe, aut ab aliis aliquid meliùs didiciſſe videantur. Neceſ-

cessitatem aspiciant vitæ nostræ, ut discant eam coegisse nos quærere præparationes ciborum ad alimenta corporis necessariorum: in quibus tamen præparandis tanta fortè necessitas non fuit, quāta debet esse in præparatione medicamētorū sanitatis causa generatorum. Respiciant frumenta: quæ non cruda, qualia ex terra emerserūt, statim pro cibis offeruntur: sed separata prius palea & furfure in farinam rediguntur: quæ etiamnum non cruda, sed fermentata ritè probeque subacta pinsitur & coqvitur, ut fiat panis aptus nutritioni. Non itaque unica tantùm & simplex præparatio est panificium, sed multiplex, artificiosa, & insigne magisterium. Nam fermentationem considera, qua panis levis & ad nutritionem aptissimus fit: tantoq; levior atque salubrior, quantò magis fuerit fermentatus. Ponderosior verò, nutritioni ineptior, & insalubrior, quanto minùs fermentatus fuerit. Quæ sanè præparatio si non præcedat, sed farinæ simplici aqua affusa, & ita cocta, pro pane, glutinum naturæ noxium parabis. Numquid vides, ut amylum, res tenacissima, sola aquæ infusione paretur? aut panis non fermentatus, si cum modico aquæ irroretur, digitisque subigatur in tenacem, ceream, & prorsus glutinosam substantiam ab-

abeat? Quid igitur putas futurum in ſtomacho atque viſceribus, præſertim debilioribus, ſi ejuſmodi offeratur? nempe talis nihil aliud quàm obſtructiones, materiam calculoſam, & plurimorum morborum ſeminaria procreare poteſt. Quapropter in regimine therapeutico ejuſmodi uſum, cujuſmodi ſint placentæ farinaceæ piſtæ, (fongaſſes vocant noſtri) piſtoria opera, & ſimilium paſtarum non probè fermentatarum curioſè interdicere ſolent. Nec tamen, quod mirum eſt, ſatis attentè ad cauſas, cur id faciant, advertunt. At ſciant eam ſolam ob cauſam fieri potiſſimùm, quòd paſtæ, ex quibus ejuſmodi panes fiunt, non ritè ſint fermentatæ. Tantum prodeſt hæc præparatio, ut pharmacopœo omnino cognitu ſit neceſſaria. Hæc quippe attenuat omnem ſubſtantiam, hanc ſolvit à ſuo corpore, & impuritate terreſtri, ut apta fiat poſtea ad producendum verum balſamum radicalem, atque ſpiritum vivificum. Hujus ſolius fermentationis beneficio (ut poſtea pluribus patebit) eliciuntur aqvæ vitæ ex omnibus ſeminibus farinaceis, atque adeò ex ipſis etiam roſis, denique ex omnibus floribus, herbis, & in univerſum vegetabilibus cunctis. Per hanc fermentationem ſeu fermentum hoc naturæ pari modo omnes

mnes corporis nostri humores attenuantur subtilianturque. Hinc cognoscas licet, quemadmodum vel modicum acidi fermenti universam pastam fermentat, & panem levissimum, atque concoctu facillimum reddit, qui alioqui futurus erat gravis, & ad digestionem ineptus : ita etiam per eandem viam fermentationis, quæ consistit in liqvore quodam acetoso naturæ, nostros humores attenuari, atque ad excretionem disponi : ideoque sunt quædam acida quæ sudores movent, quamvis ea ex medicorum sententia sint frigida. Et sanè qui ejusmodi præparationem, quæ per fermentationem fit, panificio non adhiberet, sed tantùm grana frumenti, sicut à natura producta sunt, aqvæ incoqveret; quid quæso gratiæ tam nobili alimento conciliaret? Quid utilitatis adferret naturæ? immò quid non molestiæ eidē, ex re alioqui nobilissima utilissimaque crearet? At parantur hoc modo, atque huc usque medicamenta in officinis. Non dicam homines absq; panificio etiam fermentato vivere non posse: Notum enim est, & tradunt historiæ plures nationes magna ex parte simplici hordei, aut leguminum, vel radicum (ut hodie solent Indi Americani) decocto vivere. At nostros homines absque eo æquè

commodè atque ſalubriter victitare poſſe, illud verò pernego. Digni ſunt profectò qui alia comedant, qui nolunt meliora. Nimis craſſa hercle iſta medicatio, & ſuis cultoribus tantùm digna. Referamus, exempli gratia, quod omnibus notum eſt, quid agatur de vino. Hujus pulchram præparationem, qui non attento & philoſophico animo contemplatur, non meretur ſanè ut bibat. Primùm ſeparantur racemi, vinacea, pelliculæ: tum exprimitur ſuccus, hic rurſus in doliis ſuamet natura efferveſcit, ſpumam ejicit, fœces deponit, atq; tartaream materiam, donec depuretur perfectè. Quæ profectò præparatio, licèt naturalis quodammodo ſit, juvatur tamen ab arte. Fruſtra namque vinum à natura præſtoleris, ſi non exprimas ſuccum, & ritè præparatum in dolia infundas. Nec ſimilis utilitas ex uvis, quæ ex vino. Helveticos milites novimus, ceu ſtrage quadam, vineta obruiſſe, uvaſque magna voracitate depaviſſe. At quid accidit? nimirum crudum, non coctum, nec ritè fermentatum vinum, quod vorare, quàm bibere maluerunt; voracitatis inconſideratæ (licet fortè ob famem utcumque neceſſariæ viſæ) dederunt pœnas. Nam dyſenteriâ paulò poſt maxima eorum pars interiit. Salubriùs, & lætiùs

ùs egissent, si quâ unicè gaudent, merum perfectum, & ritè fermentatum fuissent præstolati. Quid dicam de reliquis cibis? carnes non crudæ, sed debitè coctæ, atque conditæ comeduntur. Eadem quoq; ratio est in aliis cibis.

Nunquid vides, ut industriæ percupidæ mulierculæ nonnullæ, suis ægrotantibus ex carnibus, & volatilibus parare norint colaturas, gelatinas, consummata? At hæc extracta sunt. Separantur quippe terrestria à laudatiori substantia, & ægro conducibiliori. Cur non idem facimus de medicamentis? Ægri certè natura, jam plus satis prostrata, crudos istos cibos sustinere neqvit, sed ab iis patitur, aut etiam succumbit. Quantò istud magis fiat à medicamentis non ritè præparatis, & ab impuriori sua substantia sejunctis? Nihil profectò aliud, quàm impedit ejusmodi impuritas, quò minùs medicamenti vis genuina cum hoste suo, morbo, inqvam, ejusque causa congrediatur, eumque vincat commodè, atq; pessundet.

Quid igitur fiat de iis medicinis, quæ non tantùm cruditatem in se contineant, sed malignam quoq; qualitatem aliquam: & talem non separatam, aut ritè præparatam, vel castigatam etiam porrò exhibere

audebimus? Solent, & (proh dolor) solent, ac nimis verò, sæpè, inqvam, solent, ejusmodi decocta, pulverata, mixta, nec alio ullo artificio parata medicamenta ægris plus molestiæ, (ne quid gravius dicam) adferre, quàm solatii, atque auxilii. Non itaque spernendæ, aut negligendæ sunt ejusmodi præparationes, concoctiones, inqvam, digestiones, & fermentationes. Nam hæc si fiant, ad imitationem fient naturæ, quæ iisdem utitur operationibus ad perfectè maturandos fructus, resque, quas producit universas. Sed pergamus.

Aristoteles in quarto meteorων tres constituit πέψεως, sive concoctionis species. Prima est πέπανσις, quæ est humoris in humido semine existentis & indefiniti, à calore naturali facta concoctio. Modus autem hic concoqvendi, maturandi, atque perficiendi plantarum, & reliqvarum rerum semina, ut germinent, & fructus uberrimos producere possint, est opus solius naturæ, quæ pro instrumento utitur illo calore vivifico, qui elemento stellarum proportione respondet, ut idemmet ait Aristoteles. Hunc ars si non imitari, ipsius tamen seqvi vestigia potest. Secunda concoctionis species est, ἕψησις, seu elixatio, quæ est indefiniti in humore existentis concoctio ab humido ca-

calore facta. Tertia & ultima est ὄπτησις seu assatio, quæ est ejusdem interminati à calore arido & alieno facta concoctio.

Hæ duæ ultimæ concoctiones ab arte præsertim fiunt: circa quarum moderationem diligentes pharmacopœos erudiemus, diligentes, inqvam, & verorum medicorum, artisque observantes, non nugivendulos, qui candelas, faces, & nescio quid nugarum conficere, atque divendere malunt, & mercatoria merce officinas suas opplere, quàm artis operibus incumbere, suamque artisq; suæ, quam temerè profitentur dignitatem tueri. Sint igitur pro liberalibus, mercenarii, & sordidi, non artifices, artisq;(quotquot sunt humano generi summè necessariæ,& almæ medicinæ famulæ)cultores, sed mercatores, mechanici, spem in pompa collocantes, atque lucro. Hostem in urbe malim videre, quàm hos nebulones. Ab illo enim cavere norunt sibi cives: at ab istorum perfidia,quam vel ignorantiâ,vel maliciâ,vel sanè negligentiâ præstant, quis sibi cavebit, nisi qui eosdem extra urbium pomeria ejiciet,atque exterminabit? De impostoribus hoc dico, & pharmacopœi titulum falsò usurpantibus, & mercatoriam avaritiæ causâ cum ea confundentibus, non de candidis, bonis,atque

diligentibus, ad quos hic noster labor pertinet, quibusque hæc nostra studia, & admonitiones in salutem plurimorum, ipsorumque laudem & emolumentum dicata sunto. Cautiùs prisci medici, iique summi viri sibi consulentes, in majori hanc artem habuerunt honore, & domi suæ manibus propriis medicamenta parabant. Solemus sanè & nos nostra quædã arcana, neutiquam istis porcis prostituenda, curare, ut ab amanuensi parentur domi nostræ; non ut lucrum exinde quæramus, sed honorem, artis laudem, & amicorum gratiam, quod norunt omnes, qui nos norunt & à nobis acceperunt. Tam alienus est animus noster ab avaritia, & habendi satagentia. Sed de hac re satis, pro occasione, nunc dicta sint. Pluribus non opus est. Res loqvitur ipsa. Vos verò quotquot estis genuini dogmaticæ pharmacopœæ sectatores, incumbite saltem vobis necessariis operationibus jam dictis, atq; porrò etiam dicendis. Non obruam vos novis & inauditis præceptis, aut præparationum modis: non difficilibus aut nullius utilitatis, sed qui vestram officinam deceant. Non nova fornacum introducam genera, sed ea ipsa, quæ vobis si non consveta sunt, at sanè esse debent, artique vestræ necessaria existunt. Denique

non

non novo aliquo docendi, instruendîve genere hiantes animos vestros opplebo, vel confundam, ne videar vobis prodiisse nuper ex nescio cujus Paracelsi omnibus ferè, ut video, exosi schola. Hoc injuriæ enim nomen inurunt hodiè plerique eis, quos non suæ farinæ homines, hoc est, res sibi non cognitas proferre animadvertunt. Ajunt enim viri etiam præcipuæ notæ detegisse istum merces pharmacopœorum, auratas eorum adaperuisse pyxides, in quibus vix aliud quicquam, quàm aërem putidum, pro salubribus istis mercibus quas petebat reperisse. Hinc, quòd talia sparserit in vulgus, mirum quot opprobriis, quot conviciis miserum lacessiverint. Atque utinam non tota etiam Galenicorum schola genii sui morbum in eo ostendissent. Qui sic sapiunt, rectiùs meo quidem judicio sese Galenicos dicent, quàm dogmaticos. Erat Galenus eximiæ eruditionis vir, & magnæ experiētiæ, sed reprehendēdi studio, si quis alius probatorum autorum flagrabat, ut patet ex ejus scriptis. Veri autem dogmatici non sic. Sed veritatem sectantes, & rationis ductum modestiores se, atque æquanimes præbent, non turbulentos, maledicos, & reipublicæ medicæ perturbatores. Ad me quod attinet, fateor, & gestio do-

gmaticum me medicum melioris ominis gentium constituisse; ad quorum ordinem vocatione legitima promotus sum jam antè annos triginta. Summorum virorum, & publicæ Reipublicæ dogmaticæ judicium esto, an dignus eam spartam sim nactus, & an cum laude in illa etiamnũ verser. Quicquid sit, istud mihi satis esto, placuisse conatus, & studia me ipsaque adeò etiam artis officia, summis regibus, atque principibus, qui me sibi in ordinem intimorum, atque familiariorum medicorum suorum haud postremum asciverunt. Summi Hippocratis divina scripta, ceu quædam quasi oraculo suspicio: admiror Galeni summum ingenium, & in docendo sagacitatem, atque promptitudinem. In horum scholis nutritia mea hausi, eademque in dies publicæ utilitati rependere conor. At mehercle non ideò me schismaticum esse autumo, si Paracelsi quædã scripta, præsertim ea, in quibus Hermetis dogmata sectatus est, probem, dilaudem atque dilucidem: maximè cùm constet indubiè omni vero, candido, atque cordato medico, illum velut ex Cimmeriis produxisse multa præclara artis ornamenta, multas admirandas præparationes, atque medicamentorum proprietates, quibus artem nostram locuple-

pletavit: non tamen me sibi advocatum constitui, ut causam ejus suscipiam defendendam. Nec multum curo, quid in Theologia ille scriptitarit, aut in philosophia, aliisque scientiis abstrusioribus. Ipse viderit, si quid præter divinorum oraculorum veritatem, & reverentiam à se prolatum. Assumo ea tantùm, quæ ad artem faciunt, quorum tot, tantaque invenio mysteria, ut habeat posteritas, in quo ipsum commendet, & admiretur. Si quæ novo, vel celato scribendi genere scripsit, nec probo, nec non probo. Non probo, si animo prorsus celandi id fecit: Approbo, si propterea id fecit, ne, quod in proverbio est, *Perlas objiciat porcis, mysteria ignorantibus, sapientiam contemptoribus.* Si quid secus, improbo, imò detestor, ut jam istud feci publico scripto in libello nostro jam ante viginti quinque annos edito contra Aubertum qvendam. Et certè optandum esset, doctissimos & summi alioqui nominis medicos non se ita in publicis suis scriptis mutuis conviciis lacessere, quæ plerumque ita injuriis offerciunt, & replent, ut jam non amplius literati, sed Thrasones potius gloriosi videantur: verиúsque in libris suis animi morbū prodant, quàm doctrinam, & juvandi præsentis, & posteri seculi studium. Qui hæc vident, &

advertunt, vel ii etiam, qui literas non profitentur, ab iis tamen prorsus non sunt alieni, rident & in contemtum postea trahunt ejusmodi doctores: probè gnari parùm decentis eruditionis atque moris esse, invidiis, injuriis & insectationibus se mutuò, vel scriptis, vel verbis per urbium compita, per angulos, aut apud ipsos etiam ægros clam, vel coràm impetere, atque prostituere. Brevi, non decet ista medicum, & Philosophum Christianum: sed agyrtas & circumforaneos, qui in scamnis, atque mensis sublimioribus stantes sua dilaudant, & alios præ se contemnunt, populo ut placeant, quæ improvidis, & non circumspectis obtrudunt. Sanè si vel Hippocrates, vel ipse etiam Galenus nunc reviviscant, summo gaudio utique perfundantur, si videant artem tanto, & tam nobili accessorio ditatam, & manus porrigant, & herbam vel ultrò, pro omnibus iis, quibus ars hodiè ampliata: illis verò prisco illo ævo incognita, atque inexperta fuerunt. Multa fortè etiam suorum placitorum, præ novis, vel ipsimet rejicerent, assveti maximè nimirum summi illi viri, rationi cedere, & manifestæ experientiæ. Nam patet ex eorum scriptis, quàm in multis sæpè hæsitent, in aliis fluctuent, propter fundamenti, cui superstruxerunt,

im-

imbecillitatem. Quæ tamen eorum ædificia penitus destruere, vel quomodocumque quatere, candoris nostri non est. Quin potius fulciamus ea strenuo ingenii, atque experientiæ nisu: ut & constet posteritati, nos non fungos, sed nostro etiam ingenio præditos fuisse, & mentem nobiliori illo sale conditam habuisse. Quod fiet, si majorum scripta non repudiantes, novis interim inventis ornemus, atque ditemus. Traduntur enim artes veluti per manus, & quisque suam novis inventis adornat, quo quisque altero est ingeniosior, vel magistro etiam in aliquibus superior. Inventis, inquies, facile est addere. Quid tum? inventoribus gratiam habeamus, & ditatoribus, qui nunc sunt, aut fuerunt, eandem referamus, nostraque si quæ sint etiam conferamus, ut à grata posteritate prædicemur.

Sed latiùs digressi sumus, ac fortè extra ipsa etiam instituti pomeria. Verùm placuit tamen in re non parvi momenti, utrumque hoc loco arrepta occasione ad nostram sententiam proferre. Excusabunt candidi Medici & probè docti, & æqua mente, non iniquâ prolata interpretabuntur. Nunc verò ad propositum redeamus: ad digestiones, inquam, tantopere operibus

phar-

pharmaceuticis necessarias quarum utilitates ad purificationes, & exactas, atque veras omniũ rerum concoctiones facilè percipient, qui eas ritè adhibebunt. Opus est tantùm vel unico Balneo Mariæ, vel saltem cacabo pleno aqua, quæ vel tepida, vel calida ad ignem, si opus sit, reddi posit. Nam differentias, & earum regimen postea trademus. Hoc medio apozemata, atque decocta pura, & clarificata parabuntur: non, ut illa, quæ vulgò parata albumine repurgata, hoc est, crasso illo modo parata, vel unius quartæ horæ spacio omnem fœcem in fundum deponunt, quam tamen iterata agitatione cum liqvore perfusam misero ægro obtrudere non erubescunt. Has fœces paucis aliquot horulis separabimus per digestionem, viribus nihilominus integris servatis, aut certè etiam longè valentioribus redditis, dempto nimirũ eo quod laudatioris essentiæ vim, atque actiones obtundere, obfuscare, aut penitùs impedire posset.

Sic solatio erimus ægris, sic naturam ejus tuebimur, morboque minore ejus molestia fræna injiciemus, donec à natura specifici medicamenti ope adjuta penitùs extirpetur extermineturque. Eadem porrò digestione perfectè depurantur succi radicum,

cum, foliorum, florum, uti docebitur in progressu. Et quod magis etiam est, dum digeruntur, coqvuntur quoq;, hoc est dulcorantur,atq; per Balneum Mar.humido liqvore seu vapore separato in Syrupi consistentiã rediguntur,quem diu servabis,absq; melle, vel saccaro. Ut vel hinc constet verissimè ab Aristotele prolatũ,omnia concoctione dulcescere, id quod experientia verè confirmat. Aut, ne quid novi introducere videar in officinas, & à pharmacopœorum communi methodo, duas tertias tamen saccari minùs, quàm solent, in ritè digesto atque concocto succo addendas svadeo, ut palato magis deserviam. Exempli gratia, in quo Syrupo antea posuerunt saccari ℔. iij. jam unam tantùm adjicient: eritque talis Syrupus minoribus paratus sumptibus, nihilominùs longè utilior, & qui longè minori possit exhiberi dosi, quæ tamen communibus illis longè sit efficacior. Nam cochlear unicum Syrupi de succo rosarum pallidarum hoc modo parati sufficiet ad evacuationem sufficientem moliendam. Cùm interim Syrupi, ut vulgò solent confecti, vix plures unciæ sufficiant. Nec mirum: Quid enim aliud ferè in iis, quàm saccarum cum minima succi quantitate? At notum est saccarum nec pugnare,

nec

nec refrigerare, quod tamen conditio Syrupi rosarum pallidarum maximè reqvirit. Sed de his plus suo loco agemus.

## Cap. VII.

### *De Aqvis.*

OPportunum jam est, ut, quam traditurі sumus pharmaciam in ordinem, ducto à liqvoribus (quibus ipsa uti solet, aut saltem debet) exordio, remedia, quæ jam suprà inseruimus, eadem methodo discutientes, redigamus. At quoniam inter liqvores aquæ primum sibi vendicant locum, earum descriptiones præmittere operæ pretium esse duxi. Has autem in simplices & compositas dividemus.

Ex simplicibus aliæ sunt calidæ, aliæ frigidæ, aliæ denique mediam inter utrasque qualitatem retinent; calidis ad humoris pituitosi, ac melancholici (quos frigidos esse autumant) præparationem utuntur: frigidæ verò ad bilis omnes species (quæ etiam calidæ, ignisque in homine naturam retinere existimantur, quemadmodum pituita aquæ & melancholia terræ) præparandas usurpantur.

Aquæ autem calidæ, quas pharmacopœus in officina sua paratas adservare, omniq; tempore destillare debet, sunt

Aquæ

Aquæ

| | | |
|---|---|---|
| Aqvę calidę | *Camomillæ* | *Ivæ arthriticæ* |
| *Abrotani* | *Cardui bened.* | *Iuniperi* |
| *Anethi* | *Ceterac* | *Lavendulæ* |
| *Absynthii* | *Centaurii* | *Majoranæ* |
| *Ambrosianæ* | *Chelidoniæ* | *Marrubii* |
| *Artemisiæ* | *Ebuli* | *Matricariæ* |
| *Basiliconis* | *Enulæ Campanæ* | *Melissæ* |
| *Bardanæ* | *Fœniculi* | *Meliloti* |
| *Betonicæ* | *Hyssopi* | *Nucum viridium* |
| *Calamenthi* | *Iridis* | *Florum nucum* |
| *Origani* | *Plantaginis* | *Eupatorii Avic.* |
| *Petrocelini* | *Papaveris albi* | *Fraxini* |
| *Pulegii* | *Papaveris rubri* | *Fumariæ* |
| *Peoniæ* | *Portulacæ* | *Filicis* |
| *Rorismarini* | *Ranarum aut potius* | *Genistæ* |
| *Raphani* | *spermatis* | *Halicacabi* |
| *Ruthæ* | *illarum* | *Ivæ arthriticæ* |
| *Sabinæ* | *Rosarum* | *Florum lilii* |
| *Salviæ* | *Sempervivi* | *Lapati acuti* |
| *Satureiæ* | *Solani* | *Lupuli* |
| *Serpilli.* | *Violarum.* | *Malvæ* |
| Frigidę sũt. | Temperatæ sunt. | *Mercurialis*<br>*Milii solis* |
| *Acetosæ* | *Absynthii* | *Parietariæ* |
| *Boraginis* | *Adianti* | *Primulæ veris* |
| *Buglossi* | *Agrimoniæ* | *Politrici* |
| *Succi citri* | *Argentariæ* | *Prunellæ* |
| *Cichorii* | *Althææ* | *Sambuci* |

Ca-

| | | |
|---|---|---|
| *Cucumeris* | *Archimillæ* | *Senetorum* |
| *Cucurbitæ* | *Aſparagi* | *Scolopendrii* |
| *Ceraſor. acid.* | *Alkekengi* | *Scabioſæ* |
| *Caraſor nigror.* | *Burſæ paſtoris* | *Tamaricis* |
| *Endiviæ* | *Caudæ eqvinæ* | *Tuſſilaginis* |
| *Fructus fraga-riæ* | *Cereſolii* | *Valerianæ* |
| *Lactucæ* | *Conſolidæ utriuſ-que* | *Verbaſci* |
| *Limonum* | *Caprifolii* | *Veronicæ* |
| *Melonum* | *Citoniorum* | *Verbenæ* |
| *Nymphεæ* | *Euphragiæ* | *Urticæ* |
| | | *Ulmariæ.* |

Inter enumeratas aquas aliæ ſunt Cephalicæ aut Cerebri affectibus accomodatæ, ſive hi generales ſint, ſive particulares & proprii, & aurium, oculorum, & reliqvarum capitis partium morbi.

Aquæ cephalicæ, ſive cerebrales ſunt, aquæ baſiliconis, betonicæ, calendulæ, calamenti, juniperi, lilii convallii, majoranæ, meliſſæ, pœoniæ, primulæ veris, roriſmarini, ſatureiæ, ſerpilli, florum tiliæ arboris, viſci querni. Omnes hæ aqvæ frigidorum humorum, qui in cerebro exiſtunt, pituitæ nempe, ac melancholiæ præparationi inſerviunt: ac potiſſimùm quidem Aquæ Baſiliconis, betonicæ, ſalviæ, roriſmarini, ſtœchados, ſerpilli, Apoplexiæ, reliquiſq; ejuſmodi ſoporiferis affectibus expituita, & humore crudo natis dicatæ ſunt. Aquæ

Aquæ calendulæ, granorum juniperi, primulæ veris, quæ & herba paralysis dicitur) mirè ac specificè ad paralysim conducunt.

Aquæ peoniæ, lilii convallii, florum tiliæ arboris, visciqverni antipilepticæ nominantur, ut & ipsa etiam cerasorum nigrorum aqua.

Aqua fraxini cum suo sale mixta specificum est ad surditatem non inveteratam remedium.

Aquæ chelidonii, euphrasiæ, fœniculi, rosarum & peculi rosarũ, caprifolii ophtalmicæ sunt, ac aliæ quidem oculorum inflammationibus, aliæ reliquis eorum affectibus, imò & acuendæ ipsorum aciei, conservandæque accommodatæ sunt.

Aquæ Bardanæ, camomillæ, enulæ campanæ, iridis, hyssopi, urticæ, peti, adianthi, scabiosæ, tussilaginis, buglossi, boraginis, violarum, papaveris rubri, pectoris vitiis mirificè conducunt, ex quibus quidem aliæ humori crasso viscidoque bronchiis pulmonum contento attenuando, & juvandæ expectorationi: aliæ verò tenuiori ac subtiliori incrassando per se, aut syrupo convenienti immixtè mirum in modum conferunt.

Aqua papaveris rubri (quam semper paratam

ratam pharmacopœi habere deberent) ſingulare ſpecificumque ex intenſiſſimo rubore notum, ad peripnevmoniam, pleuritim, cæteraſque pulmonum inflammationes, remedium eſt.

Aqua peti (quam nec parant pharmacopœi) generoſiſſima eſt ad affectum, quem Aſthma vocant, ut & ipſe etiam ſyrupus, qui ex illo conficitur, uti dicetur ſuo loco.

Aquæ Meliſſæ ſcabioſæ, acetoſæ, ſucci citri, ſucci limonum, granatorum, cardui benedicti, roſarum & violarum, corroborationi cordis ſunt ſaluberrimæ: peſtilentibuſque febribus, ſyncopis, palpitationibus tum aſſumptæ, tum forma epithematis extrinſecus admota medentur.

Aquæ Abſynthii, menthæ, Ambroſianæ, cotoneorum ſtomachales ſunt. Aquæ cichorii, endiviæ, adianthi, hepaticæ, agrimoniæ, eupatorii Avicennæ, Lapathi acuti hepaticæ ſunt; intemperieſque jecinoris humores præparando, ipſumque corroborando, corrigunt.

Spleniticæ ſunt aquæ ceterac, ſcolopendrii, geniſtæ, tamaricis.

Aquæ raphani, halicacabi, florum juniperi, parietariæ, milii ſolis calculum comminuunt,

nuunt, arenulasque & materias tartareas in renibus accumulatas dissolvunt.

Aquæ malvæ, bismalvæ, cucurbitæ, melonum, cucumeris, nymphæ, renes ipsos leniunt, urinæque ardorem & acrimoniam contemperant.

Aquæ plantaginis, bursæ, pastoris, alkimillæ, veronicæ, pirolæ, caudæ eqvinæ, consolidæ utriusque renum ulceribus, ac excoriationi conferunt, suntque aqvæ vulnerariæ.

Aquæ cardui benedicti & ulmariæ sunt aquæ sudorificæ, ac pestilentibus affectibus conducunt.

Aquæ arthemisiæ, matricariæ, marrubii, mercurialis hystericæ sunt, uterumque juvant, & affectibus ipsius prosunt.

Et hæ quidem sunt aquæ, quæ singulas corporis nostri partes respiciunt, singulisq; ipsarum pathematis sive affectionibus medentur: & inter eas quidem sunt, quæ diversis tam internis quàm externis, præter suprà enumeratos, morbis specifica quadam qualitate accommodantur: videlicet aqvæ anethi, florum camomillæ, sambuci, florum nucum, rutæ colicis doloribus ex vento profectis, levamen tribuunt.

Aqua hyperici, & portulacæ, puerorum lumbricos enecat.

Aquæ cerasorum acidulorum, fructus euphragiæ, papaveris albi, florum centaurii tertianis febribus & biliosis non mediocre ferunt solatium,

Aquæ ebuli, ivæ arthriticæ, verbasci arthriticos dolores sedant, si partibus dolentibus linteamina suprà dictis aquis imbuta tepidè apponantur.

Aqua ex foliis & radice filicis destillata omnibus adustionibus & linteaminibus tepidè imbutis singulari profectu confert.

Aqua spermatis ranarum mense Martio destillata, antequam excludantur, excellens est ad omnes oculorum faciei, totiusq; corporis partium phlegmonas eo, quo dictum, modo admota, remedium.

Ecce tibi aqvarum stillatitiarum, quibus nullo tempore carere debent pharmacopœi, cathalogum: ecce, inqvam, specificas verasque uniuscujusque proprietates. Nec sanè satis est illud nosse, verùm & ipsas destillandi, servatis integris virtutibus atq; proprietatibus, modus tenendus est: qui quidem alia longè ratione perficitur quàm vulgari illa destillatione, qua phlegma solum, & inutilis quædam aqua citò putrescens & flaccescens extrahitur.

Itaque ut eam methodum planè restituamus, novamque prorsus ei dissimilem intro-

troducamus: herbas, flores, aut reliqua ejusmodi integra in alembicum, sive æneum, aut vitreũ sit, conjecta, destillãdi loco: flores destillandos conteremus, eorumq; jure torculari expresso, & in cõmune alembic infuso virtutẽ ejus integrã, substantiamq; more solito extrahemus. Quæ quidem ut efficacior evadat, vegetiorque, excipiendæ sunt fœces, & quæ post succum expressum, & quæ in alembici fundo remanserunt, quas in vas terreum impositas, igni ardentissimo calcinabis, donec omnino in cinerem abeant. His peractis cineres istos in manicam Hippocratis injicies, quibus infundes prædictam aquam destillatam, ut omnem salem recipiat reaffusione sæpiùs repetita: & ita quidem habebis aqvam suo sale imbutam, præcipuisque stirpis, ex qua emanavit, virtutibus præditam. Aqvam, inqvam, quæ multos menses, imò & annos integra incorruptaque conservari potest, cujus etiam vel uncia unica plus præstabit, quàm plures illius, quæ communi via extrahitur. Nec sanè labori parcendum, aut ab ea operatione nequaquam deterrendum, cùm tantæ rei tamque preciosæ, sanitatis nempe humani corporis, gratiâ fiat. Quod si prædictæ aquæ colorem, & odorem proprium imprimere sit animus: ingentem eorum-

met florum copiam in roſtro Alembici impones, ut inter deſtillandum, aqva ſurſum aſcendens ex iſtis floribus calorem & odorem (quæ utiles & pulcherrimæ ſunt qualitates) alliciat & retineat. Et hæc tibi eſt concinna,ni fallor, brevitate, vera & legitima aqvarum ſtillatitiarum præparatio.

At verò, ſi unico pharmacopœo omnes ſuprà enumeratas aqvas præparare per ocium ac commoditatem non liceat: plures ejuſdem urbis inter ſe convenire deberent (uti fit plerìſque in locis ac potiſſimùm in Italia) ut unuſquiſque ſibi partem earum præparandam aſſumeret,aliiſq; ſi opus fuerit, mutuò ſuppeditaret. Et ita quidem artis medicinæ dignitas conſervaretur,illorumque gloria, & honos, non ſine ingenti populi utilitate, augeretur.

Porrò non nobis ſatis eſſe duco primam illam & ſimplicem aquas cum integris virtualibuſque qualitatibus deſtillandi reſtitutam methodum inſtituiſſe: quâ quidem methodo (præter ipſius aquæ bonitatem) ſi furni vaſaque propria & commoda ſuppetant, plus uno die, quàm pluribus, & faciliori longè negocio deſtillabis, ut cuivis experto facilè patebit. Quinimò etiam eadem ratione, ſi per balneum vaporoſum aquam extrahere in mentem veniat, totum

penè

penè ſuccum prædictum deſtillabis, ita tamen, ut aqua ne minimum quidē fumum, aut uſtionem ſuboleat: neque hoc ſolum, verùm etiam & eadem methodo ex omnibus plantis calidis, ac odoriferis præſertim, (quas ſulphure ac oleo ex odore illo abundare conſtat) unà cum aquis olea puriſſima, clariſſimaque elicies, quæ quidem quòd aquis ſupernatare percipiantur, facili negocio ſeparabis. Sed & ultrà progredi, ac certam facilemque aquas vitæ, ex plantis, floribus seminibuſque cujuſcunque generis ſint extrahendi methodum tradere eſt animus. Et id quidem per digeſtionis, & fermentationis viam, qua ſanè cuivis candidi ſynceríque ingenii viro indicare perfacile erit, nos non perperam ſuprà operationes iſtas tantis laudibus & encomiis ſuſtuliſſe. Ac ipſe quidem altiùs penetrare, (niſi ſtupido prorſus, ac hebeti ſit ingenio) philoſopharique poterit, & percipere, quàm ſcitè quamque commodè ſuprà in tractatu noſtro de ſignaturis internis rerum, ſangvinis noſtri analogiam, cum vino, ipſiuſque aquæ vitæ cum nectare vitæ noſtræ, balſamoque radicali contulerimus. Cum ex omnibus rebus, ac iis potiſſimum, quæ in alimentum veniunt, ſola prædictarum digeſtionum, & fermentationum ope, imò etiam

iam & ex iis, quæ frigidæ existimantur, aqua vitæ elici possit, quæ sit vera rei qvinta essentia. Aqua, inquam, vitæ, quæ de natura cœlestiætherea, flammamque non secus, ac ea, quæ ex vino elicitur, concipiente participet. Experientia etiam ipsa satis planum faciet; quomodo non tantùm vinum, sed & triticum, omniaque cerealia, & semina alimentosa, multò plus nectaris illius vivifici, quàm reliqva vegetabilia alendo corpori nostro inepta contineant.

Hanc autem methodum ut tandem aperiamus, ordiemur quidem à rosis, quæ frigidæ esse autumantur, ex quibus tamen odoratissima aqua vitæ extrahitur, & adeò excellens, ut unica ejus guttula, ingenti satis aquæ copiæ odorem suum communicare, eamque utilissimam jucundissimamque reddere possit. Rosæ igitur debita tempestate, nec ea quidem pluviosa, roridaque, cum scilicet plantæ madido rore humescunt, sed expectandũ, donec Sol radiorum suorum vi omnem istam roridam humiditatem dissipaverit, copiosa satis quantitate colligi debent. Rosas itaque collectas & quàm fieri potest diligentissimè tritas, in vase terreo vitreato, aut parvo dolio qverneo includes, & quàm optimè manibus premes, quo vas prædictum penè impleatur.

Quod

quod quidem vas clausum obturatumque, facilius fiat digestio, repones in cella vinaria per mensem unum aut diutiùs, si opus erit, donec materiam prædictam vinum fermentatum subolere odoratu percipias: quo argumento jam absolutā fermentationem esse cognosces, & eò quidem protelanda est, quò prædictum signum appareat. His perfectis, assume tibi quartam, quintámve rosarum fermentatarum partem pro vasis tui magnitudine (quod sanè necessariò tale esse debet, qualia ea sunt, quibus destillatores Chymici olea sua & aquas vitæ eliciunt; quæ quidem ampla, æneaque potiùs, quàm plumbea sunt, refrigeratoriisque suis, ut vocant instructa, quibus aqua plenis, spiritus frigore condensati faciliùs commodiusque eliciuntur) Assumptam illam rosarum fermentatarum portionem, more solito destilla; quo facto, fœces residuas in fundo Alembici subsidentes separa, & tantundem prædictarum rosarum fermentatarum eidem vasi repone, hisque priùs extractam aquam affunde, omnia rursus (vase hermeticè clauso, uti dictum) ad siccitatem usque destillando. Collige iterum resiccatas fœces, (quas etiam si velis cum prædictis reservabis) & Alembico eādemmet prædictarum rosarum quantitatem, quam prius injice,

quibus denuò totam aqvam destillatam re-affundes, & toties iterabis, donec omnes prædictas rosas fermentatas destillaveris. His ritè, ut decet, absolutis, universam, quam elicueris, aqvam assumes, & lento igni in vase colli oblongi, sive matratio, sive quo aqvæ vitæ extrahi solent, duodecimam ejus tantùm partem (quæ omnium penè spiritualium qvantitas est) destillabis. Ita ut, si, verbi gratia, duodecim aqvæ libras habueris, unicam tantùm aqvæ odoriferæ tamen, & jucundissimæ, spiritualisque atq; flammam æquè, ac ea quæ ex vino est, concipientis, elicies. Quam etiam, ut magis virtualis reddatur, adhuc rectificare poteris. Reliqva verò aqva, quæ in fundo Alembici subsidebit, odorifera, longeq; svavior, & melior existet, quàm ea, quæ communi ac vulgari modo destillatur: cui etiam sal suum imprimere poteris, si prædictis fœcibus in pulverem redactis & manicæ Hippocratis impositis, eam sæpius affundas, quo salem suum facilius alliciat, retineatque. Eadem planè ratione ex violis, aliisque floribus, ac iis potissimùm, qui calidi, odoriferique existunt, ut rorismar. salviæ, betonicæ, cæterisque ejusmodi aqvas vitæ elicies, quæ multò præstantiores efficacioresque sunt ad morbos, (quibus

bus supra convenire docuimus) propulsandos, quàm si communi illo vulgarique tramite perficiantur. Adde quod vel minima quidem qvantitate exhiberi possunt, ut admirandos prorsus, & incredibiles effectus pariant.

Ita etiam ex stirpibus (cujuscunque generis sint, sed ut plurimùm calidis) tritis, ac, quemadmodum suprà, præparatis prædictæ aqvæ vitæ facillimè extrahuntur. Idem fit ex fructibus optimè fermentatis, ut satis abundè testatur experientia in pomaceo, pyraceoque, quæ ex pomis pyrisque in vase proprio (non secus ac vinum) præparantur, quodammodò vinescunt, ac tunc ex iisdemmet aqva vitæ extrahitur.

Eademmet aqva vitæ ex tritico, granis, seminibusque farinaceis omnis generis elici potest. At quoniam iisdem seminibus non tanta inest, quanta floribus, foliisq; liquoris mercurialis, seu aquæ copia, trita, crassoque modo pulverizata, in parvulum dolium, quod ex ligno querneo confectum sit, injici, & aqua tepida, donec in liquidiorem quandam consistentiam abeant, imbibi debent. Quibus etiam ad digestionem accelerandam (cui præcipuè incumbendum est) tantillum fermenti communis, aqua vulgaris distemperati adjicere pot-

poteris. His peractis, vaseque optimè clauso, in loco frigidissimo (quò faciliùs fiat fermentatio) reponantur, donec acescere, vinúmque redolere persentias. Tunc eadem methodo, destillandique ratione procedes, quam suprà in extractione aquæ vitæ rosarum docuimus. Hactenus de aqvis simplicibus. Restat tandem, ut de compositis verba faciamus, utilesque quarundam descriptiones tradamus, quas pharmacopœi non modò scire, verùm etiam paratas semper habere, aliisque quamplurimis aquis nullius, aut parvi momenti præferre debent.

Aquæ artificiosè compositæ sunt:

*Elixiria vitæ*
*Aqvæ theriacales diversis affectib. specificæ*
*Aqva contra venenum & pestilentes omnes affectus*
*Aqva antipoplectica & antipileptica*
*Aqvæ antipilepticæ*
*Aqvæ antifebriticæ*
*Aqvæ ophthalmicæ*
*Aqvæ antinephreticæ*
*Aqvæ hystericæ*
*Aqvæ imperialis*
*Aqva vulneribus sclopetariorum accommodata.*

*Eli-*

*Elixir descriptionis nostræ admirandum remedium ad inveteratos morbos peneq; desperatos propulsandos, sanitatem conservandam, vitamq; ipsam prorogandam.*

℞. radicis Zedoariæ, Angelicæ, gentianæ, valerianæ, tormentillæ, barbæ hirci, galangæ, ligni aloës, santali citrini: ana ℥iij, melissæ, menthæ rubiæ, majoranæ, basiliconis hyssopi, chamedryos, chamæpithios ana m. ß. granorum lauri, juniperi, seminis peoniæ, seseleos, anethi arthemisiæ, & cardui benedicti ana ℥ij. corticis citrii, visci querni Myrabalonor. omniũ ana ℥j. Caryophyllorũ, Cinnanomi, macis, zinziberis, cubebarum, cardamomi, piperis lõgi & rotũdi, spicæ nardi ana ℥j. ß. Aloes, hepat. myrrhæ, olibani, mastiches ana ʒ.vj. florũ rorismarini, salviæ stæchados, calẽdulæ, hyperici, centaurii, minoris, betonicæ, tiliæ arboris ana p. ij. florum cichorii, rosar. rubrar. bugloss. ana p. ij. mellis granati, saccari albi ana ℔ j. aquæ vitæ optimè rectificatæ ℔x. incidenda incidantur, & contuntenda contundantur. Omnia hæc in matratium capax, & hermeticè clausum, ne quid exhalet, injecta, in fimo eqvino mediocriter calido per 8. aut 10. dies putrefiant: putrefacta fortiter exprimantur, expressio verò per cornutam ad convenientem ignem destil-

letur in alembico. Aquam, quæ primum ab expreſſione illa effluet clariſſima (pretioſa tamen) ſeorſim aſſervabis, cùm verò recipiens, (quod capax, vitreumque eſſe, & optimè cum collo cornutæ adhærere debet, ne vel minimum quidem expiret) obſcurari, ſpiritibuſque ſubalbidis offerciri percipies. Aliud ejus loco, aut idemmet repones, ſi priùs extillatum illum primum liquorem ſeorſim aſſervandum ſeparaveris. Iunctoque denuò optimè,ut priùs cum collo cornutæ recipiente, ignem per gradus ut artis eſt, pedetentim augebis, quò prædicti ſpiritus ſubalbidi non amplius appareant. Dein aufer tuum recipiens, ut eam, quæ ſecundò elicita eſt aquam (quam matrem balſami vocant) ſeorſim etiam ſepares, adſerveſque & hæc quidem, tùm ad plures morbos extirpandos, tum ad conſervandam ſanitatem mirabili profectu conducit. Accommoda rurſus prædictum recipiens, & ſicut feciſti antea ignem per gradus auge, donec deſtillato primò oleo ſubflavo, deinde rubicundo, materiæ in fundo ſiccæ remaneant, nec tamen perfectè aridæ, ne qui extillarit liquor aduſtionem ſuboleat. Quibus peractis aſſume tibi aquam illam clariſſimam, quam primò ſatis copioſè elicuiſti, affunde reſiduis fœcibus,

bus, & fac ut simul per 6. aut 7. dies digerãtur ad calorẽ balnei mariæ, donec aqua coloretur, & flavescat, attracta scilicet magis ignea & oleaginosa materiei portione: fœces residentes, cum scilicet omnem tincturam suam prædictæ aquæ impresserint seorsim ad dicendos usus adserventur. Post omnes prædictos liquores (servata tamen si libuerit ex unoquoq; portione aliqua ad affectus supra commemoratos, quibus mirum in modum prosunt) & cum quoque ipsum, qui ex fœcibus tincturàm attraxerit, simul miscebis, ut inde preciosissimum, longeq; prædictis excellentiorem elixir vitæ elicias: more sequenti procedendo.

Tres itaque prædictos liquores simul mixtos per cornutam, aut Alembicum vitreum (nulla tamen præmissa digestione præter mixtionem ipsam) destillabis, eademque planè ratione, qua prius elementa, principiaque liquorum separabis: elicies namq; primam aquam clarissimam, quam seorsim reservabis, cum scilicet recipiens fumo nubiloso obscurari cognoscas, dein mutato recipiente, accommodatoq; ut prius igne eò continuabis, quo liquorem subflavum effluere percipias, quem etiam seorsim ut priorem adservabis. Interim

terim dum prædictæ destillationes, aut elementorum sive principiorũ duorum separationes fient, reservatas superius fœces ad ignem reverberii calcinabis, ex quibus in cinerem redactis sal, ut artis est, cum prima tua aqva clarissima allicies, quæ quidem aqva sale suo imbuta, cum reliqvis duobus adservatis liqvoribus permisceatur, ut tandem ex triangulo facias circulum, ut loqvuntur philosophi, nempè ut ex tribus illis distinctis aqvis, per circulationẽ in pellicano ea, qua decet arte, factam, una essentia erumpat. Fiatque ea ratione magnum illud elixir vitæ arcanum admirandum. Et id quidem via satis succincta, facili, atque philosophica, verisque philosophis nota, ex qua viam, & certam methodum conficiendi elixiris ex omnibus rebus asseqventur. Hujus elixiris ineffabiles sunt virtutes ad curandas, & præcavendas vertigines, epilepsias, apoplexias, paralyses, manias, melancholias, Asthmata, syncopas, lipothymias, stomachique & aliarum partium imbecillitates, cachexias, hystericas passiones, & alia id genus summa & deploranda symptomata. Hujus guttulæ aliquot tantùm exhibentur cum decocto convenienti, morboq; appropriato, ut verbi gratia, ad epilepsiam, cum aqua peoniæ, lilii convallii, aut florum

tili-

tiliæ arboris: Ad paralysim, cum Aqua calendulæ, ad pestem, cum aqua ulmariæ,aut cardui benedicti, ad Asthma, cum aqua scabiosæ, peti, tussilaginis, aut similibus. Valet quinetiam illud elixir ad restaurationem,& conservationem Balsami nostri radicalis, si quatuor aut quinque guttulæ exhibeantur cum jusculo, vino aut convenienti aliquo liquore.

Sed dices laboriosiorem æquo,prolixioremque esse hujus elixiris præparationem: At sanè longè satius,necessariumque magis est tempus in tantis, tamque admirandis rebus, quàm in refercienda vilibus, ac inutilibus penè medicamentis officina collocare. Attamen ut omnibus etiam indulgeam, faciliorem, & jucundiorem forsan elixiris ad sanitatem conservandam, vitamque prorogandam efficacissimi præparationem subscribam.

*Aliud elixir vitæ facillimum.*

℞. radicum gentianæ in taleolas sectarum & exsiccatarum ad lentum calorem, & radicis centaurii minoris ana ℥ iij. Galangæ, cinnanomi, macis,caryophyllorũ ana ℥ j. florum salviæ, hyperici, rorismarini. ana p. ij. vini albi generalissimi ℔ vj. macerentur in matracio vitreo bene clauso per

octo dies ad ignem balnei mariæ lentum, deinde fortiter exprimantur, & per Alembicum vitreum destillentur per cineres ad siccitatem. Aquam destillatam fœcibus reaffunde, ut ex his in balneo mariæ tepido totam tincturam elicias: fœces post tincturæ extractionem reducantur in cineres, quos impones in manicam Hippocratis: prædictam aquam tinctam cineribus illis sæpius reaffundendo, ut totum proprium salem attrahat. Ex hoc elixire quarta cochlearis pars aut per se, aut ex liquore convenienti diu exhibeatur. Specificum est remedium ad omnes cachexias, stomachi imbecillitates, quem à viscidis & mucilaginosis humoribus, huic adhærescentibus, expurgat, mundificatque, vermium generationem prohibet, corpusque sanum conservat, & ab injuriis tuetur. Hoc autem bis tantùm in hebdomade, sed tamen longo tempore utendum est.

*Aqua Theriacalis cephalica, & affectionibus cerebri deploratis, nempe apoplexiæ, paralysi, epilepsiæ, & similibus specifica.*

℞. radic. pœoniæ, visci querni, acori vulgaris, ana ℥ iij. granorum juniperi maturorum, seminis pœoniæ ana ℥ j. caryophyllorum,

rum, macis ana ʒ vj. caſtorei ℥ ß. florum ſtœchados. Calend. betonic. anthos, ſalviæ, lilii convallii, tiliæ arboris ana p. ij. incidenda incidantur, contundenda contundantur, & macerentur per triduum ad ignem balnei calid. in vini albi generoſi ℔ ij. & aquæ pœoniæ, ſalviæ, & calendulæ ana ℔ j. dein exprimantur fortiter. Huic expreſſioni adde theriaces Alexandrinæ ℥ iiij. confectionis Anacardinæ meſ. ℥ j. ß. diamoſci & Aromatici Gabriel. ana ℥ ß. macerentur denuò per duos tréſve dies ad ignem lentum balnei mar. dein exprimantur, & deſtillentur per cineres ad ſiccitatem, fiat aqua theriacalis. Datur ex parvo cochleari argenteo ad inſultus epilepticos, apoplecticoſq;, & prædictos morbos mirificè conducens.

*Alia aqua theriacalis, cordialis, & Bezoardica omnibus cordis pathematis, peſtiferiſq; affectibus miro progreſſu conferens.*

℞. rad. Angelicæ, caryophyllatæ, barbæ hirci, tormentillæ, petaſites, enulæ companæ ana ℥ ij. ſantali citrini, & corticis ejuſdem ana ℥ j. ß. diptami albi, ſcabioſæ, rutæ ulmariæ ana m. j. florum centaurii mino-

ris, hyperici, genistæ, violarum, boraginis, buglossi, nymphea, rosarum rubrarum ana p. j. macerentur per quatriduum ad ignem balnei mariæ in ℔ iij. vini malvatici, & succi limonum & aquæ melissæ, acetosæ, & rosarum ana ℔ j. dein exprimantur. Expressioni adde theriaces ℥ iij. confectionis de hyacintho ℥ j. confectionis alchermes ʒ vj. diamarg. frigid. diatria-santali ana ʒ iij. diambræ, & diacoralli ana ʒ ij. croci, myrrhæ ana ℥ ß. macerentur denuò per duos trésve dies ad eundemmet ignem balnei. Dein destillentur per cineres ad siccitatem: fiat aqua theriacalis: ut præstantior, & efficacior fiat extrahendum est sal ex fœcibus residentibus, ea, qua decet arte, atq; cum aqua prædicta commiscendum.

*Aqua theriacalis communis pro gregariis.*

℞. theriaces Alexandrinæ ℥ iij. myrrhæ ℥ j. ß. croci ℥ ß. misceantur, digerantur, & destillentur ad siccitatem in balneo vaporoso. de hac aqua exhibe ℥ ß. cum aqua rutæ, vel fumariæ potenter sudores movet, valet ad pestilentes omnes affectus.

*Aqua contra venena & pestilentes omnes affectus.*

℞. rad. Angelicæ, carlinæ, tormentillæ, & cor-

corticis olibani ana ℥ ij. cardui benedicti, ulmariæ, santalorum omnium ana ℥ ß. mytridatii theriaces & cōfectionis de hyacintho ana ℥ ij. specierum diamagariti frigidi, camphoræ ana ʒ ij. terantur crassiusculè: & indantur in alembicum vitreum superaffundendo aquæ vitæ rectificatæ ℔ iij. digerantur vase optimè clauso: dein per cineres, aut balneum vaporosum destillentur, & est aqua mirabilis ad venenum & pestilentes omnes affectus, dosis semicochleare argenteum.

*Aqua antiapoplectica & antiepileptica.*

℞. aquæ florum tiliæ arboris, lilii convallium, cerasorum nigrorum, salviæ, eo quo dictum suprà modo extractarum ana ℔ j ß. visci querni, dictami, caryophyllorum, cinnamomi, nucis moscatæ, macis, cubebarum, zinziber. ana ℥ j. seminum peoniæ baccar. juniperi dictami ana ℥ j ß. florum, anthos salviæ, bethonicæ, stœchados, calēdulæ, hyssopi ana p. j. camphoræ ʒ iij. digerantur per aliquot dies, dein destillentur per balneum vaporosum ad siccitatem dosis cochle. j.

*Aqua Hirundinum antiepileptica.*

℞. Hirundinum adhuc in nido existentium viij. aut x. paria, florum lilii convallium p. ij. caryophyll macis ana ℥ ß. coquantur omnia in duabus tribúsve heminis vini albi optimi, dein exprimantur fortiter & destillentur, hujus aquę cochlearia duo hoc morbo correptis exhibeantur: promptè enim à præsenti paroxismo liberat, futurumque prohibet. Hanc me primum docuit Dominus Rondel.medicus celeberrimus Monspelliensis, & præceptor meus: quàm tamen pro magno & non revelando secreto celabat. Eidem autem Hirundinum aquæ paucula, quæ seqvuntur adjeci, cujus etiam felices & admirandas vidi experientias.

*Alia aqua Hirundinum nostræ descriptionis.*

Accipe suo tempore sex aut septem, vel plures, si velis, hirundinum nidos, cùm ipsæ lanugine cooperiri incipiunt. Has integras in alembicum proprium conjice, destilla, & aquam inde effluentem asserva: dein fæces residuas in fundo subsidentes in cinerem, qua decet arte, redige, ex quo sume ℔ ß. cinerum cranii humani, & si fieri possit, inhumati ℥ iij. castorei ℥ j. ß. pulveris visci querni ℥ j. succi rad. & foliorum

poeo-

pœoniæ ʒ vj. aquæ hyſſopi, florum tiliæ arbor. lilii convallii ana ℔ j. aceti ſcillitici ℔ ß. aquam omnem quam ex hirundinibus elicuiſti : macerentur omnia per aliquot dies ad ignem balnei, dein per cineres, aut ſaltem per balneum vaporoſum ad integram uſque ſiccitatem deſtillentur : ea enim ratione aqua aduſtum non redolebit, ſed cum omnibus ſuis qualitatibus integris & requiſitis effluet. Hæc aqua per ſe ſola ſale dulci proprio imbuta (præmiſſis tamen per menſem integrum generalibus remediis convenientibus) ad medium cochleare ſumpta mirabiles effectus prodit.

*Aqua picarum compoſita ad epilepſiam quoq; ſpecifica.*

℞. pullos picarum n. xij. fruſtatim unà cum inteſtinis & pennis incidantur, & ponantur in vas terreum vitreatum addendo radicis pœoniæ Zedoariæ & viſci querni ana ℥ ij. florum tiliæ arboris, lilii convallii, hyſſopi ana p. ij. concoquantur in ℔ viij. hydromel. ad medietatis conſumptionem, dein exprimantur. huic expreſſioni adde granorum lauri, juniperi, pœoniæ ana ℥ ß. caryophyllorum, nucis moſcatæ, croci, cinnamomi, cubebarum ana ʒ iij. caſtorei ʒ ij. ß. florum anthos, betonicæ, ſtœchados

arabicæ, primulæ veris, citrii mali ana p. ij. anagallidis purpureis floribus p. iij. contusis contundendis, digerantur per 4. dies, dein destillentur per balneum vaporosum ad siccitatem. Dosis hujus aquæ est cochlear unum.

*Aqva antifebritica quam mihi D. de la T au-lade doctissimus honestissimusq; vir communicavit.*

℞. melissæ betonicæ, argentinæ ana partem unam, ut ex illis omnibus simul tritis & expressis ℔ iiij. ad minus succi extrahi possint. succi foliorum & radic. centaurii minoris (quod febrifugam vocant) ℔ ij. Aquæ Astacorum seu cancrorum fluviatilium cum crustis conquassatorum ℔ j. ß. aquæ ex succo capitum viridium papaveris albi elicitæ, aquæ fructuum fragariæ ana ℔ j. misce & in alembico vitreo per cineres destilla: specificum est ad omnis generis febres, ac intermittentes potissimùm, sed maximè tertianas nothas & exquisitas. Hujus autem usus est ejusmodi: ut xij. hor. ante paroxismum clyster emolliens & refrigerans injiciatur: dein quinque ante prædictum paroxismum, horis jusculum optimè consummatum exhibeatur. Accessus verò

rò initio propinandæ ægro ſunt ℥iij. prædictæ aquæ.

*Aqua alia ad febres etiam peſtilentes, & ardentiſſimas.*

℞. rad. Angelicæ, bugloſſ. ſcorzoneræ, acetoſæ ana ℥j. Theriaces, Alexandrinæ ℥ ij. ſucci limonum depurati, aquarũ fumariæ, ulmariæ, cardui benedicti, & centaurii minoris ana ℥iiij. diamargarit. frigid. ℥ß. macerentur per quatriduum, dein exprimantur, & deſtillentur, de qua æger febricitans capiat ℥ iiij. & coopertus paulò plus ſolito ſudabit.

*Aqva ophthalmica.*

℞. ſucci euphragiæ, chelidoniæ ana ℔ ß. lactis caprini ℔ j. miſceantur omnia ſimul addendo zinziberis macis craſſiuſculè conquaſſatorum ana ℥j. Aloës ℥ß. vitrioli albi ℥iij: macerentur quatuor aut quinque dierum ſpacio, deſtillenturque per balneum vaporoſum. Aquæ deſtillatæ adde tuthiæ fruſtula, non tamen pulveriſata, quæ priùs in cochleari ferreo novo ignita fuerint, novies extinguantur, & tandem cum aqua prædicta continuò reſidere ſinantur, cujus guttula una oculo etiam inflammato admoveatur; nec reſpiciendum ad calida

illa, quæ prædictam aquam ingrediuntur etiamsi initio dolor ingravescat, ferveatq; per tempus aliquod, miros enim effectus prodet tartarum illud oculis adhærescens, pungens acerrimumq; dolorem inferens, & salsas movens lachrymas, dissolvendo. Singulare est remediũ ad omnes ophthalmias, præferendumque sanè omnibus istis simplicibus aquis refrigerantibus, ut rosarum, plantaginis, cerefol. & similibus, collyriisque oculorum refrigerationi dicatis, ut ipsa etiam experientia, præter allatam suprà rationem, fidem faciet. confert etiam ad ἀμβλυωπίαν, & ἀμάβρωσιν, si huic crocus metallorum admisceatur, qui vera basis & fundamentum est Aquæ ophthalmicæ Martini Rulandi, doctissimi celeberrimique medici Germani, cujus ipse admirandos effectus miro successu expertus est, ut videre est in suis centuriis jamdiu in lucem editis.

*Alia aqua ophthalmica.*

Componitur etiã alia Aqua ophthalmica ex ℔ ij. urinæ puerilis optimè purificatæ, additis libris duabus vitrioli, totidemque unciis tuthiæ: ex quibus omnibus per dies aliquot maceratis, dein per cineres ad siccitatem destillatis fit aqua ophthalmica, cujus

jus guttula unica inflammato oculo, aut debilitato admovetur.

*Aqua Antinephritica.*

℞. rad. Arestæ bovis, petroselini Eryngiorum ana ℥ j. ß. parietariæ saxifrag. cum toto ana m. j. foliorum vitis viridium m. j. ß. amigdalarum, & cerasorum seminis lithospermatis, & baccarum alkekengi conquassatorum ana ʒ ij. milii solis, fœniculi dulcis ana ℥ j. conquassentur, & macerentur in vini albi, & aquę æquis partibus, de hac aqua sumat cochlear unum, singulis matutinis assumpto prius bolo ex cassia aut electuario lenitivo, vel diasebesten.

*Alia aqva antinephritica nostræ descriptionis.*

℞. succorum argentariæ, raphani, parietariæ, ana ℔ j. ß. succi limonum ℔ j. in his liquoribus simul mixtis macera per 5. aut 6. dies ad ignem lentum Bal. Mar. granorum juniperi contusorum ℥ iij. milii solis, saxifragiæ, altheæ, bardanæ, fœniculi ana ℥ ij. pulveris radicis Arestæ bovis, cinnamomi ana ℥ j. camphoræ ʒ ij. dein destillentur per cineres. De hac aqua exhibe ad ℥ ij. cui aquæ si sal proprium ex arte paratum

tum & convenienti quantitate addas, longè præstantius evadet remedium.

*Aqva hysterica.*

℞. aquarum rutæ, matricariæ, salviæ, præparatarum ex succis, ut docuimus, ana ℔ j. nucis moscatæ, cinnamomi, macis ana ℥ ß. florum rorismarini p. ij. castorei ʒ vj. vini albi generosi, ut supernatet tribus quatuórve digitis, digerantur per tres aut quatuor dies: dein destillentur per balneum vaporosum ferventissimum: fiat aqua pro hystericis omnibus affectibus. dosis cochlear j. manè.

*Aqva imperialis communis & paratu facilis.*

℞. corticum arantiorum exsiccatorum ad Solem, nucis moscatæ caryophyllor. cinnamomi ana ℥ iiij. herbarum melissæ, majoranæ, thymi, salviæ, hyssopi priùs per se exsiccatarum ana m. j. incisis & contusis, quæ incidi & contundi, aut imminui quoquo modo debent: ponantur in alembicum supra 4. affundendo aquarum rosarum, & ulmariæ ana, ut supernatent materiam duobus tribúsve digitis: digerantur vase optimè clauso ad calorem balnei Mar. per octiduum, dein per cineres destillentur

ut

ut artis eſt, & fiat aqua imperialis. cui ſi proprium ſalem (redactis ſcilicet in pulverem fœcibus, extractaq; ingenti olei quantitate ad uſus dicendos adſervata) addideris, validior efficaciorq; efficietur.

Mira eſt hæc aqua à D. Camillo à Camillis patritio Genuenſi nobili atque medico excellenti jam à 24. annis mihi communicata ad ſanitatis conſervationem, ſi guttulę aliquot in juſculo exhibeantur, cerebrum, cor ſtomachumque imbecillem corroborat: dentium dolores ſedat, illorumque putredinem arcet, atque gingivas vacillantes conſervat. ſpecifica præſertim quoque eſt ad juvandum in ſterilibus conceptionem, huic adjecta prius copioſa ſatis teſticulorum leporum quantitate, ex quibus prædicta aqua per viam digeſtionis ſalem allicere poterit & prępſtantior reddi.

*Aqva ad ictus ſclopetariorum.*

℞. Ariſtolochiæ rotundæ, baccarum lauri in pulverem redact. ana ℥ ß. pulveris veronicæ, pirolæ in umbra reſiccatarum ana ℥ ij. Aſtacorum in plenilunio captorum & in furno exſiccatorum, & pulveriſatorum ℨ vj. peti eodem modo reſiccati ℨ iij. omnes hi pulveres inter ſe mixti lineo ſacculo includantur. Quibus peractis accipiendum

eſt

est vas novum, terreum, vitreatumque & satis capax, cui infundendæ sunt heminæ tres vini albi optimi miscendo simul, pervincæ recens collectæ m.j.dein facculum prædicto pulvere refertum, & optimè deligatum. Quæ omnia ita disposita macerentur per dies aliquot, exprimantur fortiter, & destillentur ad mediæ aut duarum partium consumptionem. tunc reservata seorsim aqua destillata fœces residuæ per manicam Hippocr.transcolentur & seorsim etiã asserventur. Hujus autem usus est ejusmodi, ut saucius uncias circiter duas aquæ destillatæ singulis matutinis per dies xiiij. continuos capiat & ex eo,quod in vasis fũdo remanserit,optimè ut dictum colato vulnus lavet, & turundam, (quæ parva esse debet, etiam si cavum & profundum vulnus fuerit) illinat, cui tandem folium caulis rubri superimponat, itaq; mirabiles ejus aquæ effectus experietur. Vulneraria quoque est prædicta aqua miroq; progressu ulcera inveterata tam interna, quàm externa sanat. Confert etiam ad cancrum, si cum ea decoquas vermiculos qui multipedæ dicuntur. Præter aquas, quorum suprà mentionem fecimus, aliæ rursus diversis affectibus specificæ alio modo extrahuntur, cujusmodi sunt aqua cinnamomi, & aliorum aroma-

matum, quorum hodiè usus frequentissimus est.

Aquam verò cinnamomi (etsi pharmacopœorum vulgo parum notam, ideoq; rarò dispensari solitam) spagyrici, artemque destillandi probè callentes, sequenti modo præparare solent.

Accipiunt igitur tres, aut quatuor uncias cinnamomi, quod crassiusculè conquassatum, ac in æquis vini optimi, & aquæ rosarum (alii in solo vino) partibus, trium aut quatuor dierum spacio infusum in alembico destillant, atque aquam lacteam, quæ simul in se partem sulphuream, & oleaginosam prædicti cinnamomi, ubi tota vis ejus penetrativa, incisiva, mensiumque motiva consistit, eliciunt: Ex fœcibus verò quæ post prædicti liquoris extractionem in fundo subsident, admirandum adstringens conficitur, & contrarios prorsus primo liquori effectus habens. Ut autem aquam cinnamomi, ut & reliquorum aromatum efficaciorem elicias: prædicto cinnamomo pro libito conquassato & in matratium vitreum colli oblongi conjecto spiritum vini affundes, ut tres aut quatuor digitos supernatet: dein per tres, quatuórve dies in loco frigido macerabis, donec menstruum totam tincturam & virtutem sibi

ſibi aſciverit. His peractis ſepara per inclinationem ſpiritum vini tinctum & affunde ſupra ℔ j. ipſius ſpiritus ℥ij. aut tres ſaccari candi pulveriſati. Quibus ſimul optimè miſtis, & ſaccaro in prędicto ſpiritu reſoluto, omnia in patellam argenteam injice, & ignem cum charta accenſa admove, tunc repentè vini ſpiritus flammam concipiet. Dein argenteo cochleari baculo ligneo uſtionis metu alligato, tamdiu agitabis, donec flamma extingui videatur. Sed ſi ſuprà indideris aliam argenteam paropſidem, citiùs ſuffocabitur & extingvetur ignis. Atque ità quidem aquam multò præſtantiorem, & precioſiorem eâ, quę per deſtillationē prædictam elicitur, tibi comparabis. Porrò eam tamdiu uri permitto, prout ipſam magis, aut minus infirmam optaveris: Si enim eam validiorem volueris, citiùs flammam extingues, quò enim tardiùs ſuffocatur, eò vires aquę imbecilliores ſunt. Et ità aromatum omnium aquas conficere poteris.

Quod autem ſpectat aquas odoriferas, ut aquam: quam angelicam vocant, & plures alias; ſicut & etiam aquas noſtras coſmicas, quę faciei decorandæ, & ornandę inſerviunt, eas in alium locum reſervabimus, tum quòd curioſitatem potiùs, quàm utilita-

ta-

tatem adferant,tum etiam,quod parum ſanitati corporis humani (cui præcipuè incumbimus)reſtituendæ ac conſervandæ inſerviant.

## Cap. VIII.

### *De vinis.*

EXpoſitis iis quæ aquarum tum ſimplicium, tum compoſitarum (quòd ob ſimplicem ſuam & elementarem naturam omnis generis liquores præcedere debent) differentias, virtutes, proprietates; deſcriptioniſque modos ſpectant: æqvum eſt ut vini etiam liquorum omnium qui magis compoſiti ſunt, poſt aquas communiſſimi hominiſque nutritioni maximè, ipſum roborando, reſtaurandoque ejus balſamum naturale, inſervientis, tractationem ſecundo loco aggrediamur. Nec verò hîc diverſa vinorum genera, quatenus ſcilicet guſtu, viribus, proprietatibus, & aliis hujuſmodi qualitatibus inter ſe differunt, exponere ſtatuimus: neque etiam hujus loci eſt, diverſos vina corrigendi, validioremque eis virtutem & excellentiam imprimendi,modos explicare. Qua ratione, inquam, ipſorum emendanda ſit cruditas, ex aquoſa & excrementitia humiditate contracta, quæ

ob caloris vitalis defectum (cùm nempè Sol quibusdam annis imbecilliores radios immittens terram minus calefacit) digeri, consumique à Sole non potuit: unde fit, ut vina aliquando cruda, viridia, imbecillaque & minùs restaurantia existant, diuque conservari non possint. Quæ sanè omnia arte naturam imitante emendare, ac corrigere facillimum est, si superfluitas illa aquea, & excrementitia, coctione artificiali quidem, sed naturalem tamen æmulante, à vino separetur, & expurgetur: quæ tunc solummodò separari potest, cùm vinum jam expressum in doliis à calore suo naturali & interno concoquitur, & ex suo tartaro, solito more expurgatur. Cujus enim apertè demonstrabit experientia, ut substantia illa, quæ primò à vino separatur, extillatque, nihil aliud, quàm pura, putaq; sit aqua passiva, nulliusque saporis compos, ac instar fontanæ insipida, quæ nihil vino, præter viriditatem, cruditatem, imbecillitatemque imprimit, ac ipsius corruptionem juvat & accelerat. Quin etiam aciditatem ipsam prædictæ humiditati, ab imbecillo calore minus absumptæ, & digestæ tribuit. Qui quidem calor (ut alio in loco dictum est) omnia perfectè dulcorare potest, & cujus opera prædicta humiditas omnino separatur,

tur, at eo solùm tempore quo vinum in mustum redigitur, digeriturque. Absolutis enim primis illis digestionibus & fermentationibus, id nequaquam fieri potest: nam quod primò ex prædicto vino vel minimo quidem calore admoto extillat, spiritus vini est, qui cum vino conjunctus, illud vivificativum & nutritivum efficit, quoque separato vinum ampliùs non est vinum, sed acetum & corruptum quid, mortuum, atq; nutritiva facultate expers respectu superioris vini. Talis, inquam, bonificatio, viniq; rectificatio sicut & plures similes, plaresq; aliæ non minùs jucundæ, quàm utiles investigationes in alium locum remittuntur, ubi ex professo de vino, vinique natura disputabimus. At in rem præsentem sat esse duximus, plures vinorum tum simplices, tùm compositas præparationes restitutæ nostræ Pharmaciæ inserere, quæ corporis humani conservandæ sanitati, morbisque depellendis inserviant.

Dividemus vina (sicut & aquas suprà) in simplicia, & composita, nempe quòd ex variis rebus componantur, cùm simplicia ex una tantùm constent, unde & ipsorum orta differentia. Eodem porrò ordine recensenda sunt.

Vina simplicia sunt

*Vinum Acori*
*Vinum Angelicæ*
*Vinum Enulatum*
*Vinum Anthosatum*
*Vinum Salviatum*
*Vinum Buglossatum*
*Vinum Euphragiæ*
*Vinum Fœniculatum*
*Vinum Hyssopi*
*Vinum Anisi*
*Vinum Epitimi*
*Vinum Absynthii*
*Vinum Iuniperi*
*Vinum Hipericonis*
*Vinum Centaurii minoris*
*Vinum Alkekengi*
*Vinum Eryngiorum*
*Vinum Scilliticum.*

Vina simplicia laxativa.

*Vinum Sennæ simplex*
*Vinum Hermodactillorum*
*Vinum Turbith*
*Vinum Sem. ebuli maturi*
*Vinum Sem. ebuli non maturi*
*Vinum Seminis sambuci*
*Vinum Seminis hederæ.*

*Vinum Zedoariæ*
*Vinum Ophthalmicum*
*Vinum Antinephriticum*

*Vina*

Vina composita { *Vina Hippocratica clareta dicta*
*Vinum Chalibeatum.*
*Vina purgantia composita.*

Inter prædicta vina, vinum Acori, Angelicæ, Anthosatum, Salviatum frigidis cerebri affectibus conducit.

Vinum Euphragiæ, & fœniculi, oculorum & aciei corroborationi confert.

Vinum Enulatum, Astmatis, & pulmonum vitiis medetur, valetque ad detergendum, & juvandam expectorationem.

Vinum Absynthii in Germania ad lumbricos, omnemque corporis arcendam putredinem commune est, non secus, ac vinum hipericonis, & centaurii minoris, quæ ad liberandas jecoris obstructiones, ipsumque roborandum maximè conducunt.

Vinum buglossatum cordi, omnibusque melancholicis affectibus accommodatum est.

Vinum Anisi ad colicum dolorem ex flatu profectum, sive is in stomacho, sive in universo ventre existat, laudatur.

Vinum epithimi, sicut & vinum tamaricis, lieni confert.

Vinum passulatum admirabile est ad virium restaurationem in senibus.

Vina Alkekengi & Eryngiorum, nephri-

ticos, & calculosos juvant, ut & ipsum vinum Iuniperinum, quòd mirè etiam cor, cerebrumque, & reliquas partes nobiles corroborat.

Vinum scilliticum præstantissimum est ad humorum præparationem, & digestionem; hoc enim ad incidendas, & attenuandas crassas, pituitosas, melancholicasque materias utuntur, quo etiam nullum est ad attenuandos omnis generis humores mucilaginosos, tartareosque excellentius remedium.

Vinum sennæ melancholicos, imò etiam alios humores purgat. Facillimum quidem est, nec injucundum remedium, quo libenter ii etiam, qui à potionibus medicinalibus abhorrent, uti debent, cum benignè & sine perturbatione ulla, vel commotione purget.

Vina hermodactilorum, & turbith, serosos, pituitososque humores ex ipsis juncturis evacuant, unde ad arthritidem usurpantur.

Vina seminis ebuli, & sambuci aquas potenter ducunt, & ad hydropis curationem adhibentur, quemadmodum & vinum hæderæ.

Hactenus vina, eorumque virtutes, & proprietates ordine, & catalogo proposuimus.

mus. Reſtat jam, ut & præparationis quoque vinorum cùm ſimplicium, tum compoſitorum modum inſeramus.

Quod verò ſimplicia ſpectat, ea quidem omnia, una prorſus & eadem methodo præparantur. Haut perſpecta cujuslibet præparatione, non ſit difficile reliqua omnia ad ejus imitationem componere. Sequenti itaque via progrediendum eſt.

Accipe vini muſti, cùm ſcilicet abſoluta adhuc non eſt ipſius ſeparatio, quantum libuerit ad implendum dolium magnitudinis pro libito conſtitutæ: ſimplicis, ex quo vinum comparare eſt animus, pro vini hemina, quæ ℔ iiij. circitur continet, ℥ ij. verbi gratia, pro xij. heminis vini: ℔ ij. radicum, herbarum aut florum, ex quibus vinum præparare cupis. Prædictæ radices, herbæ floreſque priùs Soli, aut lento calori exponantur, ut paululum exſiccatæ humiditatem ſuam excrementitiam deponant. dein conquaſſentur, & nodulo, vel pluribus ad proportionem debitam includantur: hinc in dolium prædictum per foramen medium immittantur, quibus poſtea per idem foramen muſtum affundatur. Notandum tamen non penitus replendum eſſe dolium, ſed relinquendos adhuc vacui quatuor digitos, quò meliùs vinum

circulari queat. & id ſine ulla evaporatione: obturandum enim optimè eò ſine eſt foramen: doliumque per xxv. aut xxx. dies ad naturalem digeſtionem & fermentationem relinquendum. His peractis dolium rurſus vino ſemicocto replebis, ut illi majorem liquorem ſeu gratam dulcedinem imprimas. Tunc reobturato denuò dolio, alioque in loco, ut ſolet, perforato, vino medicinali per annum integrum (tamdiu enim incorruptè ſervari poteſt) continuò uteris.

Hoc verò ſi gratius delicatiuſque efficere ſit animus, poſt prædictam menſis unius fermentationem & digeſtionem perforato dolio liquor clarus, ſtirpiſque virtutibus imbutus à fœcibus ſeparandus eſt, quo novum dolium ad dimidias implebis, & vinum ſemicoctum (quod vindemiarum tempore præparaveris) ſuperaffundes. Tunc nova digeſtio fermentatioque fiet, vinumque gratius multò & jucundius efficietur. Et ita quidem omnis generis vina ſimplicia, ſive corroborantia ſint, ſive purgantia, præparabis. nec ſanè majori hîc inſtructione opus eſt, cùm iſta ſatis facilis ſit, nec laboris plena.

At verò vina ſeminum ebuli, & ſambuci, quòd hæc ſemina vinoſa, & eo ſolùm tempore,

pore, quo racemi, matura ſint, paulò aliter quàm dictum ſit, præparari debent. Quare prædictorum ſeminum utrumlibet exprimendum eſt, & ſuccus extrahendus, qui cum dupla muſti optimi vini albi quantitate admiſceatur, & in dolium magnitudinis convenientis, ad ſolitam digeſtionem & fermentationem, infundantur. Notandum verò hîc melius eſſe, ſi id obturato dolio peragatur, hoc eſt, ſi dolium penitus non repleatur, & obturetur, ne quid exhalet. Quibus abſolutis, & perfecta per menſem integrum fermentatione, aperiri dolium, & vino ut ſuprà penitus adimpleri poteſt.

Porrò vina quovis etiam tempore ex vino albo jam à naturali calore digeſto, & ab impuris fœcib. ſeparato facilè præparari poſſunt, ſi flores, herbas, & radices, quarum facultates viño imprimere cupis, mediocriter ſeorſim exſicces, id eſt, ſi fuerint radices, in talleolas diſſeces, & filo trãsfixas in aliquo officinæ angulo ſuſpendas: ſi folia vel flores ſuper menſa aut lecto expandas: dein in proprium dolium aut vas vitreum (ſi minorem vini copiam expoſtules) ſervata, ut ſuprà, quantitate imponas. Quod ea ratione perficies, ut prædictas radices in talleolas diſſectas, aut flores, vel herbas, ut

libuerit, in vas tuum vitreum ad ſextam partem injicias, & ſuperaffundas vinum album, donec 8. aut plures digitos ſupernatet. dein vas hermeticè clauſum in loco frigido, ne vel modicus calor vini ſpiritum ſeparet, aceſcatque vinum, colloces, quo facilè ſtirpis vires & facultates attrahere poſſit. Hoc autem vino per menſem ita digeſto pro neceſſitate ſingulis matutinis ad ℥ ij. aut iij. uteris.

Verùm, ut ingratum vinorum purgantium ſaporem, quo prædita ſunt, auferas, eaque clara & jucunda efficias: poſt prædictam macerationem illa per manicam Hippocratis ſæpè tranſcolabis, & cum ſaccaro, paululoque cinnamomi & coriandri aromatizabis, & eadem methodo plura vinorum tum roborantium, tum purgantium genera præparare poteris. Quæ utique grata & jucunda vel minimis ſumptibus confici, & quibuslibet, ſive artifices mercenarii & ſimiles fuerint, accommodari poſſunt. Adde quod eadem per manicam Hippocratis tranſmiſſa, incorrupta diutiùs conſervantur.

Cæterùm vinum ſcilliticum paulò diverſa, quàm dictum ſuperiùs, ratione parari debet. Scilla enim gladiolo ligneo, aut eburneo, vel alio quovis, qui tamen ferreus non

non ſit, mundari, & in talleolas diſſecari, Soliq́ue exponi debet per xxv. aut xxx. dierum ſpacium, ut exſiccetur. Cujus quidem ſcillæ ita præparatæ accipies ℔ j. & in vitreum vas conveniens imponens ſuperaffundendo vini albi optimi ℔ viij. His abſolutis vas benè clauſum obturatumq́ue in balneo mar. calido per 5. aut 6. dies ad digeſtionem ponatur. dein omnia per manicam Hippocratis tranſcolentur, additiſq́ue mellis optimè depurati ℔ iij. parùm bulliant, & purificentur. Itaq́ue perfectum erit vinum ſcilliticum, quod ad uſus poſtea curiosè adſervabis in aliquo vaſe optimè clauſo. Præſtantiſſimum eſt ad præparandos omnis generis humores, ut dictum remedium.

Reſtat jam, ut de vinorum etiam compoſitorum præparatione, ducto à vino Zedoariæ exordio, verba faciamus.

*Vina compoſita, ac primùm vinum Zedoariæ.*

Accipiendum eſt vini muſtum vindemiarum tempore, quod lento igne ad tertiæ partis conſumptionem concoques: in cujus dein quatuor, aut quinq; menſuris ea quæ ſeqvuntur aromata macerabis, & ſuſpẽdes.

℞. zedoariæ ℥ ij. caryophyllorum, macis, cinnamomi ana ℥ j. ß. zinziberis, piperis lon-

longi ana ℥ j. nucis moscatæ ℥ ß. omnia crassiusculè conquassata, uno pluribúsve nodulis lineis includantur, & suspendantur, per dolioli foramen, in prædicto musto quadraginta dierum, aut ad minus mensis unius spatio, ad macerationem. quibus postea sublatis vinum ad cerebri, cordis, ventriculique corroborationem tempore necessitatis exhiberi potest.

*Vinum Ophthalmicum.*

In vini ophthalmici præparatione, eodem planè modo, quo suprà in vino Zedoariæ, procedendum est, suspendendo in musto, prædicta ratione præparato, (aromatum loco) radicis enulæ campanæ in talleolas primò dissectæ, dein exsiccatæ ℥ ij. Euphragiæ m. j. sem. fœnic. dauci & sileris montani ana ℥ j. contundantur crassiusculè, & omnia in unum, aut plures nodulos immissa suspendantur in dolio, in quo prædictum vinum fuerit, aut phiala vitrea, & per mensem macerentur. Cujus una aut altera uncia ad visus clarificationem singulis matutinis datur.

*Vinum Antinephriticum.*

Vinum Antinephriticum tibi comparabis, si dolium convenientis magnitudinis

ex

ex vino albo generosissimo (non penitus tamen) adimpleas, quod quidem priùs concoctum, & ab aquea sua humiditate separatum esse debet. super hujus vini heminis octo dolio inclusis, ut suprà, addes ℔ j. fructuum alkekengi: radicum restæ bovis, & Eryngiorum in talleolas primò dissectarum, dein paululum exsiccatarum ana ℥ iij. sem. bardanæ, milii Solis, saxifrag. bismal. ana ℥ ij. flor. genistæ p. iij. aut iiij. macerentur omnia per mensem integrum, dein ad usus servetur vinum.

Si post prædictam macerationem illud transcolaveris, mellisque optimè depurati tertiam partem addideris, &, ut suprà, in vino scillitico ebullire siveris: vinum efficies, quod diu conservari poterit, neque injucundum gustu ullomodò erit. Cujus uncia una aut altera (præmissa tamen primæ corporis regionis expurgatione cum bolo aliquo ex cassia, aut simili) ad calculi expulsionem, & prohibendam ejus generationem, exhibetur.

*Vinum chalibeatum.*

℞. Limaturæ chalibis ℥ iiij. radicum Eryngiornm, enulæ campanæ ana ℥ j. ß. santali citrini ℥ j. coralli rubri, rasuræ eboris ana ʒ vj. caryophyl. macis cinnamomi, zinziber.

ziber. ana ℥ iij. ceterach, flor. genist. anthos, epithym. ana p. ij. vini albi generosi ℔ vj. macerentur per octiduum ad minimum ad ignem Bal. Mar. calidum, dein transcolentur per manicam Hippocrat. ter quatérve, ut vinum optimè clarificetur, quod dulcorari saccaro poterit, ut fiat vinum gustui gratum, dosis unum aut alterum cochleare manè jejuno stomacho.

*Vinum Hippocraticum claretum dictum.*

℞. cinnamomi ℨ vj. galangæ, caryophyllorum, nucis moscatæ ana ℥ j. macis granorum paradisi ana ℈ ij. saccari ℥ viij. vini mens. unam, fiat secundùm artem, Hippocraticum, ut vocant.

*Aliud pro divitibus, & delicatis.*

℞. cinnamomi ℥ j. zinziberis ℈ j. saccari ℔ j. vini mens. j. fiat Hippocraticum, ut artis est.

*Vina purgantia composita, & primò Vinum elleboratum.*

Accipe radices ellebori nigri benè mundatas, & ab omni terrestri impuritate purgatas, quas minutim concisas in Bal. Mar. cum sufficienti vini rubri quantitate, & se-

mine

mine anisi per xxiiij. horas macerabis: hinc post quatuor aut quinque dies vinum prædictum separabis: eo enim modo omne venenum ex prædicta radice extrahetur, quæ dein exsiccari debet. ℞. radicum ellebori ea, qua dictum, ratione præparatarum ℥ ij. fœnic. dulcis, anisi ana ʒ vj. corticis citri ℥ ß. macerentur omnia in duabus vini albi optimi, & jam purificati mensuris per quatuor aut quinq; dies in Balneo Mar. calido, coleturque vinum absque expressione ulla, dein bis terve per manicam Hippocratis transmittatur, & aromatizetur cum saccari sufficienti quantitate, & pauculo cinnamomi. Excellens est educendis à cerebro pituitosis & melancholicis humoribus. Optimum igitur est ad maniam & melancholicos omnes affectus tum intrò assumptum, tùm extrinsecùs capiti cum linteolis in eo madefactis tepidè admotum, ut docebimus fusiùs alibi.

*Claretum vel Hippocraticum laxativum compositum.*


℞. rad. acori ℥ j. sem. anisi, fœniculi ana ʒ iij. epithimi, florum genistæ, violarum. bugloss. acori ana p. ij. hermodactilor. albor. ʒ vj. sennæ ℥ j. ß. turbith. ℥ ß. corticis my-

myrobalanorum citrinarum & chebularum ana ʒ ij. zinziberis, cinnamomi, caryophyll. galangæ ana ʒ j. vini albi optimi menſur. ij. ſaccari q. ſ. ut fiat Hippocraticum purgativum. Doſis ℥ ij. Hoc vinum omnes penè humores blandè purgat, præſtanſque eſt remedium ad calculum, arthritidem, & plures alios affectus: ac præſertim delicatis naturis, iiſque qui ſunt imbecilliori ventriculo, quiq; reliqua medicamenta purgantia abhorrent, conducit.

*Aliud vinum purgans optimum compoſitum.*

Aut ſi velis vindemiarum tempore parvum dolium, quod octo menſuras circiter vini contineat, ex querneo ligno confici curabis, per cujus foramen immittes foliorum ſennæ mundatorum ℥ vj. (plus vel minus, prout vinum efficacius, aut mitius purgans efficere ſit animus) hermodact. ℥ ij. turbith ℥ ij. cinnamomi, macis, zinziberis ana ℥ ij. ſeminis fœniculi dulcis ℥ j. prædictum muſtum ſuprà injicies (nec tamen totum dolium replendum eſt) tunc obturato optimè dolii foramine, ne quid exhalare queat, permitte, ut macerentur, & à calore naturali circulentur, per menſem integrum ad minimum. Peractis ſolitis ebullitionibus


bus & naturali digestione, tunc dolium vino cocto omninò adimplere poteris, & quàm optimè obturare. Tunc habebis vinum purgans excellentissimum, quod etiam per integrum annum durare poterit. Gratissimum est,& jucundissimum purgans remedium, de quo ℥ ij. pro dosi sufficient, pro convenienti purgatione.



# DE ARTHRITIDE ET MORBO EI AFFINI, CALCULO, Consilium primum,

## AD CELEBERRIMUM ET ERUDITISSIMUM VIRUM AC D. DOMINUM Rivierum,

*HENRICI MAGNI IV. GALLORUM ET NAVARRENORUM Regis Christianiss. ac potentissimi Archiatrum.*



QVIA Consilia hæc mea statui subjicere judicio celeberrimorum medicorum Europæorum: quos quidem vel conversatione & consvetudine familiari, vel per literas, vel per doctissima

corum scripta novi: non potui, imò verò etiam non debui, quin te celebratissime & ornatissime Dominé RIVIERI, primũ, cæterorumque quendam Antesignanum constituerem. Te, inquam, quem eruditio & virtus tua primariũ fecit, inter cæteros medicum magni illius HENRICI, & quotquot habuit terrarum orbis AVGUSTISSIMI, fœlicissimique atque invictissimi Regis nostri. In quorum ordinem talis qualis & ipse jamdudum ascitus: eo honore utcunq; defunctus, nescio an Spartam susceptã pro dignitate exornarim. Cur ergo non & ego te faciam primum, qvum & ab eo qui non potest nisi prima, hoc est summa velle, primus habearis, & me, (quod lubens fateor) multis præcurras parasangis? Sed & illud me commovit ut cùm morbo huic, arthritidi inquam, hactenus invicto, & qui in merum hodie medicorum opprobrium abiere, edomando, imparem me esse crederem: non è vulgo aliquem, sed te imprimis tanquam alterum Æsculapium deligere voluerim. Age ergo tu, qui in utriusq; medicinæ cognitione excellis præ aliis. Si quid rectè vel perperam in disquisitione causarum à me prolatum, quo polles judicio, & ingenii acumine, judicato. Tu, inquam, qui vulgaris philosophandi ac medendi ratione nequaquam contentus:

tus: sed altius quid spirans sub auspiciis insignis illius herois illustrissimi ducis de Bovillon, Germaniam doctissimorum ac in rebus perquirendis sagacissimorum virorum feracissimam adiisti, in quorum conversatione solerti studio singulariq; ingenii dexteritate reperisti, non quod pueri in fabis, ut parœmia dici solet. Rectè sanè : Sic decuit, sed maximè talem genium non nisi abstrusissima atq; difficillima sectantem, vel summi Platonis exemplo, qui nullis laboribus, & peregrinationū difficultatibus pepercit : ut cum magno illo Iarcha, aliisque celeberrimis viris exoticis, fœliciùs investigationi mysteriorum incumbere posset. Quod & Galenum qvum in Lemnam navigaret, ut vel terram illam, cujus virtutes tantopere prædicabantur, videret ipse, & alios plures primæ notæ philosophos ac medicos, factitasse constat. Talia herclè vulgò medicis ignota mysteria, vel sola ornamento sive arti, ejusque dignitatem, quæ ultimo & corruptissimo hoc seculo labascens, parum abest, quin in contemptum abierit, tuentur. Quin sine insigni illo ornamento, medicina hodie aliud nihil esse videtur, quàm illud quod plerique pharmacopœi, ipsæque adeo obstetrices & famulæ norunt atque tractare solent. Sed illud etiam apprimè me per-

movit, cur hoc, quicquid erit consilii, tuo potissimũ judicio subjecerim: quòd sciam eundem eminentissimum virum ad quem hoc pertinet D. de Frene Ganæe hoc tempore apud serenissimam Remp. Venetorum Regium legatum, & præcipuorum totius Galliæ ingeniorum, stellam, te & amare, & magnifacere, ab eo tempore, quo eidem legati Regii munere apud Principes Germaniæ fungenti innotuisti. Et qui possim, aut debeam aliter, quàm eundẽ revereri, quem à tam nobili & tam erudito ingenio maximi fieri animadverti? Toto sæpius cupivi corde, summisque votis exoptavi profectò, ut sicut tu ex meritis tuis agnosci & suspici dignus es, hoc beneficium consequerer, ut tibi amore, & ejusdem significatione familiariori innotescerem. Sed nescio quid fati hoc identidem cogitantem, atq; etiam molientem hactenus prohibuerit. At prodeo tandem, non quidem in amorem tui, qui, verè dico, vetus est non novus: sed in ejusdem significationem, atque testimonium publicum. Quod si intellexero hunc meum affectũ aliquam apud te invenisse gratiam: faxo sentias posthac majoris etiã momenti, integritatis, observantiæ atque amoris erga te mei notas, & eveniet fortè ut arctior hæc nostra necessitudo, atq; familiaritas, si

in

in mysteriorum secretorumq; naturæ communicatione, investigationeque occupetur, redundet in bonum atque utilitatem publicam, haud vulgatam: ad quam omnia nostra studia & conatus nostros dirigere atque intendere debemus. Pluribus nunc agerem tecum, nisi vox amici illius nostri, etiam dissita valde, denuò occineret illud, Adsis amice: Et quid de ejus mali natura & causis tibi videatur, edissere, ac simul curationem, ex utriusque medicinæ fundamentis depromptam pręscribe. Quapropter, qui nihil aliud quàm tanto taliq; viro, atque amico inservire gestio, deinceps in ejusdem morbi, atque causarum investigationem me accingo. Cui deinde tutiùs, ejusdem curandi rationem subjungam. Hæc autem ea lege facio atque omine, ut te virum summa doctrina, & multifaria experientia præditũ, omnium quæ hîc à me docentur, judicem poscam, ut tutiùs citiùs, atque jucundiùs prospiciatur sanitati, utriusque nostrûm amici, cujus vigor & sanitas, non possit non esse nostra. Sed jam ad te me converto eruditissime & amplissime Ganęæ. Tua res hîc agitur. Tuum vel maximè etiam est attendere animum, quid ex anatomia hujus tui morbi, cognitionis ad te redundare possit. Tibi hæc trado. Tibi ingenii vela pando. Tuum itaque

ſit etiam decernere, num curſum veritatis ex diſcurſu cauſarum, & ex cauſis verè cognitis, fœlicitatem remediorum, quibus juvari poſſis obtinuerim: Sed ad rem veniamus.

*Arthritidis definitio.*

Arthritis, ſeu morbus articularis Latinis, nomen obtinet à parte læſa, Galeno authore. Eſt enim articulorum dolor ex intervallis ferè invadens, ab aliqua humorum fluxione, vel congeſtione excitatus. Nam qvum humor redundans affectam occupat articulationem, fit ut ligamenta & membranæ vicinæ & nervoſæ partes omnes diſtendantur: unde dolor ille acerrimus excitatur. Non enim doloris cauſa eſt δυσκρασία aut inæqualis intemperies, cum omnis alteratio temporis ſucceſſione fiat, quæ motus eſt, ut ſcribitur ab Ariſtotele. Igitur δυσκρασία illa, cum ſenſim generetur, & nunquam tota ſimul & præcipiti ac quaſi momentanea invaſione, idcirco dolorem parere non poteſt, qui confertim fiat, ſeu ut loqvuntur ἀθρόως. Hac de cauſa Galenus pluribus in locis ſcribit, nihil dolorem inferre poſſe, niſi idem continuum ſolvere valeat. Meritò itaque duximus, arthritidem eſſe articulorum dolorem non à nuda, ſeu ſimplici intemperie: ſed ab aliqua humorum fluxione, ſeu potius congeſtione excitatum. Porrò articulorum appellatur, quod

*Lib. de inæq. intemp. c. 6. lib. [illegible] de ſim. med. fac. cap. 2. & comm. ad part. 34. ſect. 3. lib. de fracturis.*

quod articulos occupet ille affectus. Articulatio autem nihil aliud est quàm ossiũ quædam connexio seu cohæsio. At tribus modis connectuntur ossa in universum. Vel enim invicem coalescunt, modò sine materiæ alicujus interventu, ut in mulieribus & fungosis: modò intercedente aliqua materia, ut in duris & siccis κατὰ σύμφυσιν. Vel ita coñectuntur inter se, ut obscurum & difficilem habeant motum συνάρθρωσιν: vel manifestum & evidentem per διάρθρωσιν. In prima articulorum connexione dolores non fiunt, ut in ossibus cranii videre est. In secunda rarò, nisi tophi & œdematosi tumores interveniant, ut in articulis carpi & metacarpii accidit. Tertiã arthritidis sedes est inter membranas, tendones & ligamenta, quæ oriuntur à periostio, & proinde sensum habent: ex quibus omnibus formatur articulus. Unde dolor vehementissimus excitatur, si aliqua materia illic intercipiatur, vel distendens, vel acrimonia pungens. Atq; ex partiũ illarum affectarum, articulorum scilicet numero & nomine sequentes differentias constituerunt medici. Nam si malleus vel articuli digitorum pedum doloribus illis excrucientur, podagram appellant. Si genua infestantur, gonagram. Si in coxendicis aut inguinum regione inferna adsit dolor, ischiaticũ

*Partes affectæ.*

*Arthritidis differentiæ.*

nuncupant. Si manum torquet, chiragram. At quando ſimul & unà multi articuli doloribus divexantur, verè & propriè Arthritis nuncupatur. Qui morbus facillimè excitatur, tum propter robuſtam principum partium expultricem, quæ fit ceu per μετάςασιν, uti Græci vocant: tum verò propter imbecillitatem, frigiditatem & διάθεσιν partium articulorum, ſcilicet tendinum, vinculorum & membranarum, quæ oſſa vel connectunt, vel ambiunt. Quæ quidem quo acutiori ſenſu ſunt præditæ, eò magis etiam dolent. Iſta paucis de natura morbi, partibus affectis, & Arthritidis differentiis dicta ſint.

*Cauſæ.* Medici cauſas hujus graviſſimi affectus dividunt in externas, antecedentes & conjunctas. *Externæ.* Cauſæ externæ ſunt, equitatio aſſidua: ſed potiſſimum ea quæ pedibus fit pendulis, aut non firmiter ſtapedi innixis. Unde Scythis tradunt frequentem hunc morbum, quòd ſtapede equites careant. Item motus vehemens, præſertim ſi ſtatim fiat à cibo: Aſſiduus & immodicus craſſorum & crudorum ciborum, ut caſei, leguminum, & fructuum non rectè digeſtorum vel maturorum uſus. Vita genialis ocio gaudens, & palati deliciis. In ſumma Arthritis eſt Dea μισόπτωχος, odio trahens pauperes, quòd ſit Bacchi & Veneris filia, ut veteres Poëtæ finxerunt.

xerunt. Hippocrates etiam, eandem ob caussam eunuchos, mulieres, & pueros ante usum venereum podagra non affici dixit: Quod tamen intelligendū est, modò temperanter vivant. Nam Eunuchi alioquin Arthritide cōflictari possunt, ut & mulieres. Atque hæc fuit caussa cur Seneca, in quadam epistola in eas invehitur, quòd per luxum Hippocratem mendacem fecerunt. Non minima etiam caussa est vini ingluvies continua, præsertim generosioris & meracioris vini. Nam

*Ut Venus enervat vires: sic copia Bacchi*
*Et tentat gressus, debilitatq́; pedes:*

Ut ait Poëta. Iccirco Cleomenem Spartarum Regem cum Scythis agentem, & illorum crapulas imitantē in Leonem versum fuisse, ac tandem tremulum, & planè podagricum senem extitisse tradunt.

Caussæ arthritidis antecedētes, ex eorummet medicorum sententiis, sunt humorum à capite, vel aliis partibus defluxio, & partis imbecillitas. Nam citra illā (ut ajunt) haud evenire potest hæc passio. Etenim quæ nihil colligunt, aut suscipiunt supervacui, eæ tempore in tuto manent, ut ait Galenus alicubi. Origo autem defluxionis est vel à capite, vel ab hepate. Omnes enim qui hisce doloribus conflictari solent, sunt hepate ut *Caussa antecedentes.*

plurimum calidiore & frigidiore ventriculo, in quo variæ mucillaginosæ impuritates atque cruditates procreantur. Ex cruditatibus à calore imbecilliore fiunt vapores, qui evecti in caput, ac proinde ipso etiam cerebro magis ac magis intemperato reddito, moxque vaporibus in humorem conversis, irruunt & destillant in subjectas imbecillasque corporis partes: sed maximè in articulos propter motũ atq; imbecillitatẽ eidemmet humori recipiendo aptissimos. A cerebro namq; inter tunicas tendonum per foramen pituita exudat, quæ per palatum aut nares repurgari debebat. Ab hepate verò, quando venæ magnæ, & ipsum hepar humorum copia gravatur: quã si continere vel non possunt: aut si qualitate quadam vitiosa molestentur, fit, ut vel à plenitudine, atque venarum redundantia fiant refluxiones in articulos vel à recrementis aliarum partium, potissimum cerebri.

*Per quas vias defluxio descendat.*

Per quas autem vias ejusmodi defluxio descendat, non eadem est omnium medicorum celeberrimorum sententia. Alii enim per venas & arterias decumbere statuunt, cùm sit defluxionis species talis, qua partes robustæ ad imbecilliores excrementa sua transmittãt. Alii verò à capite sub cute materiam per summa corporis, ad extimas partes

tes influere putant. Prioris sententiæ Galenus, & ejus sectatores: posterioris Fernelius vir doctissimus author est, qui primò se eam introduxisse contendit. At quæcunq; articulosis cōtingunt, eorum circa articulos causa est imbecillitas. Arthritici enim omnes articulos habent imbecilles. Nam citra imbecillitatem non fit ista passio, ut ipsi volunt: quoniam membra fortia, quod in ipsis abundat, ad infirma delegant: & hæc rursus ad infirmiora transmittunt, donec in partē decumbant, quæ vim excreticem omnibus imbecilliorem obtineat, & proinde propellere aut digerere recrementum nequeat. Ex quo liquet idē ferè evenire in partibus humani corporis: quod in Republica illa vitiosa, quam Aristoteles ὀλιγαρχίαν vocat, in qua scilicet qui plus possunt, minùs potentes opprimunt. Patet etiam qua ratione partes situ inferiores, omnium primæ, excrementitiis morbis corripiuntur, juxta Celsi sententiā, Quoties enim offensum est corpus, vitiosa pars maximè sentit, hoc est, quæ magis est imbecillis. Est autem imbecillitas naturę robori contraria, quæ vel ob δυσκρασίαν, vel propter meatuum ἀμετρίαν, eveniunt: membrum autē imbecillius facilè recipit defluxiones, vel ob raritatem, vel ob amplitudinem, aut capacitatem viarum, ut idem Celsus:

vel

vel propter situm ampliorem, ut vult Serapio.

Hæc est trita & vulgaris de antecedente istius affectus causa, omnium medicorum opinio.

*Arthritidis causa antecedens ex Fernelio.*

Fernelius novam, & à prædicta diversam suam sententiam propugnaturus, contra Galenū acerrimè contendit, omnis arthritidis materiam esse pituitosam omnino & serosam: neque ex aliis humoribus, sanguine scilicet & utraque bile fieri. Addit insuper, tenuem illum humorem, non è cerebro, & interiorib. ejus ventriculis, per spinalem medullam: sed à pericranio, parte capitis externa, per summa corporis sub cute deorsum decurrere, ut jam diximus.

*Causa conjuncta.*

Causa autem conjuncta est humor in articulis interceptus dolores illos excitans: sive acrimonia sua id præstet, ut bile: sive frigiditate, ut pituita: sive asperitate ex gypsea materia, ut vocant, sive distensione membranarum & ligamentorum: aut inflammatione: quod ab omnibus humoribus fieri posse contendunt.

Porrò quoniam dolores interdum suboriuntur absque humorum præcedente aliqua defluxione: asseverant præstantes medici, materiam illam in articulis colligi, non tantùm per affluxionem humorum ab ali-

aliis partibus: ſed & per ipſorum congeſtionem, malè ſcilicet concoquente parte.

Præter haſce omnes cauſas tam externas, quàm internas, addunt & quartã, quæ quaſi hereditario jure iis accidit, qui patres, vel avos habuerunt arthriticos. Nam ſeminis ea eſt natura, ut tale quid actu efficere poſſit, quale id à quo eſt excretum. Sperma enim eſt ſecundùm complexionem generantis, ut loquitur Avicennas: unde genitale ſemen hominis abſtractum eſſe non temerè à Zenone Stoicorum principe dictũ eſt, & tanquam animal potentia, quemadmodũ ſulphur potentia eſt ignis. Atq; hæ ſunt ex dogmaticorum medicorum ſententia, omnes arthritidis cauſæ: à quibus ſuos ſcopos curativos, vel indicationes therapeuticas, quas vocant, deducũt. Ablata enim cauſa tollitur effectus, ut celebre illud habet axioma. Curationis igitur indicationem à cauſa deſumunt, ut ea extirpata ipſũ τὸ πάθος ceſſet citiùs, fœliciùs & tutiùs. Et hæc eſt dogmaticorum medicorum doctrina, de cauſis Arthritidis perſpicua, ni fallor, brevitate à me collecta. Sed antequam ad eorum remedia accedamus, animus etiã eſt priùs de calculo arthritidis amico familiariq;, ſeu proximo cognato, ex eorundemmet dogmaticorum doctrina diſſerere: cùm ipſimet utriuſque

*Ius hereditarium inter cauſas arthritidis recenſetur.*

que affectus naturam, uti dictum, similē faciant, sive causam spectes, sive generationis modum. Idcirco pro ejusdem calculi theoria, si lubet, in vireta dogmaticorum expatiemur: Tum postea audiendi erunt Hermetis sectatores: quorum certè philosophandi ratio ab ipsis sensibus deprompta, & demonstratione τοῦ ὅτι comprobata, mihi vehementer probari solet.

*Variæ opiniones de calculi essentia.*

In calculi igitur essentia pervestiganda, mirum quàm variè se multò lancinarint, atque torserint dogmatici authores. Alii morbum dixerunt: alii symptoma. Nonnulli aptiùs & rectiùs causā dici efficacissimè contenderunt. Et sanè mirum est, viros, alioqui clarissimos in re tam facili, vix trimestri logico conspicua, hæsitasse. Attamen dicamus, si lubet, ut placeamus omnibus, calculum & morbi, & causæ, & symptomatis nomen sibi usurpasse, diverso respectu. Morbum esse tradit Galenus: & post hunc acriter tanquā pro aris & focis, peculiari à se edito libello, defendit Fuccius. Et quidem morbum esse ajunt in numero, quatenus nimirum sit substantia præter naturam in corpore nostro. Sic illi philosophantur. Quàm rectè sentiāt, norunt, qui quid morbus sit ex eorummet sententia tenent. Esse etiam morbum in via, quidam dogmatici tradunt. A calculo siquidem

dem viam intercipi & obſtrui, quominus urina liberè vel per ureteres, vel per veſicæ cervicem defluat, aut excernatur. Quamvis hoc ipſo, ut liberè fatear quod res eſt, cauſam magis eſſe probent quàm morbum. Cauſam, inquam, non ſui. (Quis enim ita ſtatuat?) ſed obſtructionis, & impeditæ tranſcolationis urinæ. Dici etiam poteſt τῆς δυσκρασίας σύμπτωμα: quod & in aliis plurimis evenire novimus.

Partes affectæ, ut & morbus ipſe, à ſignis facilè deprehenduntur: quorum præcipua ſunt, & ad ſenſum patientia, ſuppreſſio urinæ, ſedimẽta arenoſa, ſtillicidium & tenſio creba pudendi, ſi calculus ſit in veſica. At ſi ſit in renibus, circa illam regionem dolor apparebit fixus, per intervalla accedens & recedens cum gravitate: & plerumq; vomitu, ac colicis doloribus, aut certè colicam paſſionem quàm proximè mentientibus, quæ ſunt ſigna calculi renum ex Hippoc. Maximè ſi in urinis arenulæ ſubſtiterint. quod utiq; ſignum eſt παθογνωμονικὸν.

*Partes affectæ*

*Lib. de affect. inte. & 6. Epid. 5. 1. p. 6.*

*Cauſæ cal. exter.*

Cauſæ hujus affectus, ut & arthritidis, eſt prava victus ratio, nempe ciborum craſſorum, & crudorum, atq; viſcidorum: utpote leguminum, caſei & ejuſmodi. Hinc pueros ſæpiſſimè calculo etiam veſicæ laborare conſtat: primò quòd edaces ſint: à cibo ſtatim

tim ludant & agitentur, prosilientesq; impetuosiùs, calorem à ventriculo avellant, ut concoctrix sufficere nequeat. Hinc cruditas, & materiei ad generationẽ calculi quædam quasi διάθεσις καὶ παρασκευή. Deinde quia neq; horas sumendi cibum ordinatas, neq; etiam eundem quem assumunt, ritè conterunt. Sed quæ inter internas, prçcipua collocanda esse videtur, quòd fructibus omnis generis etiã lapidosis atque viscosis delectantur. Ex his sanè ut in pueris calculi: ita in senescentibus & calculi & arthritidis causæ antecedentes progigni possunt, & solent. Namq; ex cruditate coacervata non multò pòst crassa atque viscosa materia generatur, commisceturque sanguini, & per venas emulgentes ad renes, in quibus calor ipsorummet renũ (ut illi ajunt) hujus materiæ humorem, seu liquidiorem substantiam evaporat, siccat, & cogit in lapidem: Vel à renibus salsuginosum illud naturale lixivium per ureteres ad vesicam defertur: Ubi retentum diutiùs, tanquam in vase convenienti, atque capaci, ac ceu in balneo quodã maris naturæ, illa materia purificatur, fœcesque (beneficio hujus digestionis) in fundo vasis relinquuntur: purior verò pars per urinam, tanquam per inclinationem, ut vocant, separatur. At sedimentũ illud crassum in fundo prædicti

*Antecedentes.*

vasis

vasis naturæ relictum, in unum coiens, concretionis & coagulationis aut coagmentationis initiū capit. Quicquid deinde viscosi, glutinosi, seu, ut meliùs loquar, tartarei simul in vesicā delabitur, priori massæ facillimè agglutinatur. Et sic semper major, ac major calculus, tophus, vel tartarum redditur: perinde ac tartarea materia ex vinis in doliis separata, ejusque superficiei internæ, seu cavæ adhærescēs. primo anno in tenuem pelliculam tartaream, ac tandem temporis progressu in lapideam materiam atque tophaceam concrescit. Quin & qua ratione tartarum fiat, non tantùm in vinorum cadis ex vino: sed aliis quoq; rebus externis manifestè deprehendere licet. Videmus namq; urinam, si diutiùs in matula remanserit, lateribus & fundo adhærescere: ibiq;, ut in dolio vinum, in tartaream substantiam concrescere. Ita ex omnibus ferè succis, qui per aliquod tempus in vase subsiderint, tartaream illam materiam concrescere, ut in cervisia: citrio, defruto, ac omnium quoq; fructuum decoctis, vel succis licèt depuratis. Iam verò si calor quoq; vel mediocris concurrat, non parum operatur ad condensandum lapidē. Sed præcipuè ac primariò materiæ qualitas cruda, indigesta ac vitriolata internæ istius compactionis causa existit. Sic

T sanè

ſanè videmus vina cruda, atq; ſubauſtera & immatura: qualia ferè ſunt Tigurina, multum tartareæ materiæ in doliis deponere. Unde fit ut incolæ ejus loci, calculo & arthritidi plurimum ſint obnoxii. At generoſa vina, qualia ſunt Hiſpanica, Cretica, Falernitana, & multa talia, quæ nimirum & ſolum & Solem habent propitium: quæque à natura magis digeſta ſunt, vel nihil, vel certè parum fœcum & tartari deponunt. Sed video nos latius diffundi in hoc diſputationis campo. Quod ideo fit, quoniam & materię dignitas, quam à nemine dogmaticorum hactenus ad vivum (ut liberè fatear quod ſentio) tactam novimus, id poſtulare videatur: & ut aliæ quoq; difficultates apprimè cognitu & explicatu neceſſariæ, ad verum intellectum morborum, qui ex tartarea materia originem trahunt, diſſolvantur, atque patefiant. Quod vix aliter fieri poteſt, niſi eandẽ materierum coagulationem exactè intelligamus, tantoq; minùs dextrè curam, hoc eſt earummet reſolutionem veram tentare atque moliri valeamus. Ergo ſi paulò liberiùs ad ambitum excurremus: curabimus tamen, ne id fiat, quod ajunt, extra pomeria. Ita enim ſimiles atque affines ſunt utrique affectus quod ad cauſas, coagulationem, reſolutionemq́ue attinet: ut qui alterius hiſto-

*Calculi & arthrit. affinitas.*

ſtoriam, atque generationis modum ritè percipiet, alterum non ſit ignoraturus. Ita tamen curſum velitationis noſtræ moderabimur, ut ſubinde πρὸς τὸ δέον, ut loqvuntur, ad id quod eſt opus, ad quod (inquam) collimamus, orationis noſtræ ſtylum dirigamus. Nam quoniam dogmaticorum, qui tam morborum, quàm remediorum cauſas attribuunt quibuſdam humoribus, atque qualitatibus elementaribus, ſententiam & opinionem de arthritide & calculo, jam latiùs ſatis expoſuimus: Tempus eſt ut & Hermeticos fluctus ſecemus, & nunquid aliquid laudabilius, atq; utilius inde reportari poſſit, ingenua confidentique velitatione tentemus.

Hermetici itaque Philoſophi, quos & ſpagyricos & chymicos nominant, morborum cauſas eorundemque remedia non qualitatibus, ſed ſubſtantiis: non quatuor tantùm humoribus: ſed tribus illis hypoſtaticis principiis potiùs accepta ferenda cenſuerunt: ſali, inquam, liquori, quem mercurium vocat, & ſulphuri, ſeu ſubſtantiæ oleaginoſæ. Quæ tria principia ſive ſubſtantiæ reperiuntur in reſolutione mixtorum omnium corporum, ut alibi clariùs docuimus. Subſtantia ſalis, quæ reliquis duabus eſt craſſior, ſolidior, & denſiore corpore prædita, diverſa morbo- *Morbi ex ſubſtantia ſalis.*

rum genera producit:ac inter alia arthritidem,& calculum,de quibus tanquam affinibus, conjunctim hoc loco agimus : non affinibus tantùm ratione causarum,sed generationis etiam modo. Nam uterque fit à coagulatione salis, vel tartari,quod nunc declarare aggredimur : ut ritè cognita perspectaque causa,& modo generationis,tutiùs procedat remedium specificum, ejusque delectus atque administratio.Sed antequam hoc fiat, utriusque opinionis rationes sunt conferendæ, ne alterutra pars causa indicta, repudiata, condemnatáve videatur.

Ac primùm quidem in causis externis,atque antecedentibus utcunque conveniunt inter se dogmatici & Hermetici. Quapropter qvum de iis jam superiùs à nobis sit actum, ne verbum quidem addam amplius. Conjunctam verò tam arthritidis, quàm calculi causam, dogmatici constituunt humorem quendam viscidum, crassum atque terrestrem,cujusmodi est pituita. Hanc materialem faciunt: Efficientem verò dicunt calorem, qui prædictum humorem crassum cogat, induret, & in lapideam substantiam convertat. Ex his duabus causis, omnis calculi generationem derivant. Sic Arthritidis causam conjunctam & ipsi quoque eandem faciunt, nempe pituitosam atq; terrestrem: ni-

*Causa Arthri. secundùm opinionem dogmaticorum.*

*Dogma illorum.*

nimirum quia vident & in ea manifestè generari tophos atque calculos in juncturis: At moti immanitate doloris, quo miserè torquere podagricos perspexerunt, adjecerunt & pituitam salsam & biliosam, ac æruginosam quandam materiam torrefactam: aut similem quandam acrem interim & mordicantem, à qua ejusmodi cruciatus intolerabiles excitari statuerunt, in membranis, tendonibus, ligamentis, cæterisque nervosis juncturarum partibus, acerrimo sensu præditis. Ergo consentiunt utrique in eo, generari nempe, & reperiri in corpore nostro humores crassos atque terrestres, quiq; sint salsi, acres & mordicantes. At qua ratione generentur non conveniunt. Galenus namque dogmaticorum coryphæus, humorem crassum atque terrenum ut plurimùm dicit pituitam & melancholiam, quos ille humores aquæ comparat, atque terræ: Quæ duo elementa sunt crassissima. Ideo aliquando inter humores crassos refert humorem quendam biliosum, quem vitellinum vocat. Causam verò crassitudinis istorum humorum, tribuit frigiditati, à quo ejusmodi pituita congeletur, coaguleturque, ut in glacie fieri videmus. Bilem verò contrà ait indurari ac torrefieri à calore vehementi dissipante, exhalanteque parte ejus liqui-

*Ratio generationis arthritidis secundùm Gal.*

diori. Hæque ſunt cauſæ conjunctæ,& rationes generationis calculi, atq; arthritidis ſecundùm doctrinam dogmaticorum.

*Hermeticorum ſententia.* At Hermetici his ſeſe opponunt, moti rationibus, quas docebimus poſtea. Sanè ſi utriuſque partis ſententiæ, & fundamenta ſine præjudicio, atque affectu æſtimarentur: utique conciliari poſſent: nec id abſque ingenti plurimorum ægrotantium commodo, atque ſolatio. Nam früſtra herclè remedia quæras, aut adhibeas non bene cognita cauſa. Curationis ſiquidem initium eſt cognitio morbi. Hic non cognoſcitur niſi perſpecta priùs cauſa. Tum demum enim rem ſcire nos putamus, cum cauſam ejus cognoſcimus, quòd ita ſit. Nec aliter fieri poteſt, ut legimus apud Peripateticorum principem.

*1. de demonſt.* Ergo ut ſpecifica & propria remedia ſciamus, intelligenda eſt morborum cauſa. Sed quî fit quòd non omnes, aut major etiam pars doctiſſimorum, rariſſimè ad veram morborum cognitionem penetrare ſoleant? nimirum in ſua opinione confirmati (ut ſibi quidem perſuadent) atq; obſtinatiores redditi, ſubinde repetitam illam ſuã crambem proferunt, à qua ne latum quidem unguem recedere volunt, ne priùs non rectè ſapuiſſe videantur. Alii ne credunt quidem aliquid

novi

novi aut melius, quàm quod à magiſtris promanavit, proferri poſſe: tantum poteſt præjudicata ſententia, & pertinax ſemel concepta opinio. Sed quis eventus apud tales? Nempe ut hodie in proverbium abierit, *In Arthritide atque quartana non plus videre medicos, quàm qui cataracta, ſeu ſuffuſione laborant.* Lepidiùs noſtri Galli in medicorum opprobrium occinunt,

*En la fie ure quarte & goutte*
*Le medecin n'y voit goutte.*

Nec hi modo: ſed alia morborum genera hodie pro incurabilibus habentur: quorum tamen bonam partem (ne audiat Nemeſis) non ſemel fœliciſſimis auſpiciis perſanavimus.

Sed agè, audiamus nunc Hermeticos ſuam cauſam agentes: atq; id fiat modeſtè, eaque obſervantia, quæ antiquitati debetur: Vitentur etiam omnes ambages, atque ænigmata: qualia illic alioqui conſveta ſunt: ne Lycopironis, aut alterius αἰνιγματώδες, alicujus poëtæ inſtar, potiùs quàm veri philoſophi, ac medici ritu, quid ſentiamus prolocuti videamur: ſed verbis apertis, atq; intelligibilibus: ut cauſa eorum probè intellecta, rectiùs, & ſaniùs de ea judicari queat, ſecundùm rationis & veritatis ductum. Atque eò libentiùs id faciemus, qvum notum ſit pleroſque,

 chy-

chymicam atq; ſpagyricam cauſam celare potius quàm prodere.Ita ænigmatis & gryphis res ſuas involvunt, ut ſibi potiùs quàm aliis ſcripſiſſe videantur. Digni mehercle, qui ut non intelliguntur,ita non magni etiã fiant à pleriſq;. Sed inquiunt philoſophiam ſuam eſſe cabaliſticam:ac proinde myſteria ſua Eleuſina, non eſſe temerè profananda. idq́ue exemplo ſuorum prædeceſſorum,quibus ſolenni juramento ſe obſtrictos profitentur, omnia ſua myſtico docendi genere proponere : ſed maximè Democrito illi magno Abderitarum principi, quem Plato tantopere admiratus eſt, Hippocrates celebravit.Quid ſi hîc ad illius imitationem,juramentum illud, quod Hippocraticum appellant, quodq́ue tam parum,tamq́; exiguæ obſervantiæ apud ejus ſectatores, conſcriptum dicamus, atque ſtatutum ? Quicquid ſit,probent vel improbent,qui velint talem philoſophandi modum. Attamen nobis iſtud permiſſum eſto, quod juſtè denegâri non poteſt, ut illorum cauſam apud æquos, & ſcientiſſimos judices, atque doctores defendendam ſuſcipiamus.Nec enim ulla cauſa, licèt dubia, vel infirma, quæ non patronum & authoratorem aliquem non reperiat, talem qualem.

Vides, magne & perdocte Canæe,quibus flucti-

fluctibus per impetum istius Oceani abripior. Te hic judicem posco rationum & verborum meorum : judicem, inquam, & æstimatorem attentum, atque severum: quo digniorem & πολυμαθέστερον neminem nunc video. Lex mihi fuerit, & norma quædam Lesbia, si quid censuræ ab eximio tuo judicio, quod genuinæ sapientiæ animam, cum magno illo Scaligero nostro appellare soleo. Potes hoc, modò velis, inter tot tantasque & tam sacras curas, quas tractas in summa illa Repub. quàm veriùs oculum mundi dixero, qualesque non committuntur, nisi summi ingenii, summæ que prudentiæ viris, hoc est, tui similibus. Vis autem sat scio, tantoque promptiùs istud, si ad sanitatis tuæ prorogationem, hęcce pertinere intellexeris. Et quidem velis, dum non ita pridē, nihil istarum valetudinem adhuc suspicatus, ex vivis fontibus, de maximis naturæ mysteriis inter nos contulerimus: dum adhuc ex turbulēta nostra Gallia, in portum tranquilliorem essemus conjecti, in quo seu altero peripatetico porticu, præsente tertio Morlæo, illo nostro, versaremur : & Peripateticorum more deambulando, philosopharemur. Non possum enim quin dulcissimi illius nostri amici communis, & patriæ spei summæ identidem recorder ; & pro gratissima, doctissimaq;

maque ejus converſatione, nunc doleam mortuum, quo vino ſæpiſſimè ſum recreatus. Sed vereor, ne tibi deſideratiſſimæ illius memoriæ vulnus refricem. Interim fruamur nos (Eximium Galliæ noſtræ decus) hac philoſophi Chriſtiani vita: & nunc τέκμαρον cum theoretica contemperantem, & tibi ex devoto animo deſervientem, audi, æſtima, judica.

Hermetis itaque diſcipuli fatentur quidem, eſſe in corpore noſtro ejuſmodi humores frigidos inſipidos, ſeu merè pituitoſos, acetoſos, amaros, ſalſos, retorridos, aut tale quid ſimile, ut dogmatici perhibent. At non conveniunt cùm iis in generationis modo, naturæque eorum æſtimatione.

*In quibus non conveniunt dogmatici & hermetici.*

Primùm enim, inquiunt, humores, ſi propriè loqui velimus, hoc eſt, quatenus ſunt tales, nihil eſſe aliud quàm ſubſtantiam tenuem, liquidam & aqueam: adeoq; corpus quoddam fluidum, ὁμοιομερὲς, & alieno termino circumſcriptum: quæ tota exhalare poſſit, vel evaporari à calore: & à ſe aut in ſe nihil ſolidi, nihilque terreſtris ſubſtantiæ continere.

His multa dicunt, ſi rectè advertamus: atque ex iiſdem etiam colligunt, quod intendunt: & ex quo, ceu ſcaturigine nullitatis ſententiæ dogmaticorum fundamentum

tum desumunt: ejusmodi sumptum humorem, causam esse posse cōpactionis alicujus corporis solidi. Ajunt insuper multa corpora solida reperiri, quæ sunt omnino terrestris aut arenosæ substantiæ: quæ tamen humor crassus post se relinquit (postquā aquea seu humoralis pars caloris vi evanuit) quæ cum neutiquam cum humore permisceri possint (nec humoris etiam vel largè sumpti) denominationem mereri queant. At illi id tantùm de humoris natura & essentia esse dicunt, quod humido mixtum cum eo coeat, perfectè misceatur, fiatq; corpus unum, hoc est, liquidum & fluidum.

Quoniam autem nihil omnino est, quod ea ratione, qua dictum, in aquam transire possit per dissolutionem (ut experientia fidem facit) quod non sit de natura salis in genere: omnino necessarium est, humorem illum, quem crassum appellant, de salis natura participare. Per salem, non tantùm marinum intelligunt, sed & alia multa, eaque diversa salium genera: quæ non omnia salsa, sed & acida, & amara & dulcia sunt, ut manna, mel, & saccarum. At de his alibi nobis dabitur disputandi locus. Porrò salsuginosa ea substantia, qvum semper admixtam habeat aliquam portionem terrestrem (licèt liquefactiva in ea prædominetur) in homi-

ne

ne appellatur tartarum, apto profectò, & apprimè significanti vocabulo: quod inditum est ab analogia, quam humores corporis nostri, atque ipse etiam sanguis, habent cum substantia vini, quod inter omnia vegetabilia plurimum continet tartari. Per tartarum hîc non tantùm intelligo eam substantiam, quam liquefactam cum vino recenti turbido adhuc & musto appellato, admixtam esse constat: quæq; postea separata tanquam crassior, terrestrior atque impurior abeat in fœces, & subsideat in fundo, quam vini fœces nuncupant. Neque illud tantùm etiam tartarum intelligo, quod temporis progressu à vino secretum, doliorum parietibus adhæret, quodque propriè tartarum appellatur. Sed per tartarum illud potissimũ intelligimus hoc loco, quod perpetuò cum vino liquefactum, admixtũ atq; conjunctum est cum vino etiam purissimo, quodque colorem ei tribuit rubrum, aut alium quemvis. Verùm hoc tartarum per evaporationem, aut distillationem simplicem, vel per ipsum etiam balneum maris mediocriter calidum deprehenditur. Nam residet in fundo, separata ea humoris parte, quæ est liquidor, quæque dissolutum in se tartarum illud continebat, ejusq; erat quasi vehiculum. Hic sanè humor totus albus, &
lim-

limpidissimus extillat, si vel ex vino rubro fuerit. Substantia verò corpulentior atque rubra, quam tartarum dicimus, in fundo remanet: substantia solida, tantoque durior atque siccior redditur, quò plus substantifici humidi per calorem elicueris. Nec tantùm in vino albo, vel rubro, aut quovis alio defruto tartarum hoc: sed & in nostri corporis humoribus seu liquoribus existit & reperitur. Nec solummodò in chylo, qui proportione respondet musto vini modò extracto ex vindemia: à quo chylo, haud secus ac à musto, plures denuò fœces impuriores atq; tartareæ substantiæ separantur. Sed & in sanguine nostro, etiamque purissimo, simili prorsus modo & ratione, ut de vino diximus: quemadmodum ars destillatoria (etiamque ea quæ per temperatissimum ignem fit) ostendit ac patefacit nobis ejusmodi tartarum. Sic quoque Natura igne suo naturali efficere potest, & in dies efficit ejusmodi separationes tartari, etiam per consumptionem partium humoralium corporis nostri: ex quibus dogmatici calculos generari putant. Ex qua separatione mirum quot morborum genera, obstructionum, seu oppilationum interventu procreentur. Speciatim verò, etiam illi duo, de quibus hoc loco nobis est sermo, nempe arthritis

&

& calculus. Qui morbi, ut & ipſimet ſentiunt dogmatici, frequentiùs iis ſuperveniunt, qui hepate ſunt calidiore atque ferventiore, & per conſequens ventriculo frigidiore, quique multas ingenerant cruditates & mucoſitates: quæ non ritè coctæ atque digeſtæ, conferuntur cum fructibus crudis, qui defectu maturationis debitæ & convenientis (quæ fit à calore contemperato omnia coquente & dulcorante) remanent acidi, auſteri, acres, acerbi atque crudi. Hi ſanè permixti cum ſangvine ac de integro coqvuntur à calore naturali, fitque ſeparatio partis crudioris atque tartareæ, quæ poſtmodùm & viſceribus obhæreſcit; variaſque cauſans obſtructiones, in articulos protruditur atque decumbit. Natura quippe cujuſvis corporis partis gaudet ſuo ſimili: partes carnoſæ portione ſangvinis magis liquidiore & mercuriali veſcuntur: adipoſæ & medulloſæ ea portione ſangvinis delectantur, quæ magis eſt oleaginoſa ſeu ſulphurea. At qvum articulorum partes ſuapte natura glutinoſæ, & mucillaginoſæ ſint, glutinoſum etiam, & per conſequens ſalſuginoſum & tartareum poſcunt. Quæ partes in quibuſdam naturis, cum vel ob imbecillitatem, vel ob diſpoſitionem innatam, ſeu hæreditariam, vel ob ſimilem aliam cauſam, crudam & jam indi-
ge-

gestam, tartaream illam materiam, propria & particulari digestione, digerere aut expellere non possint: fit ut illa materia de natura salsa & viscida coaguletur, & articulorum ligamenta, partesque alias sensiles offerciat, atque tandem excruciet. Quæ vera est, atque ex veris, hoc est, naturæ fontibus, dolorum atque tophorum arthritidis causa conjuncta atque proxima. Eadem causa, alia minùs, alia magis excruciat: idque pro natura atq; conditione ejusdē tartari. Nam quemadmodum videmus in macrocosmo magnam esse salium diversitatem: quippe terra nobis producit & salem gemmæ, qui sali marino proportione quadrat, qui gustu tantùm est salsus, & salem nitri sapore amaro: salem aluminosum austero & adstringente: salem vitrioli & armoniacum acerbo, acido. Itemque ut nobis producit sales quosdam alkali dictos, corrosivos & acres: & alios saccaratos & dulces. Ita quoque in microcosmo, corpore inquam humano generatur tartarum aut sal: qui dissolutus solummodo salsum efficit humorem, quem dogmatici pituitam salsam vocant, aut simpliciter humorem salsum. Aut nitrosus & amarus sal generatur, quem bilis amara refert, atque urina. Aut vitriolatus & acidus, quem pituita acida continet, atque melan-

cho-

cholia. Ita etiam tartara ſunt aluminoſa & auſtera, quæq́ue ſalis acrimoniam referunt: ut manifeſtè patet ex tot contracturarum & adſtrictionum nervorum affectibus, & ex tot acrimoniarum, ut dyſenteriarum, & variorum ulcerum tam internorum, quàm externorum moleſtiis, quæ ex diverſis ſalium differentiis, diverſa corporis mala producunt. Nec mirandũ eſt ab Hermeticis huic tartarorũ diverſitati iſta tribui nomina. Cur enim id non faciant, quòd & convenientiora ſint, & ſignificantiora: & naturas diverſitateſq́ue cauſarum, ex ipſa natura rerum fidiſſima interprete meliùs exprimentia? Meliùs hercle morborum tartareorum ſeu ſalſorum diſtinctiones atque eſſentias exprimunt, quàm quatuor illi humores, qui ſanguinei, pituitoſi, bilioſi, & melancholici vulgò appellantur, tum quod nihil exprimant, quod ſit de eſſentia morbi, tum quod in illis formandis, applicandiſq́ue dogmatici plurimùm fluctuent.

Galenus ſanè de pituita ſalſa decernèns, ejuſdem effectus modò tribuit calori, modò putredini, modò admixtioni bilis, aut humoris ſeorſim cũ pituita. Tam variè huc illuc jactatur fluctibus inconſtantiæ. Et meritò certè. Nam ſi ex rei veritate ſtatuere velimus, nullus humor vel ſalſus vel acidus, aut al-

*Nullus humor calcu-*

alterius generis ſaporis. Quippe humor ſimplex nec ſalem, nec tartarum, nec calculum efficere poteſt, niſi ſal vel materia tartarea ei priùs fuerit admixta. Quin potiùs ex ſalis vel tartari coagulatione, quod eſt in humore, fit calculus, aut tophus, humore nihil prorſus ſua natura ad illos conferente. Sal revera, & ipſo effectu eſt in aqua marina, & fontibus plurimis, qui ſcaturiũt ex terra, ſicut patet. Si enim aqua eorum vi ignis evaporetur, tũ ſubſidebit ſal coagulatus in fundo: non quòd ignis ſalis ſit author, aut cauſa: neutiquam verò. Vis enim ignis, aut caloris poteſtas, non habet ex ſe producendi aut efficiendi ſalis facultatẽ, imò ne granum quidem generet: qualitas ſiquidẽ ſubſtantiam producere nequit. At ſi ignis producit, vel ut ſubſtantia producit, vel ut qualitas. Prius nemo unquam dicere auſus eſt: Sed nec poſterius verum. Sal enim ſubſtantia eſt, & ſubſtantificum quid, quod à qualitate nequaquam effici poteſt. Ergo neque à calore, licèt igni exponas in cacabo, aut aliquo alio vaſe quantum velis dulcis aquæ fontanæ, & ad flammam coquas & recoquas, ne micam quidem efficias ſalis, etſi vel omnis aqua evaporet vi ignis. Ridiculum igitur humori ſimplici, aut calori, effectum ſalſedinis attribuere: aut ex bile aduſta fieri atrabilarium,

*lum efficere poteſt, niſi admixtum ſalem habeat.*

*Ignis non eſt author ſalis aut cauſa efficiens.*

dicere, quoniam humores in corpore nostro corrosivi apparent. Nimis impropriè loqvuntur, qui humorem adustum dicunt, non aduritur ullus humor. Nam in exhalatione vel siccum quid residet, vel penitus nihil. Siccum si aliquid in humore fuerit, ut sal, tartarum, aut terrestris quævis materia est. Nihil, si merus humor fuerit, & simplex. Sic bilis æruginosa, sic pituita salsa, non quatenus humores: sed quatenus salem acrem, amarum, nitrosum, aut quacunque ratione pungentem continent, qui corrosivos hosce effectus causari possunt, plus minúsve, prout plus vel minùs humiditas adjuncta, fuerit exhausta, atque exiccata, arthritica symptomata, dolores, & ab iis inflammationes excitare solent. Quò enim plus humoris ejusmodi, sali aut substantiæ tartareæ fuerit admixtũ, eò magis acrimonia ejusdem contemperatur. Unde videmus mulieres rarissimè arthritidis doloribus divexari, quòd hæ sangvinem habeant copiosiore humore refertum atque contemperatum. Quemadmodum & in universum maribus sunt humidiores, ut vel ex eo pateat, non quà humor, sed quà salsus, quà tartarus, quà nitrosus, vitriolatus, aluminosus &c. (Neutiquam verò adustus, qvum tale quid in humore non fiat: neque sal aut tartarum hu-

*Humor aduri impropriè dicitur.*

*Mulieres arthritidi minùs obnoxiæ.*

humor aduſtus eſt, ſed quiddam ab humore ſecretum) ejuſmodi morbos procreare poſſe. Si igitur, quà ſalſus, quà tartareus, utique à ſale vel tartaro illud fiet, juxta illud Logicum, *Propter quod unumquodq; tale, illud magis tale*, At propter ſalſas aut tartareas ſubſtantias (τὸ propter enim, hoc in loco non finem: ſed cauſam efficientem reſpicit) fiunt arthritidis dolores, tophi atq; calculi: Quapropter ſal & tartarum corporis humani, ſeu in corpore humano & genitum & ſecretum, illud magis efficiet. Analogiam enim inter vinum & ſangvinem corporis noſtri jam ante oſtendimus. Nam varia ſunt vina pro Solis & ſoli diſpoſitione: Alia aliis acriora, acerbiora, auſteriora, & quæ plus fœcum & tartari ſeponunt. Sic ſecundùm corporum diverſam naturam & temperiem de ſangvine judicandum. Adde etiam, quod notandum eſt magis, in eodem corpore varia eſſe ſangvinis genera, venis ſingulis proprium ſuum ſangvinem & ab aliarum venarum ſangvine diverſum habentibus: quemadmodum paſſim videre eſt in eodem ſolo fontes ſcaturire contiguos, qui natura & conditione prorſus diſſimiles ſunt: Unde etiam fit, ut magna dolorum ſit varietas & diſſimilitudo, etſi ab eadem cauſa ii proficiſcantur: nec ex ſangvinis colore de ſubſtantia &

V 2 vir-

virtute ejus crassè judicandum est, cum propè omnes aquæ, eundem colorem referant, substantia tamen & potestate diversissimè. Is sangvis, aut is humor, qui magis de natura tartarea participat, magis & citiùs tartareos illos morbos producet. Res à simili pulcherrimè elucescet. Proponamus exempli gratia lixivium, quod diversimodè & ex rebus diversis parari solet: estque aliud alio magis pungens, prout plus aut minus continet salis: vel prout iidem ipsi sales de hac vel illa qualitate magis vel minùs participant. Ita videmus sales extractos ex cineribus clavellatis (quos vocant) seu ex vinearum aut fabarum sarmentis extractos, lōgè esse acriores, quàm qui ex aliis lignis. Quin imò sunt multa vegetabilium, quæ aut nihil, aut quàm exiguum salis continent: aut si aliquid sit, illud nulla acri qualitate erit præditum, ita ut causticum ex eo nullum conficere queas. At ex clavellato cinere, & reliquis suprà dictis, non tantùm sal acer, sal acerrimus elici potest, & in dies quoque ex eo caustica parari solent. Patet itaque sales non fieri à calore ignis, sed quod jam existat in rebus aqveo humore evaporato, in apertum dari. Pulchrè illud apparebit, si aqvam cineribus affusam, quam exhalare intendis, identidem degustaveris. Nam quò plus aqvæ fuerit exhau-

hauſtum, eò ſalſa magis fiet aqua & contrà quò minùs, eò minùs ſalis aut acrimoniæ imprimet linguæ. Eadem prorſus ratione, ſicut in diverſis lixiviorum generibus ſales plus vel minùs acres, ſalſi, acidi, acerbi, & amari conſpiciuntur: Ita etiam in nobis pro diverſitate vegetabilium, aut animalium, ex quibus nutrimur. Ita ut vel hinc manifeſtum fiat conſiderantibus, quemadmodum ex cineribus clavellatis, vel ſarmentorum vitis, omnium acerrimus & acutiſſimus ſal elici ſoleat: quod plurimum ejus inſit in vino: ita quoque in homine evenire, qui plurimum vini ingurgitat. Et ut vini natura plus ſalis continet, quàm omnium reliquarum potionum: aqua verò omniũ minimum. Ideò rectè ab omnibus ſapientibus medicis, vino ut plurimum podagricis & calculoſis interdicitur: iis præſertim, quorum mali cauſa deprehẽditur eſſe à ſalſa aut acri aliqua materia, & non à gypſea, & ſolummodo frigida, boleari aut tophoſa. His enim malim vinum generoſum, & minùs tartareum aqua mediocriter dilutum præſcribere, quàm meram aquam. Habenda eſt igitur temperamenti ratio. Nam ſiquidem mali, partiumq; diſpoſitio jam adſit, & exhibeantur quæ ei cauſæ morbi natura ſunt ſimilia, facilè illiciuntur, quæ ipſi ſunt homogenea. Idcircò co-

gnitum fuit, ut suprà in calidis articulorum doloribus ex salis acrimonia excitatis, vini usum talibus obesse potius, quàm prodesse, quòd malum irritet potiùs ei suppeditando materiam tartaream, eamq; acrem ac pungentem.

Objectiones ex Arist. sententia.

At fortè qui hanc meam rationem oppugnant, ex opinione Aristotelis contra me argumentabuntur sic: Causam salsedinis maris tribuit Aristoteles evaporationi tenuioris substantiæ maris, quæ fit à calore, atque attractione radiorum Solis. Sic illi quoque à calore corporis nostri fieri ejusmodi salsedines inferent. Sed corruet utique hæc illorum objectio, si simpliciter Aristoteli negavero, calorem Solis salsedinis maris esse causam: quin potius ita statuendum, Creatorem summum, postquam liquidum à sicco separasset, istud siccũ non tam fuisse terram quandam frigidam, siccam, aridam, aut simpliciter arenosam, qualem depingunt nobis: sed conjunctam cum principio, & balsamo naturæ, & ceu igni quodam vitali calido generante, atque conservante: Quæ terra fuerit verè elementaris & pura, & de natura salis participans. Sic etiam liquidum illud, seu humidum, non purum putum & simplicem fuisse liquorem, frigidũ & humidum, sed lixivium quoddam totius inferioris globi, quod

quod ad sui & piscium conservationem, atque ad ipsammet terram irrorandam intra viscera sua continebat: salem-met ipsum balsamicum, & rerum omnium conservatorem. Nihil itaq; huc facit quod adferunt ex Aristotele, maris salsedinem fieri à calore Solis. Nam sanè non fiet, si non sit priùs, cum caloris non sit salem efficere, ut dictum est priùs: at instabunt fortè eo ipso quod diximus, ad salis confectionem opus esse incineratione, & per consequens calore, cum id lixivium artificiale ex sale elicitur. Necessario quoque calore sit opus. Calcinationem enim præcedere oportere. Quapropter negari non posse causam generationis salis esse calorem. Ideoq; & rerum salsarum. Ad quod respondendum, consequentiam esse falsam. Non enim procreat ignis quæcunque per ignem manifesta fiunt, ut liquidè apparet in destillationibus aqvarum stillatitiarum, atq; oleorum, quæ ex lignis, herbis floribus, seminibus, aliisque rebus plantarum eliciuntur vi ignis: non tamen ab eo generantur: sed à natura generata, ignis interventu, ceu medio atque sequestro, in apertum magis dantur oculis nostris. Quod verò attinet ad calcinationes, aut incinerationes, quæ fiunt à calore vehementi, vel vi ignis: quis, quæso, per eam alicujus rei generationem fieri, nisi

fortè cinerum velit, quamvis impropriè, dicere ausit? Cur non corrumpere potiùs eadem ajunt ignem, quem corruptorem clamitant rerum omnium? Manifestantur per ignem liquor, oleum atque sal, quæ prius in corpore, ceu principia hypostatica demersa latebant: Manifestantur, inquam, separatis partibus impuris, fœculentis, atq; terrestribus, aut aliis quoque humidioribus, atque heterogeniis quibusdam dissipatis, ut promptior, atq; facilior fieri queat segregatio ejus, quod intus continetur: nempe id quod est substantificum, homogeneum, & ut uno verbo dicam, intimum, vivificum, atq; constituens rei principium, qui sal est, usque adeo terrestri, vel etiam humidiori parti inhęrens, ut non nisi vi ignis separari atque erui queat: Necessarius itaque est ignis: ac ignis interdum etiam satis violētus ad extractionem salis è rebus faciliorem: non item ad generationem ejusdem. Nam si sola calcinatio, etiā vehementissima, procrearet salem: ejusque esset causa efficiens: sequeretur res omnes calcinatas, esse salem, aut salsas, vel certè in salem converti posse. At contrarium docet experientia. Quid enim caloris, aut ignis vim persentit aut magis magisque adustum, aut calcinatum est quàm lateres, quos cōstat mera calcinatione esse factos? At pulveri-

verifentur licet, affuſaque aqua ponatur in locum calidum, qui modus eſt eliciendi ſalis: lixivium tamen nequicquam acredinis acquiret, aut nihil, aut certè quàm minimũ proliciet ſalis. Aut ſi aliquid etiam eliciat, illud fixum eſſe exiſtimandum eſt, quodque jam inerat in ea terra, ex qua cocti ſunt lateres: neutiquam verò ab igne progenitum. Idem cenſendũ eſt de ipſa calce viva, quam ſcimus ex omnibus lapidibus aut calculis neutiquam fieri poſſe: ſed ex certis quibuſdam, qui & ſulphuris glutinoſi, & ſalis fixi aliquid in ſe continent. Adde quod non ſemper opus ſit calcinatione forti, ac ne quidem exigua, ad ſalis extractionem: quem in multis abſq; ulla aduſtione elici poſſe comperimus, ut patet in nitro, ſeu ſale petræ, qui ſeparatur beneficio aquæ calidæ ſæpius tranſfuſæ per terras pingues, cœmeteriorum, ſtabulorum, columbariorum, aliorumque locorum, quæ ſua natura multum continent illius ſalis nitroſulphurei. Aliud exemplum manifeſtum, ad demonſtrandum calcinationem vel calorem ignis non eſſe ſalis procreatorem, tale eſt: Redige in cineres ſtipites cucurbitarum, melonum, cucumerum, lactucæ, aut aliud quid ſimile, quod nõ multum ſalis in ſe contineat: deinde ex æquali portione ſarmentorum vitium aut fabarum

itidem cineres fac: quod utiq; fiet adustione:ac ad cucurbitarum quidē stipites, multa & vehementi adustione opus erit: ad farmētorum non item, quia promptè comburuntur, & in cineres abeunt. Calcina separatim, si lubet, ampliùs, & quantum voles cineres cucurbitarum, nec tamen vel grano salem augebis. Nam perpetuò ex cinere vitium, plurimum: ex cinere cucurbitarum, vel similium, minimum elicies salis: Quod tamen & id quantulum sit, acrimonia & vigore, neutiquam respondebit. Cur ergo dicimus à calcinatione, vel vi ignis salem produci: aut ignem seu calorē esse salis genitorem. Concludendum itaq;, ignem, neque adustionem ullum genus salis, aut humoris salsi posse producere. Nam uti jam diximus, nulla qualitas efficere potest substantiā: nec res quæpiam dare potest id, quod non habet. Sed longiùs his inhæremus, quàm par est. At ita placuit, & necessarium utileque duxi ista paulò specialius diducere, cum plurimum conferant ad exactam fundamenti, omnisq; causæ materialis arthritidis, de qua potissimum hunc meū discursū institui, cognitionem. Nam inde colligere est, quænā sit vera generatio tartari, vel salis acris, acerbi, acidi pungentis aut amari: à quibus distinctæ arthritidis species causantur. Causarū siquidē distin-

Conclusio.

diſtinctio tenenda, ut morborum differentiam cognoſcas atque intelligas. Quæ, quàm liquidè pateat, ex differentiis ſalium tartarique allatis, ſapientes & candidi judicabunt. nec ampliùs recurrent ad frigidum, calidum, humidum, vel ſiccum, ut vulgò ſcholis conſvetum eſſe novimus.

*Salis diverſitas dolorum diverſitatem facit.*

Diverſitas itaque tartari aut ſalis contenti in ipſis juncturis arthritidis, atque dolorum etiam differentias facit. Hinc alii immaniſſimis doloribus torquentur: alii tolerabilibus: alii minimis, alii nullis. Ratio eſt, quia ſal alius alio eſt acrior ac mordicantior: alius amarior, alius mitior: alius fatuus prorſus atquo inſipidus. Quod de ſale dico, intelligendum eſt de tartaro ſeu ſale in tartaro comprehenſo. Nam quando tartarum dico, ſub eo ſalem comprehendo: at non contrà.

*Sal in tartaro comprehēditur.*

Actio autem & doloris cauſa proxima, eſt ſalis acrimonia, aut alia aliqua qualitas, articulorum partibus ſenſibilibus noxia atque infeſta: niſi fortè tartarea materia, eouſq; excreverit, ut vel aſperitate, vel tenſione, aliáve aliqua de cauſa, à duritie & copia proficiſci ſolita dolores moveat. Tartarum ergo congeſtum atque contentum in juncturis, cauſa eſt proxima atque immediata arthritidis. Fiunt autem dolores arthritici com-

communiter, vernis & autumnalibus temporibus, uti summus Hippocrates scribit. Quippe iis temporibus terra calore Solis vivifico excitata, sinum suum aperit fœcundum, ut balsamicos spiritus suos per naturalem sublimationem, plantis omnibus communicet, easq; semisepultas & veluti mortuas vivificet vegetetque ut revirescant, atque suos fructus uberrimos proferant. Tunc etiam res omnes, quæ in ea degunt, commoventur. Imò ipsa etiam vina, licèt dilutissima & limpidissima turbari solent. Ita & sangvis & humores & spiritus corporis nostri. Unde fit, ut in vere crebrioribus simus obnoxii defluxionibus: quæ cùm in arthriticis utplurimũ à serosis humoribus (quod unus Fernelius observavit) nempe à salsuginoso humorum lixivio fiant, atque in arthriticorum juncturas jam per se imbecillas faciliùs incumbant: causam conjunctam seu materiam tartaream vel augent, vel interdum ingenerant: aut jam generatam dissolvunt, unde dolores ingeminantur. Haud secus enim ac calci affusa aqua, à qua sal calcis dissolvitur, & fit ardens quædam ebullitio. Ita analogia quadam & in juncturis fieri existimandum est. Defluxio itaque causa est quidem arthritidis, sed non proxima & immediata, sed accidentaria, quam Plato, sine

qua

qua non, appellat. Nam materia illa quæ in juncturis continetur, aliquandiu otiosa manet, & non tam promptè dolores semper excitaret, nisi nova quædam accederet defluxio, quæ eam commoveret. Quemadmodum item jam aqvæ copia, fusa calce atque lignata, paulo pòst cessat calor: & aqua rursus exhalata vel consumpta denuò induratur: ita fit in quibusdam arthriticis insultibus. Nam dum fluit materia in articulum, summus est dolor, utpote defluxione, perfusa calce tartari, & incensa: qua jam fluxa, & parte propter copiam humoris, dolorisque vehementiã in tumorem elevata, paulatim cessat dolor. Tum sensim evaporatur humiditas, vel à calore partis, vel à remediorum impositione: à quibus materia tartarea vel mitigatur, vel resolvitur & dissipatur. Quod quàm rectè fiat à multis, dicetur in curatione.

At, inquiet aliquis, videmus interdum podagricos dolores infestare, etiamsi nulla adsunt defluxionis indicia. *Objectio.*

Cui ita respondendũ, hoc fieri tum, quando materia jam digesta à natura, certis temporibus suos quasi fructus parit & profert: hoc est, suas evaporationes spiritales nitrosas, vitriolatas, aluminosas, aut ejusmodi alias, quæ acres atque pungentes (quales sunt *Solutio.*

spi-

ſpiritus ſalium aquæ fortis) tendones, ligamenta, cæteraſque articulorum partes ſenſibiles pungnnt atq; corrodunt, unde acerrimi illi dolores, quos vulgò putant à maligna quadam qualitate proficiſci: ut non deſint, qui & malignam podagrã ſtatuerint, quam tamen vix aliam puto, ſi non ſint luis venereæ quædam reliquiæ. Nam manifeſtus alioqui vapor eſt à materia excitatus, quæ per viã congeſtionis (ut loqvuntur, & de qua ſuprà aliquid dictum) in parte fuit accumulata, quam digerere neſciens, ipſa interim exaltata fit, ut & vires exerat, & ſymptomata podagrica producat.

*Ius hereditarium quid ſit.* Reſtat aliquid dicendum de illa cauſa antecedente, quæ acquiritur ceu jure quodam hereditario: quod jus nihil eſt aliud quàm διάθεσι, ſeu vis quædam ſeminalis impreſſa ſemini, quod parentes contribuunt ad generationem liberorum: vel, ut cum Hermeticis loquar, eſt impreſſio quædam tincturæ fixæ arthritidis in ipſo ſemine, quod ideo ſuo tempore eoſdem producit fructus, quales fuerunt in cauſa, ſeu typo generãte, nempe alterutrius vel utriuſque parentis. Nam, ne mireris, & à matre hereditario quodam jure deſcendit podagra, ut liberi non tam bonorum quàm malorum interdum fiant heredes: eo quòd fœminæ, ut & maris ſemen

men de natura salis participet. Sal enim solus & unicus ex tribus principiis hypostaticis est fixus atque firmus. Quapropter qui ab ejus vitio fiunt morbi, radices fixas habent, ac proinde plerunque sunt hereditarii, ut lepra, calculus, arthritis & his similes. Reliqui autem morbi, qui à principiorum fluxibilium, aut volatilium vitio, ut à mercurio vel sulphure procedunt, ut sunt omnes catharri & febres, haud ita facilè ad posteros pertingunt. Nam nec semina sua firmiter figunt, nec tam altas agunt radices: quòd tenaciùs impressas tincturas non habeant. Salis vel etiam sulphuris ejusmodi natura fixi, pulchrè elucescit in plantarum seminibus & radicibus: quarum si vel partes transplantes, facillimè tamen novas agunt radices, atque regerminant: adeoque novos edunt fructus. Quod neutiquam fiat de foliis aut floribus, in quibus liquor, aut mercurius volatilis, & sulphur sive oleum volatile sedem habent. Sed sal fixus perpetuò continetur in radice, & in quibusdam caulibus, & surculis medullosis. At sulphur fixũ in semine. Quapropter ex his etiam transplantantur omnia vegetabilia. At à mercurialibus, quæ facilè evanescunt, non item: Quemadmodum nec à sulphure volatili præditis:

*Hereditarii morbi radices fixas habent à vitio salis.*

cujus-

cujuſmodi ſunt flores & nonnullorum folia.

*Morbi proprii qui dicantur.* Morbi hi hæreditari dicuntur proprii, quia ſponte & à prima origine nobis ſunt ingeniti, aut (ut veriùs loquamur) congeniti: adeoq; ſuaptè natura in nobis pullulant, nec opus eſt novo aliquo ſemine ad eorum productionem. Cæteri verò qui non jure hæreditario nobis inſunt, vocantur accidentarii & acquiſiti, quoniam tranſplantantur. Tranſplantatio autem iſta eſt quoddã quaſi accidens generationis, quòd facilè ſuperveniat iis, in quibus eſt affinitas quædam ſeminis cum natura illorum morborum, qui hæreditarii ſunt, ut arthritidis aut calculi. Et ut proprii illi morbi originem trahunt à cauſa interna: ità accidentarii ab externis, ut crapula, venere, &c. Proprii ſunt permanentes, niſi fortè, ut in declinationibus morborum accidit, ſemen morbi prorſus exhauſtum fuerit, in quibus enim parentibus tandem morbi ſemina deſinunt & ad finem ſuum pervenerunt, ſenio confecto, nihil morbidum tranſire poteſt in liberos hæreditario jure: quemadmodum ex leproſis parentibus, non ſequitur ſemper leproſos naſci liberos, ſi ſemen lepræ in poſtremis parentibus extremo ſenio confectum exaruerit. Omni enim morbo ſuus præſcriptus eſt terminus

minus. Accidẽtarii ſeu acquiſiti morbi, ſunt tranſeuntes. At tanta eſt horũ cum illis affinitas, atq; ſimilitudo, ut facillimè degenerent in illos, ita ut effectu rei extrinſecus advenietis, fiat effectus naturæ, ſeu uti loqvuntur Græci, ex affectu in διαθέσει affectus in ἕξει. Haud ſecus namque ac radix balſami vitæ noſtræ in perpetuo vigore conſervatur à perpetua illa irroratione aquæ vitæ illius generalis, atque puriſſimi balſami radicalis, qui in omnibus rebus alimentaribus conſiſtit, ac nobis per nutritionem ad conſervationem prorogationemque noſtri impertitur, juxta illud Hippocratis: ex iiſdem nutrimur, ex quibus conſtamus. Ita viciſſim quando prædictus balſamus noſter contaminatur à quadam admixtione impura rerum alimentarium, fit ut plurimis morbis atque ſymptomatibus præbeant occaſionem, & generationis cauſam: tantoque id magis, ſi vitale noſtrum ſemen, atque principium vitæ noſtræ fuerit inquinatum ab impuris iſtis tincturis, atque impreſſionibus fixis, quæ morbos hæreditarios ingenerant per continuam illam propagationem, qua manifeſtè apparet vigor ſeminis earum.

Morbi contagioſi eximiè nos docent rationem tranſmutationis morborum, quemadmodum & ii qui ætatibus ſunt proprii, cer- *Ratio tranſplantationis morborum.*

certiſque temporibus aut locis invadunt,ut non malè ſtatuant qui etiam morbis ſua ſemina,ſuaſque radices ineſſe ajunt,quibus repullulent. Ecquid, quæſo, ſimilius, & magis ad mentem atque ſententiam Hippocratis proferri pôt ? Is enim ſcribit in libro ſuo de flatibus,morborum omnium modum unum eſſe, nempe eum qui ex ſeminibus atque radicibus proficiſcatur. Quicquid igitur in parentibus continetur,quod firma,eademq; ſpirituali impura, morbida,maligna tinctura ſeu impreſſione balſamum illud radicale, vitale ſemen , humanæque naturæ radicem afficere aut inficere poteſt,tranſplantatione hæreditaria malum in poſteros transfert.At ſi morborum impura illa ſemina,non ita adeò profundas radices egerint : vel ſi balſamum humanum adeò potenter non occupaverint : vel ſi ope naturæ , & interno illo balſamo ſeparentur, vel artis miniſterio ab externis remediorum ſpecificis balſamis debellentur,aut etiam ſuum vitæ terminum aſſeqvuta fuerint : podagrici podagricos,leproſi leproſos non ſemper generant. Nam his mediis morborum radices fixæ, atque inquinatæ eradicantur , impuraque ſemina purificātur,vel ſenio ſuo extingvuntur.Quæ morborum eradicatio, atque purificatio radicum,atq; ſeminum infectorum,interdum

fit

fit beneficio terræ, nempe matricis mulierũ robuſtarum, bono temperamento, optimaque valetudine præditarum. Unde fit, ut licet patris ſemen ejuſmodi vitio morbido ſit inquinatum, iſtud tamen emendetur à vigore laudati balſami radicalis ipſius matris, ne à patre calculoſo calculoſi, aut arthritico arthritici generentur. Et quod magis eſt, etiam tales generant interdum, qui ne his quidem morbis ſint obnoxii, vel ad eos proni, atque proclives. Et ècontra fieri poteſt, ut à patre ſano, vegeto, & laudatum ſemen contribuente, proles tamen morbida, aut morbis hæreditariis obnoxia procreetur: nimirum patris ſemine concipiente vim illam malignam morborum, quibus mater divexatur. Sanè verò ſemen tritici, licet laudatum alioqui, ſi in terram non bonam conjiciatur, in zizaniã abit, aut certè frumẽtum illaudatum: quod tamen denuò conjectum in terram bonam, priſtinam naturæ bonitatem acquiret. Hæc dicta ſint in genere de natura atque eſſentia prædictorum morborum, magnam inter ſe affinitatem habentiũ, de arthritide, inquam, atq; calculo. Dictæ enim ſunt differentiæ, partes affectæ, cauſæ tam ſecundùm opinionem dogmaticorum, quàm hermeticorum: ſeu, ut meliùs dicamus, purè dogmaticorum, ne diſtinctas facia-

*Quomodo fiat morborum eradicatio.*

*Dogmaticorum*

*Secta non est distincta ab Hermetica.*

ciamus ſectas, quæ re vera una & eadem eſt, ſi bene intellecta utriuſque dogmata, candidè à doctis atque eruditis æſtimentur, & interpretationem ſanam accipiant. Non enim is ſum, qui vel huic, vel illi me addictum putari velim, aut eſſe ſchiſmaticus. Nequaquam verò: ſed pro ingenii modulo, judiciique vel tantula, quam ſummus ille Genius conceſſit, ſagacitate omnia quæ poſſum probare ſoleo: ut quod melius & veritati atq; utilitati conducibilius arbitror ac deprehendo, retineam. Ea eſt enim philoſophorum libertas, ut in nullius magiſtri verba jurent.

*Prognoſis.*

Reſtaret nunc in theoria horum morborum, aliquid more noſtro, de prognoſticis dicere: Sed lubens illa prætereo, cum probè cognitum habeam, non multum ſolatii, aut juvamenti ægro adfore. Quapropter nunc recto tramite ad curationem accedamus, ac ceu in tabula, per σκιαγραφίαν quandã proponamus omnes intẽtiones curativas: tam dogmaticorum, quàm hermeticorum: atq; oſtendamus, in quo differant, & in quo conveniant. Mox utrorumque τέκμαρσιν θεραπευτικὴν propoſiturus, primùm remedia dogmaticorum tam generalia quàm particularia, & tam interna, quàm externa exponam. Subjiciam deinde quæ ſint ſpecifica eorum re-

remedia, eorumq; usum & administrationem præter vulgi morem docebo.

Non agam hoc loco de cura calculi nisi in genere: licet de causis ejus abunde discurrerim. Illud enim factum à me, uti dictum, propter magnam utriusque morbi affinitatem. Tradam itaque hoc loco potissimum curam arthritidis, calculi curationem specialem, in quod sequitur consilium reservaturus. Idque ne remedia diversarum partium affectarum, juxta se invicem posita, aliquam parere queant confusionem.

Ergo de cura arthritidis, ex mente dogmaticorum acturus, primo loco proponam quasi ob oculos, illorum remedia omnia, quibus utuntur ad domandam tanti morbi ferociam: sed hactenus sine ullo profectu, effatu digno, ut notum est omnibus: sed potissimum miseris podagricis. Quapropter operæprecium me facturum arbitror, si ostendam, qua illi utuntur methodo ad evincendum hunc morbum, cui tantopere hucusque insudarunt, ut jam factus sit quasi opprobrium non tantùm medicorum, sed ipsiusmet etiam artis medicæ, juxta illud Poëtæ:

*Tollere nodosam nescit medicina podagram.*

Certè nescio quæ fundi nostrorum dogmaticorum est calamitas. At in expositione

eorundem medicamentorum, pro honore artis & artificis, aliquas descriptiones præter morem vulgi dabo, quas non ex libris, sed maximo illo medicinæ volumine, ipsa, inquam, natura hausi, multaque inquisitione propria, & collatione cum celeberrimis medicis Europæis didici.

*Curatio secundum dogm.* Arthritici itaque curam suscepturi dogmatici, duplici incedunt via. Nam & ad præcautionem respiciunt, & ad curationem perfectam. Præcautio debetur causæ antecedenti: Curatio conjunctæ. Utraq; perficitur tribus illis celeberrimis organis: nempe diæta, pharmacia, & chirurgia. Incipientes itaq; à præcautione, ante omnia exactam vivendi regulam præscribunt, quæ consistit in legitima administratione sex rerum non naturalium, quas vocant. De qua re quia libri ferè sunt pleni, & eandem quilibet vel à mediocriter experto, ac docto ingenio habere possit: idcirco his supersedebo: maximè cum sciam nobilissimum ægrũ, cui hoc nostrum consilium dicatum est, talem esse, in quo & ratio præsideat in omnibus, & rationi appetitus obtemperet. Nec quod libet, sed quod licet: imò nec quod licet, at quod decet, expectet, flagitet, factitet. Adeoq; omnes suas actiones ad temperantiam dirigat, ut de his amplius vel chartam offercire neutiquam sit opus. Sic

Sic ritè instituta diætetica vivendi regula, singulis annis bis purgant ægrum, Vere nempe, atque Autumno, quibus temporibus arthritides maximè pullulare solere, jam ex Hippocrate dictũ est. Primùm autem intestina alluunt clystere aliquo emolliẽte: sequenti die propinant ægro minorativum eccoproticum, quod vocant ad expurgandam primam regionem corporis. Tale conficitur vel ex cassia cum pauco rhabarbaro, vel ex electuariis, diasebesten lenitivo: catholico, aut simili aliquo in forma boli. Vel infusiones parant ex rhabarbaro, agarico & similibus cum decocto sennæ, prout fuerit natura ægrotantis: in quibus dissolvunt syrupum rosarum pallidarum ex novem infusionibus, vel alium aliquem similem, qui expurget serositates. *Pharmacia ad precaut.*

His peractis transeunt ad præparationem humorum peccantium in quibus itidem respiciunt ad temperamentum ægrotantis, & ad qualitatem arthritidis, sitne calida, vel frigida, biliosa an pituitosa. Nam causarum seu humorum peccantium diversitates respicientes, singulos convenientibus remediis contemperant, atque ad expulsionem præparant: quod cognitum esse debet cuivis medico. Ad quod præstandum parant apozemata, seu decocta ex radicibus oxylapathi *Humorum præparatio.*

graminis,asparagi pro una intentione,additis radicibus caryophyllatæ, helenii,aut similium:pro altera, cum herbis cichoraceis, agrimonia, fumaria,betonica qua arthritica,capillaribus: seminibus ebuli,cardui benedicti, citrii, cum corticibus ejusdem,passulis,liquiritia cum mirobal.citrinis,chepulis, floribus genistæ, primulæ veris,calendulæ,stœchados, violarum, borraginis, buglossi,atque similibus:Ex quibus decocta parare jubent,aut in aqua,aut in sero aut hydromelite pro natura ægrotantis, & potissimum morbi: respicientes interim ad hepatis,vel cerebri intemperaturæ emendationem, eorundemque roborationem. In prædicti decocti unciis sedecim, plus minùs, dissolvunt aliquem syrupum convenientem, vel saccarum cum pauco cinnamomo,vel sandalo citrino, ad dulcorationem atq; gratiam: fitq; apozema clarum & aromatisatum, ut inquiunt,pro quatuor dosibus matutinis.Quibus sumptis, purgationem eradicantem instituunt ex electivè purgãtibus,quæ vocant. Tales fieri solent ex decocto polypodii, carthami, sennæ,singulorum ℥ ß. epithimi, seminis anisi & florum cordialium quod sufficiat. In quo decocto infundunt rhab. ʒ ij. agar. ℈ iiij.in expressione addunt syrupi rosati ℥ j. pro delicatioribus,aut sumunt syru-

pum

pum de cychorio cum rhab. aut rosarum pallidarũ cum agarico: Cum decocto sennæ, si infusionem facere nolint. In universum autem sequentia parata habent, quæ dissolvere solent, in suis decoctis: ut, si pituita purganda sit, & mitiorem purgationem efficere velint, dissolvunt hieram puram, vel hieram cum agarico, diaphœnicum, diaturbith minus. Si valentius medicamentum reddere sit animus, priorum loco addunt hieram compositam, electu. Indum majus, vel minus, diacarthami, diaturbith majus. Si purgandam censeant bilem, mitiora habent, cassiam extractam, elect. lenitivum diapr. simplex, diasebest. cathol. Valentiora, elect. de succo rosarum, elect. ros. Mes. elect. de psyllio, Catharticum Imperiale. *Cholagoga.*

Denique ad purgandam melancholiam mitiora habent Cassiã cum senna, diasennam. Valentiora, elect. de epithymo, Confect. hamech. trypheram Persicam, hieram Paccii. Si mixti humores vacuandi sunt: diversa inter se mixta adjiciunt in suis decoctis: atq; ita potiones parant quatuor, quinque aut etiam sex unciarum eradicãtes, sive electivè purgantes humorem peccantem prioribus illis aut similibus apozematis præparatum. Qui suis ægris etiamnum magis placere cupiunt tabellas exhibent per se, *Melanagoga.*

X 5 vel

vel ex ſuis decoctis, aut juſculis diſſolutas: cujuſmodi ſunt tabellæ elect. de citro:de elect. roſ. Meſuæ, vel diacarthami. Has & ſimiles potiones ea doſi qua dictum eſt, exhibent. Sed quo cum ſucceſſu norunt qui tales hauſerũt. Quantitas enim & qualitas ipſa nauſeam creare ſolet: & vel odore faſtidiendas deteſtantur ejuſmodi potiones arthritici ferè omnes, quotquot hactenus novimus, aut vidimus. Sed nimirum digna ſunt tam ingrata, putida & diagrediata remedia, quæ prædicentur, quòd nauſeam creare poſſint & vomitum, antequam deguſtentur: immò vel ſolo odore. Auſim addere & iſtud, ſolo aſpectu. Norunt illud pharmacopœi, qui ne nihil egiſſe videantur, linteis aceto madidis, ſua pocula argentea medicinalia ægrotanti propinanda obtegunt: ut ſi non verbis, at odore ſaltem fallant dubium. Quòd ſi & eò audaciæ: vel invito etiam palato & ventriculo devenerit, ut hauſtum illum hauſerit æger, Dii boni! qui ſingultus, qui ructus, & quid non deliquiorum miſellum non premit! Pharmacopœus adſtans, & rubore ſæpè & madore (ſi inconfirmatior fuerit) facie delibutus atque perfuſus, ne medicamentum quod fecit imperitante medico in novas moleſtias miſerum adducat, pomi fruſtula maſticanda præbet, ſic falli putat ſtomachũ

&

& fauces. Animum addit ſpem faciens ſalutis futuræ. Sed quid fit? Nempe novas turbas jam potio movet in ſtomacho: quærit exitum, nuſpiã niſi per ſuperna. Quapropter ventriculus hunc hoſpitẽ ferre neutiquam potens, contrahit ſe ad excutiendum iniqvum colonum. Sed nova arte inſtructus, atque in procinctu ſtans, non amplius odoramenta atque guſtui grata adhibet: ſed ceu vi quadam naturam coërciturus, ovum frigidum palato, & collo extrinſecus apprimit, ne regurgitet quod infudit. Medicus adveniens propter ingentes ægri labores fortè vocatus, clyſterem extemplò vel ſuppoſitorium ſubdi præcipit, ut ſtatim deſcendat, quod exhibuit. At ego vel unicum vomitum etiam decuplo conducibiliorem in eo caſu duxerim, quàm vel octonas ſedes. Denique quod ad ejuſmodi potiones attinet, vel ſtatim re intacta redduntur ab ægro, vel certè plus moleſtiæ quàm ſolatii bonis illis podagricis præſtare ſolent. Quod ſi non in omnibus, certè in pleriſque obſervare licet. Sed mittamus iſthæc, & ad inſtitutum redeamus.

Multi igitur, quòd tam impuris violentiſque remediis vel nihil, aut parum tribuant, vel quòd benigniores in cura eſſe velint, malunt iſtarum purgationum diagrediatarum

rum loco, parare decoctum sennæ, cum agarico & hermodactylis (qui peculiariter articulos respiciunt) ad quatuor vel quinq; doses: in cujus quantitate colata dissolvunt syrupi de cichorio cum rhab. ℥ iiij. vel ℥ v. sicque præparant & purgant simul, idque per epicrasin, ut vocant. At quando vident ægrorum naturas omnino abhorrere ab usu potionum, tum unicum est eis refugium ad pilullas. Ergo pro diversitate humorum diversas præscribunt pilullas: Si calida sit arthritis, patiensque sit biliosus, atque delicatissimæ naturæ, pilullas habent mitiores bilem expurgantes, ut pilullas de rhab. & sine quibus. Fortiores sunt aureæ & aggregativæ. Quapropter & robustioribus accommodatæ. Pituitosis humoribus, atque naturis delicatis, mitiores hæ conveniunt, pilullæ de agarico, Arabicæ, de hiera cum agarico, imperiales. Fortiores sunt sequentes fortioribus naturis competentes, cocciæ, de sarcocolla, lucis. At si purgandi sint humores pertinaces, adusti atq; retorridi, mitiores has habent: Indas de fumaria. Fortiores has, de lapide lazuli, & de lapide armeno. Quod si etiam bilis & pituita simul, ac una eademque opera sit purganda, prosunt pilullæ de euphorbio & mezereo. Si pituita & melancholia, pilullæ de colochintide. At si omnes sint

*Pilul. bilem expurgantes.*

*Pituitam expurgantes.*

*Bilem & pituitam simul.*

ſint ſimul exturbandi humores, conducunt eæ, quas de octo rebus appellant. Et ne quid omittatur, quod ſpecificum videatur dogmaticis ad arthritidem, ſuperſunt adhuc pilullæ arthriticæ, fœtidæ majores & minores, de hermodactylis, benedictæ, de opopanace, ad quas tanquam ad ſacram quandam anchoram confugere ſolent, ut fruſtra ſit hac in parte, qui de remediorum defectu conqueri velit. Nam & delicatis & robuſtis, & pituitoſis, bilioſis atque melancholicis electivè purgantia medicamenta dicata eſſe vides. Doſis autem ejuſmodi pilullarum eſt à ℥ j. ad ℈ iiij. Ex quibus formantur pilullæ novem, ſeptem aut quinque, prout faucium meatus ad deglutitionem fuerit promptus & expeditus. Sed quod mirum, ſemper in numero impari conſiſtunt, argumento ſumpto ab eo, quod ait Poëta.

*Numero Deus impare gaudet.*

Quaſi verò & Dii ipſi imparitatem in medicinis, quarum authores eſſe perhibentur, ſpectari velint. Sed ſunt qui & ratione aliqua naturali ſuffulti, inæqualitate poſitas aut ſitas in ventriculo, undique latera meliùs contingi, atque camini inſtar extergi ſibi perſuadeant. Præter prædicta purgantia omnia, ſunt adhuc alia quibus dogmatici utun-

*Benigniora & gratiora remedia.*

utuntur, in delicatis & ditioribus, quos benignè & placidè ſanare, iiſdemque plurimùm placere gaudent. Nam ſyrupos conficiunt magiſtrales, quos vocant, quorum uſus eſt, ad morbos longos ſeu chronicos dictos: cujuſmodi eſt arthritis, atque in iis corporibus, quæ frequenti purgatione indigent. Tales autem bis in anno præſcribunt, nempe Vere & Autumno. Parantur ex eorundem aut ſimilium decoctis, quæ in apozemate prædicto citata ſunt: vel ex ſuccis depuratis herbarum atque florum convenientium, in quibus infunduntur aut decoqvuntur folia ſennæ, hermodactyli cum tantillo cinnamomi aut caryophyllorum, quod correctionis loco adjiciunt. Quorum dein liquorem tranſcolatum cum ſaccari ſufficiente quantitate coqvunt: & circa media decoctionis affundunt infuſum rhabarbari factum in aqua cichorii: Sicq; ad ſyrupi perfectionem coqvunt, qui benignè admodum purgat ſine ulla offenſa ventriculi vel ſtomachi delicatiſſimi.

*Remedia quibus dogmatici ſtomacho proſpiciunt.*

Atque his abſolvunt totam prophylacticam ſeu præcautionem, quod quidem faciat ad pharmaciam purgantium. Interim & ſtomacho proſpiciunt, & quæ eundem roborare poſſunt, præſcribunt. In quem ſcopum inſtituunt pilullas uſuales, quas vocant:

cant: quarum usus est ante cibum singulis septimanis semel aut bis, prout plus aut minus stipata fuerint alvo: cujusmodi sunt pilullæ de hiera simplici, pilullæ assajeret, elephanginæ aut similes. Nec intermittuntur pulveres digestivi, ut vocant, quos sumunt post pastum. Sed & diversioni materiæ peccantis studentes, quidam hydrotica seu diaphoretica commendant, sed talia, quæ hepar non calefaciant, itemq; diuretica, ad divertendos & evacuandos superfluos humores per urinas atq; sudores. Alii solis frictionibus matutinis contenti sunt. Ad partium verò affectarum roborationem utuntur lixiviis & lotionibus, quibus pedes & manus abluunt. Tales conficiunt ex decocto salviæ, ivæ arthriticæ, betonicæ primulæ veris, absynthii & similium.

Iam quod ad chirurgiam attinet tertium præcautionis organum, statim post minorativum tempore verno, una vel altera interjecta die mittitur sangvis: aliquibus etiam autumnali, idq; aliàs in brachio, aliàs in pede ex vena malleoli. Utuntur & ad revulsiones atq; derivationes causticis: applicatione cucurbitarum etiam cum scarificatione sæpius iteratarum. *Chirur.*

Ecce omne mysterium, quo ad præcautionem utuntur medici dogmatici: ac ii etiã

qui

qui ex illis doctiores habentur, atque exercitatiores, quiq; consilia sua ex arte præscribunt atq; methodo.

At ego huic ipsi dogmaticorum legi obtemperans, mitiùs & paulò benigniùs tecũ agam. Interim magis utemur specificis, & quæ morbo huic si non penitus extirpare, frænum saltem injicere queant: sed id ex Hippocratis præscripto, citiùs, tutiùs & jucundiùs. Primùm itaque quod ad præcautionis præcipuum caput attinet: approbamus planè debitam ac legitimam diætæ, atque rerum sex non naturalium administrationem.

*Humorum præparatio vera, qualis.*

Ad præparationem ergo humorum, loco oxymelitis simplicis, mellis rosati aut anthosati, syrupi de betonica, de stœchade, & succo acetosæ, de succo boraginis, qui & præparationi humorum peccantium cum aquis convenientibus ei partes principes (sed maximè hepar calidum) respicientibus prodesse possunt. Item loco apozematum quæ in quatuor vel quinque dierum usum præscribuntur, ut dictum est suprà, quæ omnia parum prodesse possunt: cum ejusmodi remedium nihil aliud sit, quàm elixatio quædam simplex variarum rerum, uti dictum depurata cum albumine ovi: quæque vel quatriduo facilè acescat aut corrumpatur, ut

ut taceam de gustu nauseabundo, atque ingrato. Horum, inquam, tam syruporũ quàm apozematum loco, suaserim ego præparari tibi hydromel quoddam simplex communi modo paratum, quod fieri potest in propria domo: in cujus libris sex bullient radicis henulæ campanæ in talleolas dissectæ, ac mediocriter siccatæ ad Solem, aut lentum calorem, ℥ ij. radicis filicis & acetosæ ana ℥ ij. ligni rosarum ℥ j. chamædrys chamæpytis ana m. j. macerentur & digerantur omnia per viginti quatuor horas ad lentũ calorem: postea coquantur ad consumptionem tertiæ partis: addendo sub finem decoctionis florum verbasci, primulæ veris, calendulæ ana p. ij colétur per manicam Hippocratis, aromatizentur tantillo cinnamomi, aut coriandri præparati cum succo citoniorum: transcoletur aliquoties per eandem manicam, donec dilutissimum evadat, & lucidissimum. De quo capies ℥ ij. in principio: postea sensim augebis dosim. Radix helenii aliquem amarorem huic hydromeliti conciliat, qui tamen non ita sit ingratus, quin consvetudine fiat gratior atq; acceptior. Gratissimũ est alioquin, & nulla nauseabunda qualitate molestum. Ad hæc colore & luciditate refert vinum album. Quod si etiam gratius ad gustum reddere velis, & ad præparandos

Y corri-

corrigendosque humores aptius: addes aliquot guttas spiritus vitrioli dulcorati, vel aciditatis sulphuris. Hoc enim ceu fermento acido naturæ, meliùs fermentabuntur superfluitates tartareæ, & ad expulsionē aptiores reddentur. Sed singulis hebdomadis hydromel hoc conficiendum: & singulis matutinis assumēdum ad ℥ iij. vel ℥ iiij. tribus vel quatuor horis ante prandium, continuãdo, non ad quatuor vel quinque dies, uti solent vulgò: sed per plures menses, aut etiam annos. Sicque perfectè detergentur viscera, ut stomachus & reliqua membra interiora, à tartareis & mucilaginosis impuritatibus, quæ tunicis eorum obhærescunt. Atque sic etiam una & eadem opera corroborabuntur. Ita demum fluidi reddentur humores: átq; hoc ipsum est quod Hippocrates præcipit qvum dicit: *Ubi quis corpora purgare voluerit, oportet fluida priùs facere.* At me herclè video paucos hodie novisse quid sit illud *fluidum reddere.* Nam si, uti convenit, talia reddantur, vix levi pharmaco aliquo opus est ad exturbanda, vel fluida, vel quicquid humoris etiam peccãtis restare possit. Semel namque natura victricem manum admovens, non cessat, donec omnem ejiciat hostem. Et boni isti tribus vel quatuor diebus id peragere tentant. Tentant sanè, nec efficiunt

quod

quod sperant. Nam ut fluida redantur quæ intus latent morborum causæ tenaces, tempore opus est, & natura functionibus suis adjuvante, cum crassa difficulter moveantur ex medicorum decreto. Hoc autem non fit brevi, sed arte, tempore, longa atque continuata vivendi ac medicandi industria: & quidem tali quæ nec partes prosternat, nec naturam frangat, aut molestet, nec ullam effatu dignam, vel corpori, vel naturæ interiori creare possit molestiam. Sic medicandum est: sic expellendæ morborum causæ: sic denique morbi sanandi: ut natura & vigor ille vitæ, verus morborum antagonista, atque expulsor conservetur. Quem, cave credas alium esse, quàm ipsammet naturam, seu balsamum naturæ, familiari, sed interim efficaci remedio adjutum. Postquam ergo fluida reddita fuerint corpora: natura per se, per crisim, ut per alvum, per urinas, per sudores, aut alias vias excrementorum sic ritè præparatorum, exitum molietur certis temporibus, sed tum præcipuè, quando à molestantibus causis divexata fuerit, ipsa interim artis & medicamenti ope victrice existente. Immò vel absque arte tandem hostem ejiciet, ubi vires nuperas recollegerit.

Ergo ut ad has operationes, purgante aliquo naturam promoveamus: hoc est impe-

dimenta ſublevemus: quo meliùs illud præſtare poſſit, purgans in eam rem præſcribemus: ſed facile illud, nec nauſeam movens, interim ex dogmaticorum penu depromptum, ſed arte noſtra elaboratum.

In eodem igitur hydromelite ad lentum calorem per aliquot dies macerabis flores recentes violarum (nam talia ſuis, hoc eſt convenientibus temporibus paranda ſunt) perſicorum, roſarum pallidarum, florũ prunorum ſylveſtrium, & purgans efficies gratũ, quod abũdè ſeroſitates evacuabit. Quod ſi efficacius reddere voles, addes aliquid radicis mechoacam., in talleolas ſectæ atque ſiccatæ. Sed longiuſcula opus eſt digeſtione. Nam hæc ſola & vera eſt correctio ejuſmodi remediorum. Adjicies tamem aliquid, ſi lubet cinnamomi, aut ſeminis aniſi in eadem infuſione, ut gratior fiat potio, atque correctior: cujus doſis eſt duarum unciarum, quæ ſufficienter purgabunt. Aut ſi virtutem etiam augere lubeat, & ſimul purgare efficaciter atque benignè, humores craſſos atque ſeroſos: aut etiam purgans ſpecificum efficere in hoc affectu: addes ſennam, vel turbith album & gummoſum, aut hermodactylos; aut de ſingulis aliquid. At diu digerenda ſunt in prædicto hydromelite ut dictum eſt. Nam à calore extrinſeco adjutus

calor interior, fermentari incipiet, digeri, atque tandem bullire & depurari: sed longè alio atque nobiliori modo, quàm in officinis vulgò fieri consvetum, levi eaque momentanea ebullitione unius semihoræ, aut horæ integræ ad summum. Ebullitio siquidē hæc atque digestio, non tam ab externo calore, quàm ab interno: Imò ab hoc vel multò etiam magis. Omne enim optimū, quod à natura fit. Quid tum fiat, si natura artis ope fuerit adjuta? Nimirum & coquetur & digeretur, & depurabitur: sed absque ullo albumine ovi: fietq; magna separatio impuri, quod in fundo residebit, à puro limpido atque claro, quod vini diluti instar supernatabit. A tali medicina utiq;, nec nausea nec vomitus, nisi ei exorietur, cui vel nomē medicinæ exosum: At qui semel sumpserit: ille & gratiam commendabit, & effectu commendabiliori sine dubio fruetur. Sic purgabuntur humores tutò atque jucundè: fidem faciet ipsamet dejectio.

Tales purgationis rationes plurimas propediem, tam vini quàm hydromelitis forma dabimus in lucem, Deo vitam & vires concedente, in nostra pharmacopœa restituta, quam paramus, & vix, ac ne vix quidem, ab importunis amicorum extorsionibus, pro ultima (quam vocant) manu retinemus, juris

publici facturi, si Deo visum fuerit, hoc anno. Potes etiam prædicto hydromeliti suo tempore flores prunorum domesticorum addere. Itemq; rosas muscatellinas. Nam his & excellentem & gratissimam efficies purgationem. Talia quippe aut similia in hydromelite (quod verum est nectar cœleste à rore nimirum collectum) materia, quâvis cassia, quovis syrupo magistrali, quavísve alia purgatione vel gratissima, visa sunt præstantiora: ut cessent hîc syrupi magistrales ubi istud adsit. Quod si syrupi placeant, eorundem trademus descriptionem, in nostro prædicto libro. Porrò à prædicta potione non opus est custodia, aut ut maneas domi: sed liberè exire potes ad negocia. Placidè enim ad naturæ officium vocaberis, nulla vi nullaque naturæ prostratione: tantùm abest ut stomachus quicquam, vel aliud, ullúmve viscus ab ea patiatur. Sed continuato usu opus est. Nam ita demum fluida reddentur corpora ad excretionem: maliq; ferocia, si vel altiùs radices egerit, domabitur, nec quicquam ab eo natura gravabitur. Nec dubito hanc meam sententiam, à quovis ingenuo & candido medico approbatum iri: velint modò etiam quod unicè opto & svadeo, relictis impuris & nauseam moventibus apozematis hujusmodi artificiosioribus digestio-

gestionibus, & medicamentorum præparationibus studere, atque uti. Norunt enim (nec nos fugit) in medio usu istarum coctionum vulgarium, quæ tamen vix ad quatuor dierum spatium conservabuntur, sæpè desistendum esse: quòd æger propter ingentem, quam concepit, nauseam, vel dicto provocabilem, fastidiat ejusmodi apozemata. Hoc autem non fit de hydromelite illo, aliisque tam præparantibus, quàm purgantibus quæ propediem publici juris facere decrevi, cum aliis rarissimis at nobilissimis præparantibus omnis generis morbis accommodatis: docebo præclara extracta, electaria liquida, solida, corroborantia, purgantia, sed mitissimè, & unius drachmæ dosi, cum in vulgaribus, vel unciæ vix sufficiant: sed longiùs protrahor quàm speraram. Nec pœnitet tamen, qui tibi hæc scribo, atque svadeo, tibi, inquam, alteri meo, quem colo & veneror. Idcirco in hoc consilio extra viam digressus sum consvetam: quam tenere & sequi ipse tamen novi, si consultum videatur ægro salutare: uti constabit ex plurimis consultationibus, quas & brevi in lucem dabo. Nam & ibi constabit, non semper lata incedendum esse via, qua currus & equi transeunt: sed semitas interdum esse breviores tutiores ac jucundiores. Saluta-

re & benignum quin etiam purgativum est pulvis noster Diasennæ. Concinnatus est ex senna, ex crystallo tartari purgãtis & aciduli, quæ duo basim constituunt. Adjectum est aliquid saccari & aromatum ad majorem gratiam: facillimè assumitur: est enim gratus nec nauseam movet, ut ne os quidem sit colluendum, vel alia faciẽda, post purgantia assumpta fieri solita. Dosis est à cochleari semis, ad cochlear unum argenteum pro natura ægrotantis. Quo sumpto statim hauries jusculum. Est enim familiare & egregium purgans, naturæ tuæ convenientissimum. Non addo descriptionem. Est enim artificiosa admodum, & laboriosa satis prædicti crystalli præparatio: quam tamen docebo in nostra prædicta pharmac. Porrò loco pilullarum Elephanginarum, mastichinarum, de assajeret aut similium, quarum usus esse solet creber ante pastus ad corroborationem ventriculi, atq; hepatis, eorumque expurgationem à tartareis & viscidis impuritatibus. Harum, inquam, loco seqventes pilullas nostræ descriptionis suo tempore parare curabis.

*Pulvis diasennæ Quercetani.*

℞. aloës succotrini optimi ac laudatissimi ex vesica ℥ vj. aut ℔ ß. vel tantum, quantum lubet: quam redactam in pulverem immittes in matratium, seu cucurbitã vitream.

Assun-

Affunde aquæ endiviæ aut acetosæ,ut quatuor vel quinq; digitos supereemineat:pone in balneo maris calido, ac ferè bulliente, vase optimè clauso cū subere ac cera hispanica. Stet ita per duos vel tres integros dies, & videbis aquam ab aloës essentia tinctam, & rubicundissimā rubini instar evadere,quam lentè per inclinationē à fœcibus separabis, ne quod crassum est exeat simul. Liquorem effusum seorsim asserva in alembico probè clauso. Materiæ relictæ aliā affunde aquam endiviæ, sed non tantum quantum prius. Denuò digere ut antè : coloratam separa, priorique adjice,ac rursus aliam affunde,donec aqua nullum amplius eliciat colorem. Et videbis residuum, quod est in fundo,arenæ instar aut cineris,in magna satis copia.Et ex media libra magis quàm tres unciæ restabunt : estque fœx aloës inutilis, nec in aqua dissolvitur. Aquam omnem tinctam destilla per alembicum, aut permitte ut exhalet in patina argentea, carbonibus aut cineribus calidis imposita : donec materia restet crassitudine mellis:quæ erit lucidissima rubini instar, & majori artificio atque judicio præparata, quàm solet vulgò simplici illa ablutione,si vel centies abluatur.Quæ ablutio aut nihil, aut certè parū prodesse potest. Dicam & obesse posse, qvum tenuior & no-

nobilior ejus pars ablutione possit separari. Hæc aloë sic rectè præparata erit basis nostrarum pilullarum : quam pones in vitrum, affundendo suo tempore succi florum violarum optimè depurati in balneo maris (ut docebimus in nostra pharmacopœa restituta) ℥ iiij. nisi necessitas urgeat, expecta donec tota inspissetur in consistentiam aloës: quod ad calorem Solis fieri potest. At si promptè perficere voles, exhalare facies aqueam humiditatem supra cineres, donec redeat in consistentiam mellis. Adde rursus succi primulæ veris optimè depurati ℥ iiij. aut si voles ut citius res peragatur, florum succos qui eodem tempore florent, simul & junctim affundere potes. Item succi florum pruni domestici & sylvestris ℥ vj. succi rosarum pallidarum, succi florũ cichorii ana ℥ viiij. succi florũ calẽdulæ ℥ iiij. Omnes hoc succos probè depuratos, aloë consistentiæ mellis affunde, vel simul plures, vel seorsim singulos, prout libuerit: Et subinde digere & coque ad lentum calorem, dum ad pristinam consistentiam redeat. Quod si in principio, aloës fuerint tantùm unciæ quatuor, jam ad decem adauctam ejus massam videbis, ab extractis succorum quos adjecisti. Huic massæ adde foliorum sennæ electorum, & in tenuissimum pulverem redactorum ℥ j. ß.

rhab.

rhab. pulverisati minutissimè ℥ j. myrrhæ ℥ ß. croci ʒ j. ß. macis ʒ j. hos pulveres paulatim admisce prædictæ massæ optimè miscendo, & malaxando, addendo aliquid syrupi rosati solutivi, si opus sit, ut omnia redigantur in debitam massam pilullarum. De qua formabis pilullas duas magnitudine pisi, quas sumes paulò ante cibum, vel prandii, vel cœnæ, prout libuerit.

Eadem basis aloës misceri poterit cum succo esulæ, extracto sennæ, hermodactylorum, aliorumq; purgantium prædicto modo præparatorum: & fiet specificum purgans pro arthritidis præcautione, dosis est pilullæ duæ, quæ sufficienter purgabunt.

Addam & descriptionem pilullarum mearum helleborinarum, antipodagricarum, quas voco. Nam & alias antepilepticas dictas parare soleo, & plures alias diversis morbis accommodatas. Præstans est hoc remedium ad ipsam etiam arthritidem, hæreditariam aut inveteratam: & in qua vulgata remedia nihil proficiunt.

Accipe radicum helleb. nigri transplantati in aliquem hortum, vel qui in aliquo loco calidiore creverit, non in montium jugis ℥ iiij. depurētur optimè ab omni immunditie, atque terrestreitate. Bulliant integræ in mensura vini rubri optimi, in quo adde caryo-

ryophyllorum,ſeminum citri ana ℥ ß. bulliant omnia ſimul in olla terrea vitreata per quartæ horæ ſpatium. Poſtea aufer vinum & radices ſiccato ad ignem lentum: ſiccatas craſſiuſculè contunde. Similiter ſeorſim pulveriſa craſſiuſculè hermodactylorũ ℥ iij. pulpæ colochyntidis ℥ j. rad. angelicæ & gentianæ ana ℥ j. pulv. ſaniculæ, centaurii minoris & hyperici ana ℥ ß. pulveris chamædryos, chamæpityos, florum primulæ veris & betonicæ ana ʒ vj. pulveris ſeminum cardui benedicti, acetoſæ & ſem. citri ana ℥ j. ſeminum aniſi caryophyllorum ana ℥ ß. croci, caſtorei electi ana ʒ iij. Omnes iſti pulveres ſecundùm artem probè inter ſe mixti ponantur in cucurbita vitrea ampla, affundendo ſeri lactis per deſtillationem facti quod ſatis ſit, ut prædicti pulveres benè humectẽtur, quod videbis, ſi probè miſceas in vaſe: tantum autem affundes, ut duos vel tres digitos ſuperemineat. Claudatur & obturetur vas probè, ne quid expirare valeat: & pone ad digerendum in balneo maris per dies ſex ad minus. Poſtea liquorem effundes, & materiam intra linteamina conjectam torculari exprimes, ut omnis liquor ſubſtantificus extillet: quem digere in balneo calido, in vaſe optimè clauſo, & materiam poſtea digere denuò, & purifica, atque omnem humi-

miditatem exhalare permitte, donec resideat consistentia crassitudine mellis: Ad cujus materiæ ℥ vj. adde sennæ ℥ ij. & fiat massa pilullarum: quarum dosis ℈ j. pro pauperibus. Sed pro te, tuæque conditionis hominibus, melius adhuc præparare oportet. Nam prædictus liquor, postquam ritè fuerit digestus, infundendus in cucurbitam vitream cum recipiente, optimè juncturis obsignatis, ne spiritus, qui subtilissimi sunt, exhalare possint: Pone ad ignem cinerũ mediocrem, aut ad ignem balnei vaporosi, si melius efficere velis, donec omnia destillent ad siccitatem usque. Liquorem extillatum serva in vase bene clauso: cum quo & saccaro rosato aut violato fit syrupus purgans præstantissimus. Sed ut fiant nostræ pilullæ helleborinæ, ita procedendum. Si prædicti liquoris fuerit libra una, addes rhab. pulverisati ℥ j. pulver. sennæ, agar. trochiscati & in pulverem redacti ana ʒ vj. pulveris hermodact. ℥ ß. masticis ʒ ij. aromat. ros. Gabr. diamoschi dulcis ana ʒ iij. Omnibus his pulveribus probè mixtis affundes prædictum liqvorem, sensim imbibendo ad lentissimum calorem. donec prædicti pulveres omnem liquorem imbiberint. Adde sub finem essentiæ aloës præparatæ ut dictum, ℥ iij. & fiat massa pilullarum, addendo sub finem inter malaxandum

dum aliquid ſyrupi myrtillorum. Diu ac multum malaxentur, & piſtillo tundantur.

In podagra confirmata, aut in qua jam nodi fiunt,atq; tophi datur ℈ j. ex quo duæ exiguæ pilullæ formantur, quas capiat ſingulis ſeptimanis ſemel, ſuperbibendo juſculũ, in quo bullierit acetoſa,borrago,bugloſſum, portulaca & his ſimiles herbæ refrigerantes. Idq; continuandum à Novembri ad finem uſq; Aprilis. Poſtea adventante tempore æſtivo ceſſandum.Hoc remedium ad radicem uſq; mali pertingit,& ſervit tam præcautioni quàm curationi. Valent & eædem pilullæ in aliis plurimis morbis chronicis & contumacibus.

*Roboratio viſcerum.* Pro divertentibus & revellentibus, nihil eſt quod addam.Quantum verò pertinet ad roborantia tam univerſalia, quàm particularia, nos loco conditorum, opiatarum, tabellarum, quas formulas omnes præſcribere poſſemus, ut reſpicerent cerebrũ, hepar, ventriculum, aliaſque partes quæ roborandæ ſunt in hoc affectu. Item loco pulverum digeſtivorum, qui parantur ex aniſo, coryandro præparato in ſucco cidoniorum, conſerva roſarum ſiccarum, cinnamomo, ſaccaro roſato, & ſimilibus, quæ plurimùm valent ad roborandum ventriculum. Horum, inquam,omnium vice ſvademus uſum pul-

pulveris specifici, cujus vis sit efficax ad dissolvendas tartareas impuritates, mucositatesque stomachi seu ventriculi & viscerum nutrientis facultatibus, in quibus causa materialis, & quasi minera arthritidis atq; calculi (qui morbi per coagulationem fiunt) consistit ac generatur.

Cum enim horum morborum generatio, ut dictum, fiat per coagulationem tartari & mucositatum, consequens utique est, ut cura procedat à resolventibus ejusmodi tophos tartareos. Ea autem fiunt ex remediis propriis atque specificis: quorum alia vim habent resolvendi tartarum hujus, alia alterius generis & naturæ. Nam ut diversa sunt tartarorum genera atque salium: ita & dissolutionum atque causarum dissolventium. Res exemplo fiet illustrior. Gummi Arabicum dissolvitur in aqua: ratio est, quia est de natura aquea. Gummi tragaganthi, gummi cerasorum, prunorum item sunt aquosa: sed majore opus est copia aquæ ad dissolutionem eorum. At mastix, thus, lacca in aqua nunquam dissolvuntur. Nam quia hæc gummi sunt de natura sulphuris. faciliùs dissolvuntur in oleis ut ipsummet sulphur. Quæ autem gummi partim sulphurea, partim aquosa, & de salis natura plurimum participant, ut ammoniacum, sagapenum,

num, galbanum: ea cum ſpiritibus ſalis, ut cum vitriolato, acetoſo ſpiritu, in ipſo aceto vini contento diſſolvuntur; aut ſimili aliquo alio ſpiritu acetoſo, partim mercuriali, partim ſulphureo. Hinc patet, in quo conſiſtat diſſolvendi vis. Patet etiam non omnia purgantia conferre ad diſſolutionem,& per conſequens evacuationem tartari, ut fruſtra ſint,qui febribus quartanis,aliiſque morbis pertinacibus, varia medicamentorum genera ſine ullo diſcrimine præſcribunt: cùm plurimis ex iis non ſit vis particularis & ſpecifica reſolvendi atque deturbandi tartareas materias & mucoſitates compactas. Quinimò talium uſu pertinaci,ex quartana ſimplici faciunt duplicem, aut triplicem. Ratio eſt, quia non diſſolvunt gummoſas viſcoſitates, cùm convenientia non adhibeant: nec naturam juvant, ſed lædunt potiùs,atque inſultus febriles ingeminant.Nam gummi quoddam eſt tartareum,quod viſceribus inhæret, & unoquoque quatriduo ſpiritus ſuos nitroſulphureos exaltans, quartanariorum ſymptomatum vera eſt & immediata cauſa. Quod gummi tartareum cùm gummi tartareo diſſolvitur, & ebibitur, deletur febris.Nam in ſimilibus potiùs quærenda eſt ſanitas, ſeu morbi curatio, quàm in diſſimilibus aut contrariis & repugnantibus.

bus. Hæc eſt Chymicorum opinio, quæ verbo ſolùm & non re à dogmaticorum opinione differt: cùm ad unum & eundemmet finem vergant ambæ ſententiæ. Nam ſi cauſæ habeatur ratio, in ſimili remedium quæres, ut jam diximus de febre quartana. Si effectum ex cauſa reſpicias, cõtrariis eam propulſabis. Si calculus à tartaro, ſeu ſale coagulato factus, curabitur, ſale quidem, ſed reſolvente. Arthritis quinetiam à ſalibus tartareis acribus ac corroſivis genita, ſalibus curabitur lenitivis & conſolidativis. Simili ratione in morbis ſulphureis à ſulphuribus rerum petenda ſunt remedia. Sed ſulphuri inflammatorio febrem excitanti opponitur ſulphur acidum, vitriolatum: quod ſummè refrigerat: ſulphureoſque illos commotos ſpiritus coagulat & compeſcit. Atque hoc modo & ſimilia ſimilibus curantur, & contraria contrariis debellantur. Ac merentur ſanè hæ contemplationes, quibus omnes veri medici diligenter incumbant. De quibus pluribus agemus in opere noſtro, De recondita rerum natura, artiſque myſteriis. Iſta tantùm παχυλῶς καὶ παρέργως, hoc loco aſperſa ſint. At in univerſa iſta cõtemplatione cogit quidem parum digredi ratio à dogmaticorum principiis & fundamentis, donec vel meliora oſtendant, vel hæc noſtra

Z ſoli-

solidis rationibus evertant. Nam, inquiunt illi, in cura arthriticorum & aliis morbis similibus, humores crassos & coagulatos, attenuandos esse: quam attenuationem, attentant calidis & potenter siccantibus. Quid fit? Loco resolutionis quam intendunt, indurant & cogunt magis, à medicamẽti nimirum calore resolvente ac dissipante, evacuato eo quod aqveum est & tenuius. Hinc tophi, hinc nodi, quos rectiùs à medicamento causatos dicas, quàm ab ipsa defluxione, quæ non potest esse alia quàm liquida. Nam dissolutio ejusmodi tartareæ materiæ, non consistit vel in vi caloris, vel in facultate attenuante: sed est virtus quædam propria ac specifica, quæ etiam dissolvere potest. Unde videmus id quod dissolvit aurum, non dissolvere argentum: & vicissim quod dissolvit argentum, non dissolvere aurum. Nec ulla est aqua fortis, quæ sulphur dissolvendi vim habeat, quod tamen cum metallorum duritie non est conferendum: At ab oleo dissolvi potest, quòd & illud sit de natura oleosa atque sulphurea. Quapropter infinita propemodum dissolventium genera esse in natura existimandum est: quorum disquisitioni, & causis, doctis iucumbendum svadeo. Neque enim sat est novisse effectus & τὸ ὅτι, seu ad oculum vidisse: sed pergendum ulteriùs,

at-

atque deveniendum ad τὸ διότι: ad causas inquam & rationes. Id quod inter meæ sortis ac conditionis philosophos, me non ultimũ præstitisse profiteor. Nam quicunque cognoverit dissolutiones rerum, novit & earundem compositiones, & anatomiam vitalem seu internam, & non tantùm externam seu superficiariam.

Sed reassumo pulverem de quo dicere aggressus, & jam ferè nimis digressus sum. Is enim insignem habet vim dissolvendi propter salem alkali mordacem, atque pungentem, quem continet aron, quæ basis est & præcipuum ingrediens ejusdem pulveris. Ergo in principio veris, quando aron germinare incipit: & radix ejus sale naturæ est referta, quo vegetetur ejus species: tum colliges ejusdem radicis quantum voles: mundetur optimè à terra: sed cautione opus est: Nam si importuniùs atteratur manibus, vesicas excitat. Probè mundatam & leviter exiccatam pones in ollam parvam vitreatam, aut in vitrum, affundendo vinũ album, ut supernatet aliquot digitos: atque ita macerari sines in loco frigido per totam diem. Tum separa istud vinum, quod jam magnam ejus salis partem extraxit; & aliud affunde, donec prædictum vinum non amplius pungens aut mordicans evadat: quod lingva facilè

nobilior ejus pars ablutione possit separari. Hæc aloë sic rectè præparata erit basis nostrarum pilullarum: quam pones in vitrum, affundendo suo tempore succi florum violarum optimè depurati in balneo maris (ut docebimus in nostra pharmacopœa restituta) ℥ iiij. nisi necessitas urgeat, expecta donec tota inspissetur in consistentiam aloës: quod ad calorem Solis fieri potest. At si promptè perficere voles, exhalare facies aqueam humiditatem supra cineres, donec redeat in consistentiam mellis. Adde rursus succi primulæ veris optimè depurati ℥ iiij. aut si voles ut citius res peragatur, florum succos qui eodem tempore florent, simul & junctim affundere potes. Item succi florum pruni domestici & sylvestris ℥ vj. succi rosarum pallidarum, succi florũ cichorii ana ℥ viiij. succi florũ calẽdulæ ℥ iiij. Omnes hoc succos probè depuratos, aloë consistentiæ mellis affunde, vel simul plures, vel seorsim singulos, prout libuerit: Et subinde digere & coque ad lentum calorem, dum ad pristinam consistentiam redeat. Quod si in principio, aloës fuerint tantùm unciæ quatuor, jam ad decem adauctam ejus massam videbis, ab extractis succorum quos adjecisti. Huic massæ adde foliorum sennæ electorum, & in tenuissimum pulverem redactorum ℥ j. ß.

rhab.

rhab. pulverisati minutissimè ℥ j. myrrhæ ℥ ß. croci ʒ j. ß. macis ʒ j. hos pulveres paulatim admisce prædictæ massæ optimè miscendo, & malaxando, addendo aliquid syrupi rosati solutivi, si opus sit, ut omnia redigantur in debitam massam pilullarum. De qua formabis pilullas duas magnitudine pisi, quas sumes paulò ante cibum, vel prandii, vel cœnæ, prout libuerit.

Eadem basis aloës misceri poterit cum succo esulæ, extracto sennæ, hermodactylorum, aliorumq; purgantium prædicto modo præparatorum: & fiet specificum purgans pro arthritidis præcautione, dosis est pilullæ duæ, quæ sufficienter purgabunt.

Addam & descriptionem pilullarum mearum helleborinarum, antipodagricarum, quas voco. Nam & alias antepilepticas dictas parare soleo, & plures alias diversis morbis accommodatas. Præstans est hoc remedium ad ipsam etiam arthritidem, hæreditariam aut inveteratam: & in qua vulgata remedia nihil proficiunt.

Accipe radicum helleb. nigri transplantati in aliquem hortum, vel qui in aliquo loco calidiore creverit, non in montium jugis ℥ iiij. depurētur optimè ab omni immunditie, atque terrestreitate. Bulliant integræ in mensura vini rubri optimi, in quo adde caryo-

ryophyllorum,ſeminum citri ana ʒ ß. bulliant omnia ſimul in olla terrea vitreata per quartæ horæ ſpatium. Poſtea aufer vinum & radices ſiccato ad ignem lentum : ſiccatas craſſiuſculè contunde.Similiter ſeorſim pulveriſa craſſiuſculè hermodactylorũ ℥iij.pulpæ colochyntidis ʒ j. rad. angelicæ & gentianæ ana ℥j.pulv. ſaniculæ,centaurii minoris & hyperici ana ʒ ß.pulveris chamædryos, chamæpityos, florum primulæ veris & betonicæ ana ℨ vj. pulveris ſeminum cardui benedicti,acetoſæ & ſem. citri ana ʒ j. ſeminum aniſi caryophyllorum ana ʒ ß. croci, caſtorei electi ana ℨ iij. Omnes iſti pulveres ſecundùm artem probè inter ſe mixti ponantur in cucurbita vitrea ampla,affundendo ſeri lactis per deſtillationem facti quod ſatis ſit, ut prædicti pulveres benè humectẽtur, quod videbis, ſi probè miſceas in vaſe : tantum autem affundes, ut duos vel tres digitos ſupereminеat. Claudatur & obturetur vas probè, ne quid expirare valeat : & pone ad digerendum in balneo maris per dies ſex ad minus. Poſtea liquorem effundes, & materiam intra linteamina conjectam torculari exprimes, ut omnis liquor ſubſtantificus extillet:quem digere in balneo calido, in vaſe optimè clauſo, & materiam poſtea digere denuò.& purifica,atque omnem humi-

miditatem exhalare permitte, donec resideat consistentia crassitudine mellis: Ad cujus materiæ ℥ vj. adde sennæ ℥ ij. & fiat massa pilullarum: quarum dosis ℈ j. pro pauperibus. Sed pro te, tuæque conditionis hominibus, melius adhuc præparare oportet. Nam prædictus liquor, postquam ritè fuerit digestus, infundendus in cucurbitam vitream cum recipiente, optimè juncturis obsignatis, ne spiritus, qui subtilissimi sunt, exhalare possint: Pone ad ignem cinerũ mediocrem, aut ad ignem balnei vaporosi, si melius efficere velis, donec omnia destillent ad siccitatem usque. Liquorem extillatum serva in vase bene clauso: cum quo & saccaro rosato aut violato fit syrupus purgans præstantissimus. Sed ut fiant nostræ pilullæ helleborinæ, ita procedendum. Si prædicti liquoris fuerit libra una, addes rhab. pulverisati ℥ j. pulver. sennæ, agar. trochiscati & in pulverem redacti ana ʒ vj. pulveris hermodact. ℥ ß. masticis ʒ ij. aromat. ros. Gabr. diamoschi dulcis ana ʒiij. Omnibus his pulveribus probè mixtis affundes prædictum liqvorem, sensim imbibendo ad lentissimum calorem, donec prædicti pulveres omnem liquorem imbiberint. Adde sub finem essentiæ aloës præparatæ ut dictum, ℥ iij. & fiat massa pilullarum, addendo sub finem inter malaxandum

dum aliquid syrupi myrtillorum. Diu ad multum malaxentur, & pistillo tundantur.

In podagra confirmata, aut in qua jam nodi fiunt, atq; tophi datur ℈ j. ex quo duæ exiguæ pilullæ formantur, quas capiat singulis septimanis semel, superbibendo jusculū, in quo bullierit acetosa, borrago, buglossum, portulaca & his similes herbæ refrigerantes. Idq; continuandum à Novembri ad finem usq; Aprilis. Postea adventante tempore æstivo cessandum. Hoc remedium ad radicem usq; mali pertingit, & servit tam præcautioni quàm curationi. Valent & eædem pilullæ in aliis plurimis morbis chronicis & contumacibus.

*Roboratio viscerum.* Pro divertentibus & revellentibus, nihil est quod addam. Quantum verò pertinet ad roborantia tam universalia, quàm particularia, nos loco conditorum, opiatarum, tabellarum, quas formulas omnes præscribere possemus, ut respicerent cerebrū, hepar, ventriculum, aliasque partes quæ roborandæ sunt in hoc affectu. Item loco pulverum digestivorum, qui parantur ex aniso, coryandro præparato in succo cidoniorum, conserva rosarum siccarum, cinnamomo, saccaro rosato, & similibus, quæ plurimùm valent ad roborandum ventriculum. Horum, inquam, omnium vice svademus usum pul-

pulveris ſpecifici, cujus vis ſit efficax ad diſſolvendas tartareas impuritates, mucoſitateſque ſtomachi ſeu ventriculi & viſcerum nutrientis facultatibus, in quibus cauſa materialis, & quaſi minera arthritidis atq; calculi (qui morbi per coagulationem fiunt) conſiſtit ac generatur.

Cum enim horum morborum generatio, ut dictum, fiat per coagulationem tartari & mucoſitatum, conſequens utique eſt, ut cura procedat à reſolventibus ejuſmodi tophos tartareos. Ea autem fiunt ex remediis propriis atque ſpecificis: quorum alia vim habent reſolvendi tartarum hujus, alia alterius generis & naturæ. Nam ut diverſa ſunt tartarorum genera atque ſalium: ita & diſſolutionum atque cauſarum diſſolventium. Res exemplo fiet illuſtrior. Gummi Arabicum diſſolvitur in aqua: ratio eſt, quia eſt de natura aquea. Gummi tragaganthi, gummi ceraſorum, prunorum item ſunt aquoſa: ſed majore opus eſt copia aquæ ad diſſolutionem eorum. At maſtix, thus, lacca in aqua nunquam diſſolvuntur. Nam quia hæc gummi ſunt de natura ſulphuris, faciliùs diſſolvuntur in oleis ut ipſummet ſulphur. Quæ autem gummi partim ſulphurea, partim aquoſa, & de ſalis natura plurimum participant, ut ammoniacum, ſagape-

num,

num, galbanum: ea cum ſpiritibus ſalis, ut cum vitriolato, acetoſo ſpiritu, in ipſo aceto vini contento diſſolvuntur; aut ſimili aliquo alio ſpiritu acetoſo, partim mercuriali, partim ſulphureo. Hinc patet, in quo conſiſtat diſſolvendi vis. Patet etiam non omnia purgantia conferre ad diſſolutionem,& per conſequens evacuationem tartari, ut fruſtra ſint,qui febribus quartanis,aliiſque morbis pertinacibus, varia medicamentorum genera ſine ullo diſcrimine præſcribunt: cùm plurimis ex iis non ſit vis particularis & ſpecifica reſolvendi atque deturbandi tartareas materias & mucoſitates compactas. Quinimò talium uſu pertinaci,ex quartana ſimplici faciunt duplicem, aut triplicem. Ratio eſt, quia non diſſolvunt gummoſas viſcoſitates, cùm convenientia non adhibeant: nec naturam juvant, ſed lædunt potiùs,atque inſultus febriles ingeminant.Nam gummi quoddam eſt tartareum,quod viſceribus inhæret, & unoquoque quatriduo ſpiritus ſuos nitroſulphureos exaltans, quartanariorum ſymptomatum vera eſt & immediata cauſa. Quod gummi tartareum cùm gummi tartareo diſſolvitur, & ebibitur, deletur febris.Nam in ſimilibus potiùs quærenda eſt ſanitas, ſeu morbi curatio, quàm in diſſimilibus aut contrariis & repugnantibus.

bus. Hæc eſt Chymicorum opinio, quæ verbo ſolùm & non re à dogmaticorum opinione differt: cùm ad unum & eundem met finem vergant ambæ ſententiæ. Nam ſi cauſæ habeatur ratio, in ſimili remedium quæres, ut jam diximus de febre quartana. Si effectum ex cauſa reſpicias, cõtrariis eam propulſabis. Si calculus à tartaro, ſeu ſale coagulato factus, curabitur, ſale quidem, ſed reſolvente. Arthritis quinetiam à ſalibus tartareis acribus ac corroſivis genita, ſalibus curabitur lenitivis & conſolidativis. Simili ratione in morbis ſulphureis à ſulphuribus rerum petenda ſunt remedia. Sed ſulphuri inflammatorio febrem excitanti opponitur ſulphur acidum, vitriolatum: quod ſummè refrigerat: ſulphureoſque illos commotos ſpiritus coagulat & compeſcit. Atque hoc modo & ſimilia ſimilibus curantur, & contraria contrariis debellantur. Ac merentur ſanè hæ contemplationes, quibus omnes veri medici diligenter incumbant. De quibus pluribus agemus in opere noſtro, De recondita rerum natura, artiſque myſteriis. Iſta tantùm παχυλῶς καὶ παρέργως, hoc loco aſperſa ſint. At in univerſa iſta cõtemplatione cogit quidem parum digredi ratio à dogmaticorum principiis & fundamentis, donec vel meliora oſtendant, vel hæc noſtra

atque deveniendum ad τὸ διότι: ad causas inquam & rationes. Id quod inter meæ sortis ac conditionis philosophos, me non ultimū præstitisse profiteor. Nam quicunque cognoverit dissolutiones rerum, novit & earundem compositiones, & anatomiam vitalem seu internam, & non tantùm externam seu superficiariam.

Sed reassumo pulverem de quo dicere aggressus, & jam ferè nimis digressus sum. Is enim insignem habet vim dissolvendi propter salem alkali mordacem, atque pungentem, quem continet aron, quæ basis est & præcipuum ingrediens ejusdem pulveris. Ergo in principio veris, quando aron germinare incipit: & radix ejus sale naturæ est referta, quo vegetetur ejus species: tum colliges ejusdem radicis quantum voles: mundetur optimè à terra: sed cautione opus est: Nam si importuniùs atteratur manibus, vesicas excitat. Probè mundatam & leviter exiccatam pones in ollam parvam vitreatam, aut in vitrum, affundendo vinū album, ut supernatet aliquot digitos: atque ita macerari sines in loco frigido per totam diem. Tum separa istud vinum, quod jam magnam ejus salis partem extraxit; & aliud affunde, donec prædictum vinum non amplius pungens aut mordicans evadat: quod lingva facilè

dictum fuiſſe, & quod non mereatur intelligi ab omnibus veris medicis Aſclepiadæis. Si qui ſint alii, quibus iſta non ſapiant, non moror nec multùm curo: mihi modò ſat ſit, in tuam gratiam hæc conſcripta ſi tibi arriſerint, quem optimum habeo & veneror patronum. Nam hic mihi ſcopus eſt, ut te inſtruam ſpecialiùs in omnibus, quæ ad conſolationem & placitum aliquid conferre poſſint, & ut quaſi videas ad oculum, & cauſas morbi, qui te nunc habet, & ejuſdem remedia.

Reſtat nunc itaque ut aliquid etiam dicamus de therapevtica, vel curativa, quę malum præſens reſpicit, ſeu ſymptoma dolorificum, quod miſerè ſæpe miſeros torquet & lancinat. Dolor ſanè vehemens arthriticus eſt, qui etiã annumeratur inter atrociſſima ſymptomata quę ægros affligere ſolent. Nullum enim ſymptoma aliud æquè ægrũ moleſtat ſicut vehemens dolor, ut ipſe teſtatur Galenus. Dolor quippe etiam animi deliquia, inflammationes, abſceſſus, febreſque inferre poteſt, & ſolet, ut docent Hipp. & Gal. plurib. in locis. Præterea vires diſſolvit, prohibetque membra à ſuis functionibus ſeu operationibus. ex 2. prognoſt. com. 7. Eadem graviſſima ſymptomata, quæ dolores conſequi ſolent, coëgerunt Galenum, ut

mantibus, & id genus aliis. Humores ejusmodi volunt secunda illa corporis elementa, sangvinem, pituitam, & utranq; bilem, sese in diversas figuras instar alterius Prothei convertentia. Ubi adhuc hærent, qvum non explicent, quid sit illud quod tam acutum sensum habet sentiendi. Etsi enim veras causas doloris afferrent, vereq; affirmare possent corpus esse quod patitur. Quum tamen cadaver formam adhuc & substantiam corporis retinens, omnem tamen sensum deposuerit, ut dolori ampliùs non sit obnoxium: seqvitur aliquid esse in corpore aliud, quàm crassam illã corporis materiam, quod sentit, & corpori omnem sentiendi facultatem impertitur: Quid illud autem sit, norunt hermetici: Qui (ut dogmatici) agnoscunt quidem materiam & formam corporis: sed virtutes omnes vitales, non crassæ illi materiæ adscribunt, sed spirituali substãtiæ. Triplicem igitur hominis agnoscunt esse substantiam, unam terrestrem & elementarem, alteram astralem & cœlestem, tertiam verò divinam, de qua hac ultima hîc nobis sermo non est futurus. Terrestris aut elemẽtaris corpori materiam substernit. Astralis verò substantiam spiritualem, quæ balsamus vitæ est, in quo vita, ratione & vi spirituum astralium facultates omnes toti corpori ubi-

 que

que suppeditat. Cum igitur in vita positæ sint ejusmodi vires omnes: vita verò constet spirituali balsamo:sequitur in spiritibus balsami omnes facultates corporis esse reconditas. Ergo & illa vis sentiendi in illis posita est. Quid est igitur quod sentit & dolet? Spiritus scilicet ille astralis per totum corpus diffusus, qui omnes etiam alias corporis functiones per sua instrumenta obit. Ergo si spiritus patitur, à re corporea pati non potest, præterquam à sibi simili,hoc est à corpore spirituali, vel à spiritu corporali. Dum enim concurrunt spiritus corporei, inter se contrarii & repugnantes,turbas excitant,& bellum movent: siquidem spiritus spiritui bellum infert, ut inimicus inimico: quales videmus esse venenosos spiritus, qui spiritibus nostris salutaribus vim inferētes, tandem vitam illis subtrahunt si fortiores fuerint.Sic calor alterans ut vocāt dogmatici, si intentior est igneis spiritibus suis, per cutem subit spiritus nostros, ubique per totam cutem diffusos(ut nulla sit cutis atomus quæ vita aut spiritu suo vitali careat,) ac nostros violentia sua offendit & lædit: Qui alioqui ignei spiritus,qvum benigniores sunt & moderatiores, imminutum frigore,vel alia re nostrum calorem fovent, nedum destruunt, ut non secus afficiantur nostri spiri-

*Quid sit quod dolet.*

ri-

ritus ab adurente calore, ac suffocatur vita nostra ciborum ingluvie, & nimia eorum copia. Quanquam præter quantitatem, alii cibi sua qualitate lædunt & molesti sunt. Quod præstat vehementior calor, idem efficit ferrum, sed alio instrumento & alia proprietate:siquidem dum in corpus intruditur, harmoniam & compagem corporis quam spiritus corporis sustinent,dissuit: idcirco ipsos spiritus afficit ipsos vellicando & pungendo, illorum scilicet continuum solvendo & dissecando, qui soli vim sentiendi obtinent, eamq; ex consortio corporis cum omnibus membris communicant. At quòd varius sit dolor & multiplex, benè quidem dogmatici, qvum diversas species illius constituerant,ut alium pungentem, alium gravem, alium stimulantem, alium distendentem, alium ulcerosum, & id genus alios stabilierunt.Quod nascitur partim ex diversorum spirituum diversis proprietatibus, partim ipsorum membrorum differentiis. Sed hactenus de ea parte corporis, quæ verè dolorem sentit dictum sit,quibus pauca pręter ea quæ superiùs ubique conspersa sunt, de causis doloris adjiciemus:quarum cognitio veram sedationis doloris methodum suppeditabit.Causas diximus à dogmaticis referri ad qualitates elementorũ quæ alterationem

inducunt, & ad continui ſolutionem: Quod ad alterationem attinet, Galenus ex aſperi & levi tactu dolorem inferri ſcripſit qui ſymptoma eſt tactus, idque contendit contra Archigenem,qui alia doloris principia & cauſas ex Hippocrate ſtatuebat,acerbum videlicet, acidum, auſterum, mordax, dulce, ſalſum, amarum, & alia ſaporum nomina, quæ ſuis proprietatibus ſenſum tactus afficiunt, prout natura ſpiritus eorum, vel violentior vel moderatior exiſtit: quod videre eſt in ſaporibus lingvæ admotis: quamvis enim tactum omnibus ſenſibus communem eſſe apud philoſophos, tum Peripateticos tum Platonicos in confeſſo ſit: neque ullam actionem nec paſſionem ſine ipſo tactu fieri poſſe,affirment: ſapores tamen acres,acidos,auſteros,ſalſos lingvę dolores inferre etiam differentes ipſi non negabunt:qvum id quotidiana experientia comprobet.Etenim ex re acri: ut à fumo oculi dolent, & lacrymas emittere coguntur,atq; inde opththalmiæ plerunque generantur: ex ſalſa à cerebro in tracheam arteriam aut fauces deſtillatione, doloribus etiam acerrimis illæ partes conflictantur. Galenus igitur immemor, quòd vel ipſe Hippocrates,febriũ differentias,quæ tactu ipſo dignoſcuntur,mordaces, appellaſſet, acutas & ſalſuginoſas, injuſtè Ar-

Archigenem accusavit, quod dolorum differentias saporum nominibus manifestas reddiderit, eisq; nomina ex saporum differentiis desumpta accommodarit. Discrepantes mehercle adeò sunt inter dogmaticos de dolorum causis sententiæ, ut illud quod in dolore sentitur, hactenus incognitum illis fuisse scripserit Bentius. Conciliator enim ut & ipse Bentius disputabant num dolor sit passio tactus sensúsve communis; an imaginativæ imperfectæ, sensui exteriori conjunctæ. Doctus Scaliger asseverat dolorem non sentiri neque voluptatem, sed speciem quæ dolorem parit. Alii autumant dolorem non esse sensum, sed affectum seu passionem in appetitu ortam ex sensu. Cum enim sentimus, seqvitur in appetitu affectus & passio. Animal enim in sentiendo laborat, ut scribitur septimo Ethic. Sentire autem pati est, ut secundo De anima opinatur Averrhoës. In hoc tam inconstanti & fluctuoso Oceano ad portum tranqvillum, & tutum hermeticum me confero, atq; cum illis constanter assevero, dolores in universum omnes à spiritibus salium resolutis proficisci, in quibus saporum dona & proprietates adesse alibi diximus. Faciliùs enim intelligitur dolores quosdam colicos ex acetosissimis, acerbissimis & acutissimis saliū tincturis per omnia

omnia penetrantibus proficisci, quàm si ex frigiditate (quæ tanta in vivente vix esse potest, ut tam immanes dolores ciere possit) vel ex siccitate eos oriri dicamus. Notum est acida valde dentes & gingivas dolentes reddere: salsa verò & acria oculos, lingvam, palatum ut jam diximus. Similes igitur dolores in aliis quoque partibus fieri, ex similibus causis non est dubitandum: quarum acrimonia & erosione vera causa dolorum ex dogmaticorum sententia excitatur: cum Galenus scripserit multis in locis, nihil inferre dolorem posse, nisi idem solvere continuum valeat. At verò sapores qui non sunt extremi, dolores non inferunt, etsi tactu sentiantur, quales sunt dulces nutritivi, mitesque potiùs quàm corrosivi, aut ulcerantes. Cæterùm loca quæ intensissimis doloribus afficiuntur, confluentiam habent cum salibus potissimis, ut orificium ventriculi, intestina, vesica, ipsiq; articuli, de quibus nunc agimus. Continent enim mucilagines, in quibus spiritus salium acutissimi & extremi sæpè latent: tandemque post longam digestionem separantur, atque effervescentias suas pariunt, sicque dolores isti arthritici prodeunt in juncturis: similesque dolores in aliis partibus, ut hemicraniæ in capite, orexes in ventriculo, dysenteriæ in intestinis, ardo-

ardores urinæ in vesica inde efflorescunt. At viscera quia non habent magnā salium tincturam, magisque de mercuriali & natura sulphurea participāt, tantis doloribus haud afficiuntur. Qui verò dolores fiunt ab injuriis externis, ut à contusione, sectione, ustione, calfactione vel refrigeratione, toto genere a prædictis differunt, quòd non fiant à tincturis, seu qualitatibus vitalibus in corpore existentibus, sed à qualitatibus externis & mortuis producātur. Cognita verè dolorum causa cum partibus dolentibus simul intellectis, ut suprà demonstratum est, veræ anodynæ, doloremque sedantes investigari poterunt. Atque dolores ex salium acrium vel coagulatione, vel resolutione aut effervescentia subortos, cum salibus, tanquā specificis anodynis medicandos esse edișcēt qui hoc nesciunt, vel scire nolunt. Spiritus enim salis vitriolati exaltatus, acerrimus, acutissimus non solùm cum liquore aliquo anodyno, suæ acri qualitati contrario contemperabitur: imò etiam cum sale vel oleo tartari acerrimo & acutissimo, ita ut ex illorum mixtione, à quadam antipathia, alter alterius acrimoniam ita absumat contemperetq;, ut ex his, vel per se exhibitis, vel cum pauco saccaro commixtis fiat medicina vel syrupus svavis gustu, & valde gratus atque potabi-

bilis ad febres omnes intermittentes, icteritias, cachexias, hydropes, ut ad roboranda, & ab obstructionibus liberanda nutritioni famulantia viscera, utilissimus. Atque hæc sunt à fundamentis medicinæ hermeticæ, veræq; medicinæ Hippocraticæ deprompta: quæ qui luscus aut lusciosus videre & faber fabrilia tractans mentis oculis contemplari negligit, meretur sanè ut in cæcitate sua, & caliginosa inscitia relinqvatur.

Porrò omnia remedia, quæ dolorem sedare possunt, secundùm doctrinam dogmaticorum (quos meritò semper præfero & honore proseqvor) sunt in triplici differentia. Alia enim sunt paregorica: alia anodyna: alia narcotica.

Paregorica sunt ex eorum sententia, quæ δυσκρασίαν mutant, quæq; qualitate contraria causam morbificam oppugnant: ut quando ad intemperiem calidam applicant frigida, aut refrigerandi vim habentia ad frigidam calida.

Anodyna dicuntur ea quæ verè dolores sedant; quibus resolvendi tribuit facultatem Galenus: quæ tenui sunt substantia, calida primo gradu, & ita contemperata, ut familiaritate elementorũ, naturæ partium consentiant: cujusmodi sunt butyrũ, lac, & pingvedines omnium animalium tam terre-

stri-

ſtrium quàm aëreorum & aquatilium. Inter animalia terreſtria, axungiæ taxi, vulpis, urſæ, felis, cuniculi meliores habentur. Sed his omnibus præfertur axungia humana. Inter aves pingvedo gallinæ & anatis primas tenent. Ex piſcibus præferunt axungiam angvillæ, cujus uſus proinde vulgatiſſimus eſt. Inter olea commendantur compoſita ſeqventia, oleum catellorum, lumbricorum: Inter alia olea, oleum viſci pomorum ſimplex & compoſitum, quod ante plures annos deſcripſimus in libro noſtro De præparatione ſpagyrica, & in ſclopetario. Item olea chamæmeli, liliorum, florum, ſambuci, florum verbaſci, amygdalarum dulcium, ſeminum papaveris albi; hæc præ aliis celebrantur. Inter ſemina ſunt ſemen lini fœnugræci, malvæ, biſmalvæ, cotoneorum pſillii, & eorum mucilagines, quæ in officinis elici ſolent. Inter farinas ſunt farinæ prædictorum ſeminum, farinæ hordei & avenæ.

Supereſt ut addamus aliquid de tertio ordine, qui narcoticorum eſt. Narcotica vocant dogmatici, quod ſtupefaciant, ut opium, cicuta, mandragora: qualia exiſtimant eſſe ſummè frigida: & impropriè dicuntur à Græcis, ὑπνωτικὰ, ſeu ſomnum inducentia, qvum pro ſomno veternum inducant at- *Narcotica.*

que

num, galbanum: ea cum ſpiritibus ſalis, ut cum vitriolato, acetoſo ſpiritu, in ipſo aceto vini contento diſſolvuntur; aut ſimili aliquo alio ſpiritu acetoſo, partim mercuriali, partim ſulphureo. Hinc patet, in quo conſiſtat diſſolvendi vis. Patet etiam non omnia purgantia conferre ad diſſolutionem,& per conſequens evacuationem tartari, ut fruſtra ſint,qui febribus quartanis,aliiſque morbis pertinacibus, varia medicamentorum genera ſine ullo diſcrimine præſcribunt: cùm plurimis ex iis non ſit vis particularis & ſpecifica reſolvendi atque deturbandi tartareas materias & mucoſitates compactas. Quinimò talium uſu pertinaci,ex quartana ſimplici faciunt duplicem, aut triplicem. Ratio eſt, quia non diſſolvunt gummoſas viſcoſitates, cùm convenientia non adhibeant: nec naturam juvant, ſed lædunt potiùs,atque inſultus febriles ingeminant.Nam gummi quoddam eſt tartareum,quod viſceribus inhæret, & unoquoque quatriduo ſpiritus ſuos nitroſulphureos exaltans, quartanariorum ſymptomatum vera eſt & immediata cauſa. Quod gummi tartareum cùm gummi tartareo diſſolvitur, & ebibitur, deletur febris.Nam in ſimilibus potiùs quærenda eſt ſanitas, ſeu morbi curatio, quàm in diſſimilibus aut contrariis & repugnantibus.

bus. Hæc eſt Chymicorum opinio, quæ verbo ſolùm & non re à dogmaticorum opinione differt: cùm ad unum & eundemmet finem vergant ambæ ſententiæ. Nam ſi cauſæ habeatur ratio, in ſimili remedium quæres, ut jam diximus de febre quartana. Si effectum ex cauſa reſpicias, cõtrariis eam propulſabis. Si calculus à tartaro, ſeu ſale coagulato factus, curabitur, ſale quidem, ſed reſolvente. Arthritis quinetiam à ſalibus tartareis acribus ac corroſivis genita, ſalibus curabitur lenitivis & conſolidativis. Simili ratione in morbis ſulphureis à ſulphuribus rerum petenda ſunt remedia. Sed ſulphuri inflammatorio febrem excitanti opponitur ſulphur acidum, vitriolatum: quod ſummè refrigerat: ſulphureoſque illos commotos ſpiritus coagulat & compeſcit. Atque hoc modo & ſimilia ſimilibus curantur, & contraria contrariis debellantur. Ac merentur ſanè hæ contemplationes, quibus omnes veri medici diligenter incumbant. De quibus pluribus agemus in opere noſtro, De recondita rerum natura, artiſque myſteriis. Iſta tantùm παχυλῶς καὶ παρέργως, hoc loco aſperſa ſint. At in univerſa iſta cõtemplatione cogit quidem parum digredi ratio à dogmaticorum principiis & fundamentis, donec vel meliora oſtendant, vel hæc noſtra

atque deveniendum ad τὸ διότι: ad causas inquam & rationes. Id quod inter meæ sortis ac conditionis philosophos, me non ultimũ præstitisse profiteor. Nam quicunque cognoverit dissolutiones rerum, novit & earundem compositiones, & anatomiam vitalem seu internam,& non tantùm externam seu superficiariam.

Sed reassumo pulverem de quo dicere aggressus, & jam ferè nimis digressus sum. Is enim insignem habet vim dissolvendi propter salem alkali mordacem,atque pungentem, quem continet aron, quæ basis est & præcipuum ingrediens ejusdem pulveris. Ergo in principio veris, quando aron germinare incipit: & radix ejus sale naturæ est referta, quo vegetetur ejus species:tum colliges ejusdem radicis quantum voles: mundetur optimè à terra: sed cautione opus est: Nam si importuniùs atteratur manibus,vesicas excitat. Probè mundatam & leviter exiccatam pones in ollam parvam vitreatam, aut in vitrum,affundendo vinũ album, ut supernatet aliquot digitos: atque ita macerari sines in loco frigido per totam diem. Tum separa istud vinum,quod jam magnam ejus salis partem extraxit; & aliud affunde, donec prædictum vinum non amplius pungens aut mordicans evadat: quod lingva fa-

dictum fuisse, & quod non mereatur intelligi ab omnibus veris medicis Asclepiadæis. Si qui sint alii, quibus ista non sapiant, non moror nec multum curo: mihi modò sat sit, in tuam gratiam hæc conscripta si tibi arriserint, quem optimum habeo & veneror patronum. Nam hic mihi scopus est, ut te instruam specialiùs in omnibus, quæ ad consolationem & placitum aliquid conferre possint, & ut quasi videas ad oculum, & causas morbi, qui te nunc habet, & ejusdem remedia.

Restat nunc itaque ut aliquid etiam dicamus de therapevtica, vel curativa, quę malum præsens respicit, seu symptoma dolorificum, quod miserè sæpe miseros torquet & lancinat. Dolor sanè vehemens arthriticus est, qui etiã annumeratur inter atrocissima symptomata quę ægros affligere solent. Nullum enim symptoma aliud æquè ægrũ molestat sicut vehemens dolor, ut ipse testatur Galenus. Dolor quippe etiam animi deliquia, inflammationes, abscessus, febresquę inferre potest, & solet, ut docent Hipp. & Gal. plurib. in locis. Præterea vires dissolvit, prohibetque membra à suis functionibus seu operationibus. ex 2. prognost. com. 7. Eadem gravissima symptomata, quæ dolores consequi solent, coëgerunt Galenum, ut

mantibus, & id genus aliis. Humores ejusmodi volunt secunda illa corporis elementa, sangvinem, pituitam, & utranq; bilem, sese in diversas figuras instar alterius Prothei convertentia. Ubi adhuc hærent, qvum non explicent, quid sit illud quod tam acutum sensum habet sentiendi. Etsi enim veras causas doloris afferrent, vereq; affirmare possent corpus esse quod patitur. Quum tamen cadaver formam adhuc & substantiam corporis retinens, omnem tamen sensum deposuerit, ut dolori ampliùs non sit obnoxium: seqvitur aliquid esse in corpore aliud, quàm crassam illã corporis materiam, quod sentit, & corpori omnem sentiendi facultatem impertitur: Quid illud autem sit, norunt hermetici: Qui (ut dogmatici) agnoscunt quidem materiam & formam corporis: sed virtutes omnes vitales, non crassæ illi materiæ adscribunt, sed spirituali substãtiæ. Triplicem igitur hominis agnoscunt esse substantiam, unam terrestrem & elementarem, alteram astralem & cœlestem, tertiam verò divinam, de qua hac ultima hîc nobis sermo non est futurus. Terrestris aut elemẽtaris corpori materiam substernit. Astralis verò substantiam spiritualem, quæ balsamus vitæ est, in quo vita, ratione & vi spirituum astralium facultates omnes toti corpori ubi-

que ſuppeditat. Cum igitur in vita poſitæ ſint ejuſmodi vires omnes: vita verò conſtet ſpirituali balſamo:ſequitur in ſpiritibus balſami omnes facultates corporis eſſe reconditas. Ergo & illa vis ſentiendi in illis poſita eſt. Quid eſt igitur quod ſentit & dolet? Spiritus ſcilicet ille aſtralis per totum corpus diffuſus, qui omnes etiam alias corporis functiones per ſua inſtrumenta obit. Ergo ſi ſpiritus patitur, à re corporea pati non poteſt, præterquam à ſibi ſimili, hoc eſt à corpore ſpirituali, vel à ſpiritu corporali. Dum enim concurrunt ſpiritus corporei, inter ſe contrarii & repugnantes, turbas excitant, & bellum movent: ſiquidem ſpiritus ſpiritui bellum infert, ut inimicus inimico: quales videmus eſſe venenoſos ſpiritus, qui ſpiritibus noſtris ſalutaribus vim inferẽtes, tandem vitam illis ſubtrahunt ſi fortiores fuerint. Sic calor alterans ut vocāt dogmatici, ſi intentior eſt igneis ſpiritibus ſuis, per cutem ſubit ſpiritus noſtros, ubique per totam cutem diffuſos (ut nulla ſit cutis atomus quæ vita aut ſpiritu ſuo vitali careat,) ac noſtros violentia ſua offendit & lædit: Qui alioqui ignei ſpiritus, qvum benigniores ſunt & moderatiores, imminutum frigore, vel alia re noſtrum calorem fovent, nedum deſtruunt, ut non ſecus afficiantur noſtri ſpiri-

*Quid ſit quod dolet.*

ri-

ritus ab adurente calore, ac suffocatur vita nostra ciborum ingluvie, & nimia eorum copia. Quanquam præter quantitatem, alii cibi sua qualitate lædunt & molesti sunt. Quod præstat vehementior calor, idem efficit ferrum, sed alio instrumento & alia proprietate: siquidem dum in corpus intruditur, harmoniam & compagem corporis quam spiritus corporis sustinent, dissuit: idcirco ipsos spiritus afficit ipsos vellicando & pungendo, illorum scilicet continuum solvendo & dissecando, qui soli vim sentiendi obtinent, eamq; ex consortio corporis cum omnibus membris communicant. At quòd varius sit dolor & multiplex, benè quidem dogmatici, qvum diversas species illius constituerant, ut alium pungentem, alium gravem, alium stimulantem, alium distendentem, alium ulcerosum, & id genus alios stabilierunt. Quod nascitur partim ex diversorum spirituum diversis proprietatibus, partim ipsorum membrorum differentiis. Sed hactenus de ea parte corporis, quæ verè dolorem sentit dictum sit, quibus pauca pręter ea quæ superiùs ubique conspersa sunt, de causis doloris adjiciemus: quarum cognitio veram sedationis doloris methodum suppeditabit. Causas diximus à dogmaticis referri ad qualitates elementorũ quæ alterationem in-

inducunt, & ad continui solutionem: Quod ad alterationem attinet, Galenus ex asperi & levi tactu dolorem inferri scripsit qui symptoma est tactus, idque contendit contra Archigenem, qui alia doloris principia & causas ex Hippocrate statuebat, acerbum videlicet, acidum, austerum, mordax, dulce, salsum, amarum, & alia saporum nomina, quæ suis proprietatibus sensum tactus afficiunt, prout natura spiritus eorum, vel violentior vel moderatior existit: quod videre est in saporibus lingvæ admotis: quamvis enim tactum omnibus sensibus communem esse apud philosophos, tum Peripateticos tum Platonicos in confesso sit: neque ullam actionem nec passionem sine ipso tactu fieri posse, affirment: sapores tamen acres, acidos, austeros, salsos lingvę dolores inferre etiam differentes ipsi non negabunt: qvum id quotidiana experientia comprobet. Etenim ex re acri: ut à fumo oculi dolent, & lacrymas emittere coguntur, atq; inde opththalmiæ plerunque generantur: ex salsa à cerebro in tracheam arteriam aut fauces destillatione, doloribus etiam acerrimis illæ partes conflictantur. Galenus igitur immemor, quòd vel ipse Hippocrates, febriū differentias, quæ tactu ipso dignoscuntur, mordaces, appellasset, acutas & salsuginosas, injustè Ar-

Archigenem accusavit, quod dolorum differentias saporum nominibus manifestas reddiderit, eisq; nomina ex saporum differentiis desumpta accommodarit. Discrepantes mehercle adeò sunt inter dogmaticos de dolorum causis sententiæ, ut illud quod in dolore sentitur, hactenus incognitum illis fuisse scripserit Bentius. Conciliator enim ut & ipse Bentius disputabant num dolor sit passio tactus sensúsve communis; an imaginativæ imperfectæ, sensui exteriori conjunctæ. Doctus Scaliger asseverat dolorem non sentiri neque voluptatem, sed speciem quæ dolorem parit. Alii autumant dolorem non esse sensum, sed affectum seu passionem in appetitu ortam ex sensu. Cum enim sentimus, seqvitur in appetitu affectus & passio. Animal enim in sentiendo laborat, ut scribitur septimo Ethic. Sentire autem pati est, ut secundo De anima opinatur Averrhoës. In hoc tam inconstanti & fluctuoso Oceano ad portum tranqvillum, & tutum hermeticum me confero, atq; cum illis constanter assevero, dolores in universum omnes à spiritibus salium resolutis proficisci, in quibus saporum dona & proprietates adesse alibi diximus. Faciliùs enim intelligitur dolores quosdam colicos ex acetosissimis, acerbissimis & acutissimis saliū tincturis per

omnia

omnia penetrantibus proficisci, quàm si ex frigiditate (quæ tanta in vivente vix esse potest, ut tam immanes dolores ciere possit) vel ex siccitate eos oriri dicamus. Notum est acida valde dentes & gingivas dolentes reddere: salsa verò & acria oculos, lingvam, palatum ut jam diximus. Similes igitur dolores in aliis quoque partibus fieri, ex similibus causis non est dubitandum: quarum acrimonia & erosione vera causa dolorum ex dogmaticorum sententia excitatur: cum Galenus scripserit multis in locis, nihil inferre dolorem posse, nisi idem solvere continuum valeat. At verò sapores qui non sunt extremi, dolores non inferunt, etsi tactu sentiantur, quales sunt dulces nutritivi, mitesque potiùs quàm corrosivi, aut ulcerantes. Cæterùm loca quæ intensissimis doloribus afficiuntur, confluentiam habent cum salibus potissimis, ut orificium ventriculi, intestina, vesica, ipsiq; articuli, de quibus nunc agimus. Continent enim mucilagines, in quibus spiritus salium acutissimi & extremi sæpè latent: tandemque post longam digestionem separantur, atque effervescentias suas pariunt, sicque dolores isti arthritici prodeunt in juncturis: similesque dolores in aliis partibus, ut hemicraniæ in capite, orexes in ventriculo, dysenteriæ in intestinis,

ardo-

ardores urinæ in vesica inde efflorescunt. At viscera quia non habent magnā salium tincturam, magisque de mercuriali & natura sulphurea participāt, tantis doloribus haud afficiuntur. Qui verò dolores fiunt ab injuriis externis, ut à contusione, sectione, ustione, calfactione vel refrigeratione, toto genere a prædictis differunt, quòd non fiant à tincturis, seu qualitatibus vitalibus in corpore existentibus, sed à qualitatibus externis & mortuis producātur. Cognita verè dolorum causa cum partibus dolentibus simul intellectis, ut suprà demonstratum est, veræ anodynæ, doloremque sedantes investigari poterunt. Atque dolores ex salium acrium vel coagulatione, vel resolutione aut effervescentia subortos, cum salibus, tanquā specificis anodynis medicandos esse ediscēt qui hoc nesciunt, vel scire nolunt. Spiritus enim salis vitriolati exaltatus, acerrimus, acutissimus non solùm cum liquore aliquo anodyno, suæ acri qualitati contrario contemperabitur: imò etiam cum sale vel oleo tartari acerrimo & acutissimo, ita ut ex illorum mixtione, à quadam antipathia, alter alterius acrimoniam ita absumat contemperetq;, ut ex his, vel per se exhibitis, vel cum pauco saccaro commixtis fiat medicina vel syrupus svavis gustu, & valde gratus atque potabi-

ſtrium quàm aërcorum & aquatilium. Inter animalia terreſtria, axungiæ taxi, vulpis, urſæ, felis, cuniculi meliores habentur. Sed his omnibus præfertur axungia humana. Inter aves pingvedo gallinæ & anatis primas tenent. Ex piſcibus præferunt axungiam angvillæ, cujus uſus proinde vulgatiſſimus eſt. Inter olea commendantur compoſita ſeqventia, oleum catellorum, lumbricorum: Inter alia olea, oleum viſci pomorum ſimplex & compoſitum, quod ante plures annos deſcripſimus in libro noſtro De præparatione ſpagyrica, & in ſclopetario. Item olea chamæmeli, liliorum, florum, ſambuci, florum verbaſci, amygdalarum dulcium, ſeminum papaveris albi; hæc præ aliis celebrantur. Inter ſemina ſunt ſemen lini fœnugræci, malvæ, biſmalvæ, cotoneorum pſillii, & eorum mucilagines, quæ in officinis elici ſolent. Inter farinas ſunt farinæ prædictorum ſeminum, farinæ hordei & avenæ.

Supereſt ut addamus aliquid de tertio ordine, qui narcoticorum eſt. Narcotica vocant dogmatici, quod ſtupefaciant, ut opium, cicuta, mandragora: qualia exiſtimânt eſſe ſummè frigida: & impropriè dicuntur à Græcis, ὑπνώτικα, ſeu ſomnum inducentia, qvum pro ſomno veternum inducant atque *Narcotica.*

que ſtuporem, ut & ſummè frigida: verùm non quatenus talia, ut ſentiunt vulgò. Nam ita & ab aqua hoc fiat, nive aut glacie, quæ ſummè ſunt frigida: quòd earum rerum vapor aut halitus, ſeu fœtidus odor ad cerebrum pertingens, ejus actiones offuſcet, obruat, & in veternum præcipitet. Adde quòd ea ipſa calida potiùs ſint dicenda, quàm ſummè frigida, quòd, præter evaporandi vim quam habent, ſint oleaginoſa atque ſulphurea, ut patebit ea rectiùs intuenti: qui reperiet ex ſimilibus, papaveris, hyoſcyami oleum elici flagrans, flammamque concipiens. Sed de his ex veris fundamentis diſputabimus alibi.

Ex prædictis omnibus tam paregoricis, quàm anodynis & narcoticis, parantur variæ formulæ remediorum, ad ſedandos dolores accommodatorum, ut ſunt olea, ungventa, linimenta, cataplaſmata, embrocationes, fomenta, & ſimilia, quæ partibus dolentibus applicata dolores ſedant, ut ajunt: aut quòd qualitate prædita ſint contraria cauſæ morbi: quod paregoricorum proprium eſt: aut quòd offuſcent, & quaſi auferant ſenſus. Ejuſmodi ſunt narcotica: aut propter magnã ſimilitudinem atq; familiaritatem cum partibus, quæ calorem contemperant: quod anodynorum eſt. Omnia iſta remedia dolo-

rem

rem ſedantia, deprompta ex familia vegetabilium, & animalium, pertinent ad therapeuticam, & adminiſtrantur tum quando malum eſt præſens, doloriſque urget neceſſitas. Et quanquam ex Galeni præſcripto jam dictum ſit, in magnis doloribus & cruciatibus, ſtatim ad compeſcendos eos animum eſſe adhibendum, relictis etiam aut poſtpoſitis tantiſper aliis intentionibus, donec doloris carnificina ceſſet. Nihilominus tamen ſunt inter dogmaticos nec infimi quidam, qui tamen volunt ſemper generalia præire particularibus atque topicis. Quapropter etiam tum quando dolor premit ægrum, purgant aliquo leniente. Præterea freqventes injiciunt clyſteres, ac in ſummis & intolerabilibus cruciatibus, tandem etiam recurrunt ad venæ ſectionem: quam tantopere tot locis Galenus celebrat ad ſedationem doloris. Ergo ſi dolor fuerit in pedibus, aut genibus, ſangvinem mittunt ex baſilica, aut mediana brachii dextri, aut ſiniſtri: in qua & lienarem ſecant. Si in brachiis aut manibus dolor infeſtet, venam ſaphenam aperiendam præcipiunt: & conferre affirmant multum ejuſmodi ſangvinis miſſiones in tempore factas in omnibus doloribus, maximè verò in temperamentis bilioſis & melancholicis, quibus etiam

ſpeciatim hæmorrhoidas provocant cum ſangviſugis.

Probo autem omnes intentiones generales, atque ſcopos, quos ſuſcipere poſſunt docti & experti medici: quorum ſine dubio plurimos præſtantiſſimos ac eruditiſsimos, in ſumma illa totius orbis Republica videas, cui nihil minus deeſſe ſcio, quàm viros prudentes excellentiq; doctrina atq; experientia præditos medicos, à quibus credo te jam ſæpè levamina accepiſſe. Interim non video, quid gratius atque utilius ægro adferri poſſit, quàm certum & tutum levamen, tum quãdo maximè excruciat, & in eũ carnificinam exercet dolor. Hîc clamat, hîc opẽ poſcit æger. Quid fit? Accurrũt medici pleriq;, & cataplaſmata applicant confecta ex mica panis cum lacte & croco, addito pulvere roſarum & chamæmeli, fiuntq; variæ formæ ex ſupradictis rebus ad ſedationem doloris. Sed quali id fiat cum ægri levatione, norunt miſeri arthritici, & lugent. Nam iſta omnia vanè, & ſine ullo profectu. Ipſe verò medicus aſtans, non minùs ſæpe rubore ſuffunditur, & pudore, quàm æger ipſe dolore. Quod videns dolore preſſus, relicto ſæpe medico, alioqui docto, ad extrema recurrit: & nunc opem ab ignorantiſſimo quodam ruſtico, nunc à Iudæo, nunc ab empirico neſcio quo, nunc

nunc à vetula repoſcit: ſecreta exiſtimans quæ ab ignaris proficiſcuntur: quaſi à quodam, neſcio quo genio ipſi eſſent inſpirata. Et dolendum ſanè unicuique, ſe medicum profitenti ſtatim credi: cum in nullo mendacio periculum ſit majus. Sed mundus vult decipi, decipiatur ergo.

*Singula vulpino more modoq; patent.*
*Singula vulpino tegmine tecta, latent.*

Quapropter adhibentur interdum res, remediorum loco, quarum nec vis, vel virtus, vel facultas talia præſtandi, nec ratio ulla ineſt. Ideo dico, ut oſtendam in ejuſmodi paregoricis, nullam aut exiguam eſſe dolores ſedandi certitudinē, quacunq; tandem forma & modo fuerint adminiſtrata.

Quod ſi præ doloris ferocia neceſſitas cogat (ut ſæpè ac nimis fit) recurrere ad narcotica: illaq; non aliter nec majori artificio adminiſtrata, quàm ſolent vulgò tum interdum quidem ſedatur dolor, ſenſu nimirum partis extincto. Sed ex podagrico tandem fit contractus & claudus. Quare ejuſmodi narcoticorum electio, præparatio & adaptatio artificioſa, ſummè neceſſaria eſt, ut his ſanè rebus medico neceſſariò incumbendū ſit, ſi ægrorū ſaluti, & honori, & artis dignitati conſultum velit. Perquirere igitur eum decet, quæ verè paregorica ſunt, etiamſi non

pugnēt qualitate manifesta, ut vulgo postulant. pervestiganda etiam, quæ propriè & ex effectu anodyna sunt: nec magnopere respiciendum quid calorem contemperet: denique vera comparanda sunt narcotica, non stupefactiva, & quæ sensum auferant, quales ferè sunt opiatæ & mandragora, atque his similia: sed quæ verè narcotica sulphurea sunt discutientia ac resolventia: qualia sunt sales vitriolati, atque mercuriales: & si ad qualitatem respicias manifestam, potius calidæ quàm frigidæ potestatis: quæ remedia subito, & quasi incantamēto quodam dolorem sedare possunt ad miraculum etiam usque tum ægri, tum eorum qui adstant. Sensus verò, ceu jucunditate quadam perfundunt, sive intrò assumantur, sive extrinsecus applicentur, ut fateri cogatur æger talem verè ac propriè esse medicinam dolorum: quale fuit quondam Nepenthes illud Helenæ. Contribuamus ergo & nos talentum nostrum nobis à Deo optimo maximo post diutinam pervestigationem benignè concessum.

Remediorum internorum vices abundè supplebit meum laudanū, quod jam à multis annis Nepenthes appellavi, propter eximias virtutes quas habet, non tantùm ad sedandos dolores, sed etiam fluxiones sistendas, in-

inflammationes prohibendas & extingvendas, &c. Dosis est granum unicum magnitudine grani piperis minimi. Nimirum tale longè aliud comperies, quàm Philonium illud officinarum, aut pilullas de cynoglosso, aliaque his similia, quæ pro basi habent opium. Non quòd improbem opii usum, quod scio etiam ingredi theriacam, quamvis longè aliter præparatum velim, quàm fit à vulgo. Præparationem legitimam docebo alibi. At nostræ opiatæ longè sunt alterius naturæ, quæ potiùs sunt nitrosulphureæ, & per conseqvens calidæ potius quàm frigidæ, ut ex descriptione ejusdẽ facilè deprehendes. Describam autem hîc formulas quasdam verè anodynas & paregoricas, communes tamen atque desumptas ex schola dogmaticorum: at quæ electione & præparatione vulgata illa longè antecellunt, cujusmodi ante me pauci hactenus, vel ediderunt vel in lucem emiserunt. Postea subjiciemus & illa, quæ Spagyrici multa inquisitione, & diligenti anatomia interna rerum, ipsarumque adeò metallicarum invenerunt, & iis fœlicissimis auspiciis haud semel postmodum usi sunt. Quibus sanè multa tribuo: & spero iisdem me plus tibi solatii allaturum, quàm omnibus istis formularum centonibus, qui passim prostant. Formulas autem

has, tua potissimum gratia, huc conferam quidem, sed in eum quoque finem, ut quilibet uti possit, & frui: qvum hoc ipsum consilium nostrum cum aliis plurimis, non ex vulgata practicantium schola prodeuntibus, brevi Deo volente in lucem sim editurus.

### *Anodyna generalia ad dolores podagricos.*

*Oleum visci pomorum Quercet.* ℞. foliorum visci pomorũ minutim concisorum ℔ ß. florum verbasci albi, chamæmeli, liliorum, sambuci, hyosciami omnis generis cum suis capitulis (quæ pericarpia, vascula, aut thecas seminum appellant herbarii) recentibus, necdum perfectè maturis ana p. j. ramularum viridium, aut earum loco, spermatis ranarum, quod in stagnis & gurgitibus sub initium Martii reperiri solet ℔ j. seminis papaveris albi contusi ℥ iiij. cancrorum seu astacorum fluviatilium itidem conqvassatorum cum suis crustis num. xx. limacum rubrorum, & lumbricorum terrestrium, utrorumque priùs ex optimo vino albo lotorum ana ℥ iiij. pingvedinis taxi ℥ vj. spermatis ceti ℥ iiij. olei violati, aut nenupharini, recenter facti ℔ vj. Aut si voles ejus loco accipies olei olivarum tantumdem. Si tempus permittat, & occasio non urgeat, con-

conjecta in vas vitreum conveniens & probè obturatum, pones in vino æqvino per septem aut octo dierum spatium. Aut si necessitas urgeat, & citiùs absolvere velis, bulliant omnia in vase cupreo ad ignem per duas horas: postea fortiter exprime. Quod etiam facies, si ad digestionem in fimo collocaveris. Huic oleo, ab aqvositate per coctionem secundùm artem separato, addes croci ℥ ij. camphoræ ℥ ß. Omnia infundantur in vas vitreum, & denuò collocentur in fimo, aut in balneo, aut ad Solem per aliquot dies, & habebis balsamum præstantissimum, ad sedandos quosvis dolores podagricos. Valet etiam ad puncturas nervorum, ad contracturas & dolores, qui ab iis excitantur. Et svaserim profectò omnibus pharmacopœis paratum haberent, cùm eo nihil habeant præstantius, & cujus usus ita freqvens esse possit, ut fortè ne multa vasa plena ipsis sufficere possint. Quapropter & idem dabimus in pharmacopœa nostra restituta.

*Cataplasma anodynum ad omnis generis dolores podagricos.*

℞. medullæ cassiæ ℥ iiij. theriacæ recentis (quò recentior fuerit, eò melior) ℥ ß. farinæ hordei & avenæ ana ℥ iij. micæ panis albi ℥ iiij. lactis vaccini ℔ ij. vel iij. Coqvantur *Remedia antipodagrica.*

omnia in formam cataplaſmatis, quod applicabis calidè partibus dolentibus. Si addideris ℥ j. vitrioli calcinati & ſubtiliſſimè pulveriſati, multò præſtantius efficies.

*Aliud cataplaſma.*

*Aliud.* ℞. aquæ deſtillationis verbaſci albi, & filicis cum toto ana ℔ ß. vitrioli calcinati ut prius, & mundiſſimè triti ℥ j. ß. farinæ avenæ ℥ iiij. croci ʒ ij. fiat cataplaſma.

*Aqua antipodagrica.*

Infeſtantibus maximis doloribus, parte rubore & multo calore oppreſſa, confert plurimum aqua ſequens, ſuo tempore parata, ex mea deſcriptione.

*Aqua antipodagrica.* ℞. aqvæ deſtillationis ſpermatis ranarum, tapſi barbati & filicis ana ℔. j. ß. In his macera tutię, lithargyri ana ℥ ij. vitrioli calcinati aluminis ana ℥ j. foveantur partes dolētes tepidè, ſæpè nova immerſione renovando linteamina. Poteſt etiam foveri locus dolēs, aut propria ægri urina, vel cum ſale fuſo, in liqvore conveniente diſſoluto, vel ſalis muria.

*Aqva alia antipodagrica præſtantiſſima, quæ omni tempore ferè parari poteſt à D. Michelio, patricio Lucenſi, doctiſſimo medico communicata.*

℞. ſa-

℞. ſaponis Genuenſi albi ℥ j. ſalis fuſi ad fortiſſimum ignem ℥ j. ß. vitrioli ℥ j. acaciæ ℥ ß. bulliant omnia in menſura, ſeu pinta aceti roſati, aut alterius communis. Cola, & de colatura tepidè foveatur pars dolens. *Alia.*

*Emplaſtrum excellens, quod ſuperpoſitum nodis & tophis podagricis, eos diſſolvit.*

℞. olei viſci pomorum noſtræ deſcriptionis ℔ j. aut ℔ ij. Calefiat in vaſe ad ignem. *Emplaſtrum.* Calefacto adjice ſaponis raſi ℥ iiij. miſceantur ſemper probè cum ſpatula, donec ſapo cum oleo bene incorporetur. Poſtea adde ceruſæ venetæ, litharg. ana ℥ ij. (ſemper miſcendo cum ſpatula) vitrioli ad rubedinem calcinati, & pulveriſati ℥ j. cinnabrii ℥ ß. ſemper agitabis dum adjiciuntur prædicta, donec optima fiat emplaſtri conſiſtentia; quod applicabis nodoſitatibus. Conducit etiam ad tophos venereos, ad omnes calloſitates, atque ulcera phagædenica. Atque hæc ſunt quidem remedia præſtantiſſima, quæ ex dogmaticæ ſcholæ præſcripto parari poſſunt.

At longè nobiliora efficacioraque remedia, ex minerarum familia depromūtur, quę ad ſedandos dolores, nulli alteri cedunt, ut experientia multijuga compertum habeo. *Specifica remedia chimica.*

Ergo calcem vivam per quinque vel sex dies immerge in aqvam fontanam, ut sal ejus elicias: Aqua autem superemineat calci ad quatuor vel quinque digitos. Hujus aqvę accipe ℔ iiij. In qua laminam chalybis ferventis duodecies, aut etiam sæpius extingves. Postea in eandem immerge æs ustum in pulverem redactum ad ℥ iiij. cinnabrii ℥ ß. Stent per quatuor aut quinque dies, & viridem ea aqua acqviret colorem ex vitriolo interno æris usti. Et habes excellens remedium ad subitò compescendos dolores. Sunt qui loco prædictorum addant mercurium dissolutum in aqva forti: sed melius, magisque placet ratio prior: quamvis & hæc quoque sit bona, atq; probata: quamq; à nonnullis audivimus esse eandem, qua fœlicissimè usus est Martinus Rulandus vir percelebris, ut videre est in ejus curationibus empiricis. Deniq; omnino necessarium est ut talia metallica præstent hos effectus: & inter omnia, potissimum vitriolum. De cujus stirpe ex sententia Spagyricorum est quoque cuprum. Quæ metallica sulphur in se continent verè narcoticum, non frigidum aut stupefactivum, sed tale quod corporeas materias dissolvere & spirituales coagulare possit. Aut in prædicta aqua vel infusione addi possunt marcasitæ, antimonium & similia:

Aqva præstantiss.

Omnia

Omnia in eum finem, ut ſal ex iis eliciatur. Aut in eadem aqua decoqvantur flores verbaſci albi, flores & cortices ſambuci: & in eadem per biduum aut triduum macerentur ℥ iiij. vel v. colchotaris, vel fœcum, quæ reſtant poſt aquæ fortis extractionem: qua aqua tepidè foveantur partes dolentes, cum linteaminibus ſæpius iteratis. Phlegma vitrioli ſuo proprio ſale & ſulphure narcotico imprægnatum, ſingulare quoque eſt ſpecificum remedium. Quemadmodum etiam viriditas, ſeu oleum ſalis marini qui nobis in cibos venit: ac in eo tantùm intincto linteamine partes dolentes oblinantur. Reſervo mihi meam aqvam antipodagricã, (quam tamen à me factam tranſmittam tibi) tum quia difficilior ejus parandi modus, quàm ut à vulgari pharmacopœo confici poſſit: tum verò mihi tanquam veterano militi, aliquid athletici artificii reſervandum eſſe cenſeo. Dicam tamen unicum eſſe ſingulare, nec vulgari induſtria à me conqviſitum, interim certiſſimum atque tutiſſimum remedium. Dicámne? Fit ex aqua fontana ſimplici, in qua iteratè & aliquoties extingvo quædam metalla, cui addo duas ſubſtantias metallicas, quas vel per os ritè præparatas dare ſolemus, quarũ ſpiritus impreſſi in aqua prædicta, vim ei tribuunt penetrandi ad radices

*Aqva antipodagrica Quercet. præſtantiſſima omnium.*

iuſ-

uſque morbi, atque verè reſolvendi & evacuandi materias tartareas, gypſeas, atq; ſales in juncturis concretos: à quibus tam intolerandi dolores excitantur. Nam ingens eis ineſt vis diſſipandi omnis generis gummi, tophos & nodoſitates podagricas, ipſaſque adeò etiam venereas, ut experimento confirmare poſſumus. Ad hæc vim habent reprimendi, atque contemperandi ſimul earum acrimoniam, adeoque prohibendi novas generationes, atque influxus materiæ tartareæ. Ut paucis dicam, vera ea ſunt reſolventia & refrigerantia ſimul: ſed longè præſtantiorum viriũ, quàm oxycrata, aqvæ plantaginis aut ſolani, aut talia, quæ à vulgo parari ſolent: quæque obſtruunt potius atque incraſſant magis materiam tartaream, gummoſam atque gypſeam, jamque plus ſatis craſſam, atque in articulis & juncturis contentam: ac proinde dolores potius ingeminare & augere, quàm ſedare aut placare ſolent. Sed ſufficere poſſunt prædicta; cum ſciam talia à nemine unquam ante me tam dilucidè explicata. Quid, inquies, gloriaris ſenex? Iuvenile hoc eſt. Audi amicorũ ſumme. Glorior ſed in vera, non momentanea vel levi illa gloria, quæ merè juvenilis eſt. Hanc autem mihi conceſſit Deus, peperit labor. Nec tamen mihi adeo Suffenus ſum, ut

ut Nemesim non semper post me stantem reverear atque observem. Sic soleo, uti nosti, nunquam non mihi esse similis,& interdum poëticas meas nugas gravioribus inserere. Neque hîc maximopere curo Censores nasutiores,obgannientes fortè livida nare, & fronte superciliosa:quod uni & eidem remedio tribuam, vim reprimendi aut repellendi, & attenuandi : quodque confidenter astruam & asseverem,illud idem vim habere coagulandi & dissolvendi. Sunt enim quæ dico, talia, quæ oculis objicere,& manibus palpanda exhibere possum. Talia enim & jam dictis & aliis metallicis tribuimus, quæ præstant beneficio salis, quem in se continent, & aquæ prædictæ communicant ac imprimunt, beneficio macerationis atque infusionis, qua & acrimonia materiæ tartareæ atque salsæ tollitur. Quapropter eodem medio refrigerant & attenuant, resolvunt, dissipant atque consumunt,causam conjunctam hujus mali. Et per consequens sunt vera paregorica, gemina anodyna & specifica narcotica dolorum.


Ecce, vir amplissime, anatomiam exosissimi hujus morbi, qui te vel in ætatis hoc flore per certa intervalla invadere, dolorificisque insultibus divexare atq; fatigare ausus est. Longior, fateor, fui quàm decebat: apud

apud te præsertim & talem, cui nihil magis placere scio, quàm concinnam brevitatem ab exacto judicio profectam. Sed nimirum volui ex professo introducere utriusque ordinis medicorum tam dogmaticorum, inquam, quàm spagyricorum dogmata & fundamenta præcipua ad arthritidis historiam pertinentia: simul & utrorumque τίκμαρον curativam, ceu athletarum probatorum arma probata in tui defensionem proferre, ad evincendam atque domandam crudelissimam artuum illam carnificinam: ne mirum te posthac uti hactenus tantis & tam sublimibus dicatum curis publicis ac verè regiis, eant abstractum, impeditum atque prostratum. Ne, inqvam, doctissimas tuas manus deinceps impediant ab opera, qua constet quale sit & quid possit sublime ingenium tuum. Ita fiet, spero, ut & hæc à maledicentium theonum virulentis morsibus vindicare & almæ tuæ Minervæ, cujus assiduus es cultor, etiam porrò litare qveas. Interim hæc nunc habe, & alia quædam majora propediem in publicum censura à me expecta. Quibus operibus annexum erit præsens hoc consilium, cum aliis plurimis. Opuscula mole quidem parva: at subjecto & argumentis dignitate maxima, ut plurimorum cum delectatione atq; utilitate proditu-

ditura indubiè mihi polliceri ausim. Hę sunt meæ lucubrationes, quas Soloturri hyeme præterita moliebar optato fruens otio, & liberiori multò, quàm quando versor in mundo hoc Lutetiano: dę patrocinio summi mei & omnium doctorum virorum Mecœnatis, & veri Senatus illius Regii Catonis, illustris genii & ingenii viri D. de Sillery, &c. De cujus eximia prudentia & in rebus gerendis singulari fide, industria atque dexteritate, ut quid amplius addam ne expecta: ne scilicet culpem potius si frigidè laudem. Sed fruebar quoque patrocinio eminentissimi viri D. de Vic legati regii, & apud Helveticos atque Rhoetos ordinarii, tuique amantissimi: in cujus viri ingenio poliendo, si fateri velim quod res est, Mercurius præfuit, Pallas atque Minerva certatim operas suas collocarunt. At ne mu quidem addo Lucinianum. Notior est vir ille, quàm ut vel à me, vel à mei similibus commendari dilaudaríve debeat, aut pro dignitate etiam possit. Sed his te viris atque patronis meis, (vir omni æstimatione dignissime) si merito tuo connumeravero, & quod corditus facio, inter summos meos patronos & amicos recensuero, quî non possint hæc mea opera cunctis ipsoque adeò invito Momo, esse grata atque accepta?

Au-

Audebo itaque trium harum ſtellarum fulgore illuminatus, & ſumma eruditione ac multiplici experientia Archiatri Regis noſtri, viri utique celeberrimi ſuffultus, prodire, & quicquid eſt lucubrationum mearum in publicum dare: quorum judicium atq; cenſuram vel univerſo Senatui Attico, aut Lacedæmonienſi prætulerim.



# DE NEPHRITIDE CONSILIUM Secundum.

*AD CLARISS. ET CELEBERrimum virum D. LAURENTIUM CONSILIARIUM, Medicum ordinarium, & Profeſſorem Regium, Reginæq; Archiatrum.*



HOcce noſtrum de Nephritide conſilium, illuſtri & excellent. D. ac patrono D. Laſinio, Nephriticis dolorib. obnoxio, viro generoſiſs. ac de patria benè merito merentique conſecramus, dicamus atque devovemus. Tu autem celeberrime Laurenti auxilia-

liares tuas manus, ad tam immanem domandum debellandumq; hoſtem, manibus noſtris præbe, conſilium iſtud conſilio tuo dita exornaque, atque grato animo accipe hoc munuſculum & teſtimonium propenſi animi amoriſque ſummi erga te mei. Quod ſi tibi tali genio nato, ac tanta doctrina & experientia valenti viro, ſatis dignum ſufficienſque eſſe poteſt, fac excipias hoc quicquid eſt de Nephritide judicii, & tuo judicio limato, etiamque ſæviori æſtima atque judica. Id enim lubens tuo judicio committo, quod probè ſciam, te mecum, me tecum, in meritiſſimi tantique viri, utriuſque noſtrum amici, ſanitatem integram tum recuperandam, tum conſervandam, conſpirare.

Ex atroci dolore circa regionem renis dextri fixo, urina arenoſa & ſubcruenta, ex vomitu pluribuſque aliis ſignis & ſymptomatis abundè colligere licet, hunc morbum nephritidem eſſe. De cujus affectus cauſis pluribus à me nunc diſſeri nihil attinet, cum boni medici officium in prompta artificioſaque ſanatione, potius, quàm in theoretica diſceptatione conſiſtat. Ne tamen & in eo ἀσύμβολος prorſuſque mutus eſſe videar, dico longè aliter ſentire me de calculi cauſis, materiali præſertim, quam vulgus medico-

rum opinatur. De materiali,inqvam,hoc est ex qua, non in qua, (quod morborum subjectum vocant in scholis)generetur & fiat calculus. Statuunt siquidem medici ferè omnes generari eum ex crassa, lenta & nescio quali viscida materia in renibus ab eorum calore cocta indurataq;.At me herclè quem illi tam insignem calorem renum in calculosa senum constitutione reperiant, quos ut plurimum frigidissimæ naturæ esse constat, nondum adverto. Arena multo antè cum urinis egesta & in matulæ fundo subsidens, aut si vel pura & limpidissima illa videatur, diutius tamen subsistens & in tartaream materiam vasi adhærescens,satis opinor potius convincit, non à crassa avt viscida tantùm, sed tartarea quadam materia à proprio sale concrescere atq; in renum cavitate condensari. Haud secus sanè atque in vinorum cadis illud quod tartareum est, (in quo sal vini præcipuè latet) convexæ vasis superficiei adhærescere atq; in lapidosam substantiam concrescere videmus. Quod si quid glutinis quoq; cum urina interdum egeratur:nihil id mirum,cum iidem & vel multò sæpius per alvum magna copia muci rejiciatur,in qua tamen nunquam secundùm Galenum, aut certè perrarò secundùm quotidianam experientiam calculi generantur.

Et magni Athlantes illi non vident, causam generationis viscidi illius humoris semet facere frigiditatem cruditatemq;, ut frustra nunc sint, si à renum calore in calculum cogi opinentur, cum tantum calorem in renibus absque febre esse posse, non sit rationis, qui calculum ex materia frigidissima concoqvere & lapidescere possit. Ceu verò fornax quidam esset, in quo gluten istud calcinetur. Quinimo potius existimandum, tartaream illam calculi materiam, sine calore ullo extraneo, suapte natura vergere ad coagulationem & indurationem. Sic videmus in multis fontibus aquisque frigidissimis ligna ipsa tandem lapidescere. Sic in Avernia nostra, rivulus, quem incolæ Tiretine nominant, ex propria spuma pontem sibi lapideum construit: ibi tamen nullus fervor nullusq; calor. Sed sit ita, adsit gluten, adjuvet calor, non habent tamen quod intendunt, materiam calculi esse simpliciter viscidam sed potius tartaream, arenosam, quam viscidi tas illa citius conglutinet, viscidi tas inquam, non mucosa tantùm, sed tartarea & ipsa salsuginosa: qualem qui in corporis humani lixivio, (nempè in nostra urina) ut & in reliquis omnibus saponariisque lixiviis non deprehendit aut agnoscit: quid urina, quidque lixivium sit ignorat. Urina enim

omneque lixivium, si diutius stent in vase tartarum proprium affigunt: Nullus ibi calor eximius nisi qui vel in urina vel in lixivio inest proprius. Sic videmus simili de causa ex eademque prorsus materia, calculos in vesicula vellis, in hepate, splene, cerebro, ventriculo, intestinis, articulis, denique in omnibus ferè corporis partibus etiam frigidis, generari, quod certè notius est, quã ut pluribus convincere nunc sit opus. Sed his missis, rectà ad curationem me confero, maximè cum hæc omnia in nostro de Arthritide consilio fusius jam à nobis explicata & comprobata sint. Duplex igitur instituenda est cura: Prophylactica seu præservativa, & Therapevtica seu curativa. Hæc causam conjunctam tollit, nempè calculum & arenas seu tartaream illam materiam quæ cruciatus Nephriticos excitat, in sensibili renum & ureterum cavitate, quæque stranguriàs aliquando, aliaque gravissima symptomata inducit. Illa causam antecedentem aufert, corpus nimirum à mucilaginosa tartareaque materia expurgando aliasq; impuritates, ne generationi calculi deinceps sit locus atque occasio.

Utraque hæc curandi ratio, tribus perficitur instrumentis, nempè Diætetico, Pharmacevtico, atque Chirurgico.

Or-

Ordinem ſvadeo à prophylaxi ſeu præſervatione, tanquam utiliſſima, nobiliſſima tutiſſimaq;. Nam ut habet verſus.

*Turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes.*

Nec parùm herclè profecerimus dummodo recidivam tam execrandorum cruciatuum impediamus: Quare omni ſtudio innitemur, ut Spartam, quam Deus nobis largitus eſt, etiam hoc in negocio ornemus atq; ampliſſimum & generoſiſs. D. voti & immenſi ſui deſiderii ac voluntatis (quæ eſt ejus erga nos fiducia) compotem reddamus.

Quod ut conſeqvamur, ante omnia neceſſarium eſt, ut quovis loco, quovis tempore, bona convenientiq; utatur victus ratione. Hæc conſiſtit in legitima debitaque adminiſtratione ſex rerum, quas medici non naturales appellant.

Caveat itaque quantum fieri poterit, ne aëri turbido atque nebuloſo ſeſe exponat: nec item radiis ſolaribus, aut crepuſculi humidis exhalationibus.

Exercitium ante cibum, horis præſertim matutinis apprimè confert: improbatur plurimum violentum, maximè quod ſtatim obitur à cibo. Nimio enim illo motu, cibus adhuc crudus aut certè ſemicoctus tantùm, intempeſtivè rapitur à venis meſaraicis ad hepar, ac inde in renes.

Abstineat quantum potest à somno pomeridiano, quippe quod repleat caput, unde magnæ incommoditates in corpore oboriuntur. Alvus semper sit lubrica: quod si non sit natura, saltem arte: in quam rem horis matutinis capiat juscula, in quibus summitates violarum, malvæ, borraginis, buglossi, aliarumq; lenientium bullierint: aut horum loco decoctum prunorum. Idem præstabunt interdum utiliter suppositoria atq; clysteres emollientes.

Longè absint tristitia, ira, melancholia, cæteræque animi perturbationes: item graviora negocia vel occupationes à cibo præsertim.

Porrò sobrietatem ac temperantiam, cibi inqvam, ac potus moderationẽ, ut aliàs semper, ita vel imprimis in calculoso omni affectu, hocque corporis statu magnopere utilem esse constat apud omnes medicos: Prandere tamen perpetuò paulò liberiùs, parciùs verò cœnare præstiterit. Bis enim tantùm in die cibum sumi velim, idque ex justis intervallis quæ concoctioni sufficiant. Famem tamen atque cruditatem vitandam censemus: illam tanquam omni ætati senili, & senilis proximæ, nocuam, & ne repentina fiat consvetudinis mutatio, qua nihil magis suspe-

ſpectum viris aulicis præſertim: hinc ne calculoſæ materiei præbeatur occaſio.

Alimenta itaque ſint boni ſucci & facilis coctionis, omnino varios & diverſi generis cibos evitet præſertim in uno eodemque paſtu. Quod ſi cibo delectetur vario, ut delectatur & antehac aſſvetus fuit, deinceps paulatim remittat: quamvis in ea ipſa varietate aliquam ſimilitudinem, & naturæ [illegible] obſervare non fuerit difficile neque inutile. Nam diſſimilia quæ ſunt, vel ſummo illo medicorum Hippocrate teſte, ſeditionem movent, dum ex his alia citiùs, alia tardiùs & mitificantur & in corpus ipſum dividuntur.

Vitabit in genere omnis generis cibos crudos, vaporoſos aut flatuoſos, viſcidos & craſſos: Animalium partes extremas: omnis generis acetaria, legumina, lacticina, ſed ante omnia caſeum & quæ à piſtoribus in furno parantur nec ritè fermentata ſunt: item frixa, piſces omnes, quibus tamen ſi uti velit (in quadrageſima diebuſq; aliis prohibitis) eligat ſaxatiles, & id moderatè rariuſq;.

Utatur quinetiam tunc temporis aſtacis ſeu cancris fluvialibus, ovis ſorbilibus, atque etiam butyro: Butyrum enim prohibet generationem calculi, ſi manè præſertim ſumatur ante omnes alios cibos rationem expoſuimus alibi.

Aquas fugiat crassas atque limosas arenosasque tam in cibis quàm in potu. Præterea vina dulcia, crassa, nigra, turbida & plurimis fœcibus tartareis referta. Talia quippè præ cæteris materiam suppeditant calculorum generationi: Quare eligat potiùs rubellum aut album oligophoron, benè maturatum, non fumosum, mediocriter aqua limpidissima temperatum. Panis sit benè coctus & fermentatus Hæc sit Diætæ seu vivendi consvetudinis summa, quam seqvetur qua pòterit cura atque diligentia

Secundum instrumentum prophylacticum est pharmacia, ex qua depromuntur remedia cùm interna tum externa, ad præparationem, vacuationē, derivationemq; causæ materialis vel antecedētis, & ad roborationem partiū quæ id postulant. Et talia remedia certis tēporibus atq; locis ex arte parari atque convenienter administrari debent.

Svadeo itaque ut amplissimus D. singulo Vere atque autumno purgetur præmissis priùs præparantibus. Tempore igitur dieq; convenienti electo curationis initium ordietur à clystere anódyno & emollienti ad evacuationem intestinorum, quem capiet sub vesperam paulò ante cœnam. Seqventi matutino accipiet bolum pro minerativo, talem.

Acc.

Acc. Cassiæ rec. extractæ ℥ j. rhab. j. pulv. diatrag. frigid. ℈ j. misce fiat bolus qnem deglutiat cum syrup. violato. Quod si adsit plethora, & ea vel levis tantùm, postera die secetur vena hepatica cubiti dextri ad quantitatem sangvinis convenientem. Seqventibus diebus utatur seqventi apozemate.

Acc. polypod. qvern. ℥ j. ß. rad. gram. asparagi. fœniculi, eryngii, raphani ana ℥ j. passul. mundatarum à vinaceis liqvirit. ana ʒ vj. jujubarum sebest. ana p. iiij. cichorii, fumar. beton. lupul. pimpinell. capillarium omnium ana m. j. sem. alth. saxifrag. bardanæ ana ℥ ß. sem. anisi, fœniculi, citrii & corticis ejusdem ana ʒ iij. florum genistæ, viol. borrag. bugloss. ana p. j. fiat decoctio in hydromel. in ℔ j. In colatura clarific. dissolve syrupi de limonib. ℥ iiij. misce pro 4. dosib. aromatisatis: ʒ j. cinnamomi. Si addideris guttulas, aliquot vel spiritus vitrioli, vel aciditatis sulphuris, præstâtius multò fiet istud remediũ.

Sic itaque ritè præparato corpore, deinceps purgabitur, seqventi medicamento.

Acc. polypod. q. semin. carthami ana ℥ ß. anisi, epithymi & sem. malvæ ana ʒ ij. trium florum cordialium ana p. j. fiat decoctio in suff. quantitate colaturæ clarificatæ. macera ad ignem lentum: & tandem decoqve folliculorum orientalium ℥ ß. in expresso adde

rhabarbari, seorsim in æqvis partibus vini albi, aqvæ endiviæ & rosarum macerati & expressi ℥ij. syrupi ros. sol. cum agarico ℥ j. misce fiat potio, quam sumat finitis apozematis cum custod. & regimine.

Vel si velis, in eodemmet apozemate addes sufficientem quantitatem prædictorum purgantium, ut unà & semel humores præparentur, atque deturbentur, idq; per epicrasim.

His aut similibus præparationis atq; purgationis formulis uti poterit omni Vere atque Autumno.

Reliquis verò temporibus svadeo, ut purgetur aliquo grato ac miti medicamento, ut bolo ex cassia præscripto, elect. lenitivo, diasebest, alióve simili. Aut cum syrupo aliquo magistrali, parato ex decoctione prædicti apozematis: addito succo rosarum optimè depurato, quibus admisceri poterunt senna rhabarb. agaricum cum suis correctivis, & saccarum in sufficienti quãtitate. Hoc blando remedii genere uti poterit singulis lunę declinationibus aut decrescẽtiis. Quod si his non delectetur propter ingratum saporem, utatur nostro diatartaro solutivo quod descripsimus in nostra Pharmacop. restituta, cujus hæc est formula.

*Diatartarum solut. Qverceт.* Acc. foliculorum sennæ tenuissimè pulverat.

verat. ʒ vj. cryſtallorum tartari optimè præparatorum ℥ j. fœniculi dulcis aniſi ana ʒ j. cinnamomi ʒ ß. ſaccari roſati ℥ j. ß. miſce fiat pulvis. Præparationem cryſtallorum tartari docuimus in prædicta noſtra Pharmacopœa. doſis hujus remedii eſt cochlear argenteum, nullum ingratum habet ſaporem: Aduſtos, retorridos melancholicoſq; ſuccos ſufficienter & blandè tamẽ purgat, tartareã & muſcilaginoſam materiam in ventriculo atq; in ipſiſmet vaſis conceptam & ſolvit & deturbat, eoq; nomine tartareis omnibus affectibus confert calculoſis præſertim.

His aut ſimilibus ritè & benignè purgatus, quatuor matutinis ſeqventibus ſeqvens capiet juſculum.

Acc. rad. graminis, aſparagi, fœnicul. petroſel. eryngii quantum lubet, acetoſæ cum toto pimpinell. ſummitatũ malvæ violar. ſeminũ cucurbitæ, melonũ, biſmalvæ, itidem pro lubito: fructuum alkekengi numer. vj. florum geniſtæ p. j. limonii medii ſegmenta cum ſuo cortice, cum pullo farcto uvis corinthiacis, atq; capparibus juſcula fient pro quatuor matutinis. Quod ſi fuerit quadrageſima, parabuntur cum butyro recenti: & ſalis communis vel marini vice, condientur ſale extracto ex cineribus reſtæ bovis, eo modo quo dicetur: cum conſtet nobis tales

præ-

præparationes in omnibus officinis non fieri. In eodemmet jusculo addes si velis vel ʒ j. prædictorum cristall. tartari: vel guttulas aliquot aciditatis sulphuris, quo svavius & efficacius palato jusculum reddatur. Hæc, inquam, singulis noviluniis sunt facienda. Reliquis verò temporibus ad purgandum stomachum à mucositatibus & viscida seu materia tartarea, eundemq; una eademq; opera roborandum, svadeo ut semel in septimana etiam in hyeme capiat duas aut tres pilullas mastichinas aut de hiera cum rhab. idq; paulo ante prandium aut cœnam.

*Pilul. de aloë Quercetan.* Pilullæ aloës nostræ descriptionis (cujus essentiam extrahimus cum aqua endiviæ in Bal. mariæ) separando terrestrem atq; inutilem ejus fœcem, additis succis depuratis rosarum pallidarum, rosarum moschatarum, florum quinetiam cichorii & bugloss. & essentiis, seu extractis rhab. sennæ cum paucis guttis olei anisi, pulveribus item mastiches, myrrhæ & croci, ut omnia in pilullarũ massam redigantur) longè præstantiores sunt ad hunc scopum quàm omnia prædicta. Nam benignè admodum purgant, & balsami alicujus loco sunt stomacho atque hepati: Dosis exigua pilulla, magnitudine pisi, quæ mira præstat pro evacuatione, & roboratione prædictarum partium. Hæ pilullæ descriptæ sunt

sunt fusius in nostra pharmac. Ad roborationem verò particularem ventriculi, plurimum confert pulvis digestius sumendus post pastus, ad quantitatem unius parvi cochlearis, studio ad id parati.

Acc. anisi fœniculi dulcis ana ℥ iij. Coriandr. præpar. cum succo cidoniorum ℥ vj. salviæ exsiccatæ & in tenuissimum pulverem redactæ ℈ij. coralli præp. margarit. præparatar. ana ℥ ij. conservæ è rosis siccis ℥ j. cinnamomi ℈ iiij. mastiches ℈ ij. ß. saccari ros. tab. ad duplum omnium. Misce: fiat pulvis quo utatur, ut dictum est.

Aut loco jusculorum quorum suprà mentionem fecimus, singulis mensibus sumendorum, post levem aliquam purgationem, quę semper pręcedere debet, capiet parvum cochleare de pulvere seqventi specifico contra generationem calculi, hic pulvis quinetiam ad urinæ tarditatem & disuriā confert.

Acc. nucleorum mespilorum, milii Solis, sem. bardanæ, saxif. alth. anisi. fœniculi dulcis ana ℥ iij. cristallorum, tartari ℥ vj. lapillorū, qui in astacis reperiuntur (qui vulgò oculi cancri vocantur) ℥ ß. salis restæ bovis ℥ j. cinnamomi ℥ j. ß. saccari violati ℥ ij. ß. misce fiat pulvis. Quo sumpto superbibat parum vini juniperati, vel aqvæ nephrocathar- *Pulvis antinephriticus Querc.*

tharticæ præservativæ, cujus descriptio seqvitur.

*Aqua ad præservatione calculi.* Acc.rad.eryngii,restę bovis,& quinq;rad. aperit. an.℥j.corticis limonum ℥ j.ß.4.sem. frigid.major.sem.malvæ,alth ana ℥ iij. sem. saxifrag. milii solis, raphani majoris,bardanæ & granorum juniperi maturorũ ac recẽtium ana ʒ vj. fructuum alkekeng. num. [illegible] jujubarum paria vj.diptami,florum genistę, hyperici, beton. & malvæ arborescentis ana p. ij. liqviritiæ ℥ ij. ß. cassiæ ligneæ ℥ j. contundenda contundãtur & pulverisanda pulverisentur & macerentur in aqvæ argentinę senelorum parietar. ana ℔ j. ß. vini albi generosi ℔ ij. idq; per quatriduum in B. Mar. calido,dein fortiter exprimãtur:expressioni adde species.diatrag.frigidi:& throchiscorũ alkekeng. sine opio ana ℥ j. denuo digerantur ad ignem Bal. mar. per unum diem vel alterum,& destillentur per alembicũ vitreum ut artis est. Hæc aqua etiã per se sumpta crassas materias incidit & attenuat:leniẽdo detergit renes, ureteres ipsamq; vesicam,ab infarctu vel arenularum vel crassorum humorum liberat, itemque præservationi ut & curationi nephriticorum mirum in modum conducit: exhibentur hujus aqvæ ℥ ij. pro dosi per se,aut cum syrupo aliquo conveniẽti : vel ex iisdémmet commemoratis simplici-

cibus, parabuntur vina hydromellita, oxymellitaque antinephritica, qualia descripsimus in pharmac. nostra. Uti poterit hisce remediis duobus tribusve matutinis continuis (post prædictas evacuationes) jusculorum loco. Atq; hæc curæ prophylacticæ inserviant sive præcautioni.

Quod verò attinet ad therapevticam: ea utemur tum cùm morbus & dolor nephriticus eminentissimum virum infestabunt.

In quo negocio clysteres plurimum possunt & promptè proficiunt: clysteres, inquam, convenientes & ex arte idoneo tempore administrati.

Primus itaque anodynus esto talis.

Acc. summitatum alth. malva. violar. parietar. mercur. branchę ursf. berulæ, semi. lini fœnugr. alth. florũ camomillæ, meliloti, sambuci & summitatũ anethi q. suff. coq; in jure capitis arietini, id ℔ j. colaturæ dissolve diasebest. hieræ mellitæ ana ℥ vj. mellis anthosati ℥ j. ß. olei rutac. & liliorum ana ℥ j. croci ℈ j. vitellum ovi unius misce, fiat clyster.

Dolore urgente, utendum frequenter iteratis clysteribus, additis decoctioni seminibus carminativis (si flatus adsint, sicut ut plurimum accidit) & baccis lauri atque juniperi, dissolutaq; ℥ j. bened. laxativæ elect. de baccis lauri: ultimis clysterib. addes there-

Abſtineat quantum poteſt à ſomno pomeridiano, quippe quod repleat caput, unde magnæ incommoditates in corpore oboriuntur. Alvus ſemper ſit lubrica: quod ſi non ſit natura, ſaltem arte: in quam rem horis matutinis capiat juſcula, in quibus ſummitates violarum, malvæ, borraginis, bugloſſi, aliarumq; lenientium bullierint: aut horum loco decoctum prunorum. Idem præſtabunt interdum utiliter ſuppoſitoria atq; clyſteres emollientes.

Longè abſint triſtitia, ira, melancholia, cæteræque animi perturbationes: item graviora negocia vel occupationes à cibo præſertim.

Porrò ſobrietatem ac temperantiam, cibi inqvam, ac potus moderationē, ut aliàs ſemper, ita vel imprimis in calculoſo omni affectu, hocque corporis ſtatu magnopere utilem eſſe conſtat apud omnes medicos: Prandere tamen perpetuò paulò liberiùs, parciùs verò cœnare præſtiterit. Bis enim tantùm in die cibum ſumi velim, idque ex juſtis intervallis quæ concoctioni ſufficiant. Famem tamen atque cruditatem vitandam cenſemus: illam tanquam omni ætati ſenili, & ſenilis proximæ, nocuam, & ne repentina fiat conſvetudinis mutatio, qua nihil magis ſuſpe-

ſpectum viris aulicis præſertim: hinc ne calculoſæ materiei præbeatur occaſio.

Alimenta itaque ſint boni ſucci & facilis coctionis, omnino varios & diverſi generis cibos evitet præſertim in uno eodemque paſtu. Quod ſi cibo delectetur vario, ut delectatur & antehac aſſvetus fuit, deinceps paulatim remittat: quamvis in ea ipſa varietate aliquam ſimilitudinem, & naturæ [illegible] obſervare non fuerit difficile neque inutile. Nam diſſimilia quæ ſunt, vel ſummo illo medicorum Hippocrate teſte, ſeditionem movent, dum ex his alia citiùs, alia tardiùs & mitificantur & in corpus ipſum dividuntur.

Vitabit in genere omnis generis cibos crudos, vaporoſos aut flatuoſos, viſcidos & craſſos: Animalium partes extremas: omnis generis acetaria, legumina, lacticina, ſed ante omnia caſeum & quæ à piſtoribus in furno parantur nec ritè fermentata ſunt: item frixa, piſces omnes, quibus tamen ſi uti velit (in quadrageſima diebuſq; aliis prohibitis) eligat ſaxatiles, & id moderatè rariuſq;.

Utatur quinetiam tunc temporis aſtacis ſeu cancris fluvialibus, ovis ſorbilibus, atque etiam butyro: Butyrum enim prohibet generationem calculi, ſi manè præſertim ſumatur ante omnes alios cibos rationem expoſuimus alibi.

Aquas fugiat crassas atque limosas arenosasque tam in cibis quàm in potu. Præterea vina dulcia, crassa,nigra,turbida &plurimis fœcibus tartareis referta. Talia quippè præ cæteris materiam suppeditant calculorum generationi: Quare eligat potiùs rubellum aut album oligophoron, benè maturatum, non fumosum, mediocriter aqua limpidissima temperatum. Panis sit benè coctus & fermentatus Hæc sit Diætæ seu vivendi consvetudinis summa, quam seqvetur qua poterit cura atque diligentia

Secundum instrumentum prophylacticum est pharmacia,ex qua depromuntur remedia cùm interna tum externa, ad præparationem,vacuationẽ,derivationemq; causæ materialis vel antecedẽtis,& ad roborationem partiũ quæ id postulant. Et talia remedia certis tẽporibus atq; locis ex arte parari atque convenienter administrari debent.

Svadeo itaque ut amplissimus D. singulo Vere atque autumno purgetur præmissis priùs præparantibus. Tempore igitur dieq; convenienti electo curationis initium ordietur à clystere anódyno & emollienti ad evacuationem intestinorum, quem capiet sub vesperam paulò ante cœnam. Seqventi matutino accipiet bolum pro minerativo, talem.

Acc.

Acc. Cassiæ rec. extractæ ℥ j. rhab. j. pulv. diatrag. frigid. ℈ j. misce fiat bolus qnem deglutiat cum syrup. violato. Quod si adsit plethora, & ea vel levis tantùm, postera die secetur vena hepatica cubiti dextri ad quantitatem sangvinis convenientem. Seqventibus diebus utatur seqventi apozemate.

Acc. polypod. qvern. ℥ j. ß. rad. gram. asparagi, fœniculi, eryngii, raphani ana ℥ j. passul. mundatarum à vinaeeis liqvirit. ana ʒ vj. jujubarum sebest. ana p. iiij. cichorii, fumar. beton. lupul. pimpinell. capillarium omnium ana m. j. sem. alth. saxifrag. bardanæ ana ℥ ß. sem. anisi, fœniculi, citrii & corticis ejusdem ana ʒ iij. florum genistæ, viol. borrag. buglosf. ana p. j. fiat decoctio in hydromel. in ℔ j. In colatura clarific. dissolve syrupi de limonib. ℥ iiij. misce pro 4. dosib. aromatisatis: ʒ j. cinnamomi. Si addideris guttulas, aliquot vel spiritus vitrioli, vel aciditatis sulphuris, præstãtius multò fiet istud remediũ.

Sic itaque ritè præparato corpore, deinceps purgabitur, seqventi medicamento.

Acc. polypod. q. semin. carthami ana ℥ ß. anisi, epithymi & sem. malvæ ana ʒ ij. trium florum cordialium ana p. j. fiat decoctio in suff. quantitate colaturæ clarificatæ. macera ad ignem lentum: & tandem decoqve folliculorum orientalium ℥ ß. in expresso adde

rhabarbari, seorsim in æqvis partibus vini albi, aqvæ endiviæ & rosarum macerati & expressi ℥ij. syrupi rosf. sol.cum agarico ℥ j. misce fiat potio, quam sumat finitis apozematis cum custod. & regimine.

Vel si velis, in eodemmet apozemate addes sufficientem quantitatem prædictorum purgantium, ut unà & semel humores præparentur, atque deturbentur, idq́; per epicrasim.

His aut similibus præparationis atq; purgationis formulis uti poterit omni Vere atque Autumno.

Reliquis verò temporibus svadeo, ut purgetur aliquo grato ac miti medicamento, ut bolo ex cassia præscripto, elect. lenitivo, diascbest, alióve simili. Aut cum syrupo aliquo magistrali, parato ex decoctione prædicti apozematis : addito succo rosarum optimè depurato, quibus admisceri poterunt senna rhabarb. agaricum cum suis correctivis, & saccarum in sufficienti quãtitate. Hoc blando remedii genere uti poterit singulis lunę declinationibus aut decrescẽtiis. Quod si his non delectetur propter ingratum saporem, utatur nostro diatartaro solutivo quod descripsimus in nostra Pharmacop. restituta, cujus hæc est formula.

*Diatartarum solut. Qvercet.*

Acc. foliculorum sennæ tenuissimè pulverat.

verat. ʒ vj. cryſtallorum tartari optimè præparatorum ℥ j. fœniculi dulcis aniſi ana ʒ j. cinnamomi ʒ ß. ſaccari roſati ℥ j. ß. miſce fiat pulvis. Præparationem cryſtallorum tartari docuimus in prædicta noſtra Pharmacopœa. doſis hujus remedii eſt cochlear argenteum, nullum ingratum habet ſaporem: Aduſtos, retorridos melancholicoſq; ſuccos ſufficienter & blandè tamē purgat, tartareā & muſcilaginoſam materiam in ventriculo atq; in ipſiſmet vaſis conceptam & ſolvit & deturbat, eoq; nomine tartareis omnibus affectibus confert calculoſis præſertim.

His aut ſimilibus ritè & benignè purgatus, quatuor matutinis ſeqventibus ſeqvens capiet juſculum.

Acc. rad. graminis, aſparagi, fœnicul. petroſel. eryngii quantum lubet, acetoſæ cum toto pimpinell. ſummitatū malvæ violar. ſeminū cucurbitæ, melonū, biſmalvæ, itidem pro lubito: fructuum alkekengi numer. vj. florum geniſtæ p. j. limonii medii ſegmenta cum ſuo cortice, cum pullo farcto uvis corinthiacis, atq; capparibus juſcula fient pro quatuor matutinis. Quod ſi fuerit quadrageſima parabuntur cum butyro recenti: & ſalis communis vel marini vice, condientur ſale extracto ex cineribus reſtæ bovis, eo modo quo dicetur: cum conſtet nobis tales

præ-

præparationes in omnibus officinis non fieri. In eodemmet juſculo addes ſi velis vel ℥ j. prædictorum criſtall. tartari: vel guttulas aliquot aciditatis ſulphuris, quo ſvavius & efficacius palato juſculum reddatur. Hæc, inquam, ſingulis noviluniis ſunt facienda. Reliquis verò temporibus ad purgandum ſtomachum à mucoſitatibus & viſcida ſeu materia tartarea, eundemq; una eademq; opera roborandum, ſvadeo ut ſemel in ſeptimana etiam in hyeme capiat duas aut tres pilullas maſtichinas aut de hiera cum rhab. idq; paulo ante prandium aut cœnam.

*Pilul. de aloë Quercetan.*

Pilullæ aloës noſtræ deſcriptionis (cujus eſſentiam extrahimus cum aqua endiviæ in Bal. mariæ) ſeparando terreſtrem atq; inutilem ejus fœcem, additis ſuccis depuratis roſarum pallidarum, roſarum moſchatarum, florum quinetiam cichorii & bugloſſ. & eſſentiis, ſeu extractis rhab. ſennæ cum paucis guttis olei aniſi, pulveribus item maſtiches, myrrhæ & croci, ut omnia in pilullarũ maſſam redigantur) longè præſtantiores ſunt ad hunc ſcopum quàm omnia prædicta. Nam benignè admodum purgant, & balſami alicujus loco ſunt ſtomacho atque hepati: Doſis exigua pilulla, magnitudine piſi, quæ mira præſtat pro evacuatione, & roboratione prædictarum partium. Hæ pilullæ deſcriptæ ſunt

ſunt fuſius in noſtra pharmac. Ad roborationem verò particularem ventriculi, plurimum confert pulvis digeſtius ſumendus poſt paſtus, ad quantitatem unius parvi cochlearis, ſtudio ad id parati.

Acc. aniſi fœniculi dulcis ana ℥ iij. Coriandr. præpar. cum ſucco cidoniorum ℥ vj. ſalviæ exſiccatæ & in tenuiſſimum pulverem redactæ ℈ij. coralli præp. margarit. præparatar. ana ℥ ij. conſervæ è roſis ſiccis ℥ j. cinnamomi ℈ iiij. maſtiches ℈ ij. ß. ſaccari roſ. tab. ad duplum omnium. Miſce: fiat pulvis quo utatur, ut dictum eſt.

Aut loco juſculorum quorum ſuprà mentionem fecimus, ſingulis menſibus ſumendorum, poſt levem aliquam purgationem, quę ſemper prędecedere debet, capiet parvum cochleare de pulvere ſeqventi ſpecifico contra generationem calculi, hic pulvis quinetiam ad urinæ tarditatem & diſuriā confert.

Acc. nucleorum meſpilorum, milii Solis, ſem. bardanæ, ſaxif. alth. aniſi. fœniculi dulcis āna ℥ iij. criſtallorum, tartari ℥ vj. lapillorū, qui in aſtacis reperiuntur (qui vulgò oculi cancri vocantur) ℥ ß. ſalis reſtæ bovis ℥ j. cinnamomi ℥ j. ß. ſaccari violati ℥ ij. ß. miſce fiat pulvis. Quo ſumpto ſuperbibat parum vini juniperati, vel aqvæ nephrocathar- *Pulvis antinephriticus Querc.*

cibus, parabuntur vina hydromellita, oxymellitaque antinephritica, qualia descripsimus in pharmac. nostra. Uti poterit hisce remediis duobus tribusve matutinis continuis (post prædictas evacuationes) jusculorum loco. Atq; hæc curæ prophylacticæ inserviant sive præcautioni.

Quod verò attinet ad therapevticam: ea utemur tum cùm morbus & dolor nephriticus eminentissimum virum infestabunt.

In quo negocio clysteres plurimum possunt & promptè proficiunt: clysteres, inquam, convenientes & ex arte idoneo tempore administrati.

Primus itaque anodynus esto talis.

Acc. summitatum alth. malva. violar. parietar. mercur. branchę urs. berulæ, semi. lini fœnugr. alth. florũ camomillæ, meliloti, sambuci & summitatũ anethi q. suff. coq; in jure capitis arietini, id ℔ j. colaturæ dissolve diasebest. hieræ mellitæ ana ℥ vj. mellis anthosati ℥ j. ß. olei rutac. & liliorum ana ℥ j. croci ℈ j. vitellum ovi unius misce, fiat clyster.

Dolore urgente, utendum frequenter iteratis clysteribus, additis decoctioni seminibus carminativis (si flatus adsint, sicut ut plurimum accidit) & baccis lauri atque juniperi, dissolutaq; ℥ j. bened. laxativæ elect. de baccis lauri: ultimis clysterib. addes the-

re-

ſter injiciendus erit, & in eo per quadrantem horæ conſtituto exhibebis ſeqventem potiunculam.

℞. olei amygdalarum dulcium rec. extracti ℥ ij. ß. vel tres vini albi & aqvæ nephrocatharticæ præſcriptæ, vel betonicæ aut argentinæ ana ℥ j. ſucci limonum ℥ ß. miſce fiat potio.

Quod ſi morbus adeò rebellis & contumax perſeveret, & prædictis non cedat remediis, nihilominus ſæpè iterandus continuandusq́ue uſus præcedentium clyſterum. Præterea imperabis denuò balneum vel ſemicupium: tumq; ad ea deveniendum quæ calculum in ureteribus retentum diſſolvant ac rumpant, unde intolerabilis ille cruciatus. In quam rem priſci varia remedia præſcripſerunt cùm ſimplicia, tum compoſita ad lapidis attritionem expulſionemq́;.

Inter ſimplicia ſunt lapis lyncis, Iudaicus, lapis ſpongiarum, vitrum combuſtum, ſangvis hircinus præparatus ſecundùm Aetium aliaq́; plurima.

Inter compoſita primum locum tenent elect. lithontrib. nephrocatharticũ, & juſtiũ Nicolai, elect. de cineribus Clementis, de cicadis Manlii, de lepore combuſto Montani, compoſitiones novem Myrepſii calculum conterentes, aliaque ſimilia priſco &


nostro ævo comprobata etiam à doctissimis, expertissimis & celeberrimis medicorum. At nós ad suppressiones urinarum & comminutiones contractionesque calculi utimur non cineribus, sed salibus benè purificatis, extractis ex cineribus convenientibus, ut testæ bovis & ex radice Buphtalmi, betonica, milio Solis, cortice fabarum, & similibus quæ singularem effectum producunt in hoc casu: quibus adnumerandum sal extractum ex ovorum corticibus, ex osse sepiæ, itemq; sal tartari dulcoratũ cum spiritu vitrioli, vel liqvore acido sulphuris aliisque similibus ad qvantitatẽ mediæ drachmę exhibitis cum aqua raphani, cepæ, aut allii, vel cum aqua antinephritica curativa nostræ descriptionis, ut seqvitur.

*Aqua antinephritica Quercet.* Acc. succi raphani limonum ana ℔ j. ß. aqvarum beton. argentariæ, saxifragiæ, verbenæ ana ℔ j. hydromellitis malvatici ℔ ij. in his liqvoribus simul mixtis macera per quatuor aut quinque dies ad ignem lentum Bal. M. granorum juniperi maturorum & recentiũ contusor. ℥ iij. milii Solis, sem. bardanæ, raphani majoris, saxifrag. urticæ, cepæ, anisi, fœniculi ana ℥ j. ß. quatuor sem. frigid. majorum mundati seminis alth. ana ʒ vj. speci. linthontr. electuarii Ducis & Iustini Nicolai ana ℥ ß. calcis testium ovorum cinnamo-

namomi ana ℥ iij. camphoræ ℥ ij. dein fortiter exprimantur & destillentur per cineres: de hac aqua exhibe ut suprà: quæ sola exhibita ad ℥ ij. mira præstat in suppressione urinæ, contritione & expulsione calculi. Cui aqvæ si sal proprium ex arte paratum & convenienti qvantitate addas, longè præstantius evadet remedium: vel si ipse addideris ℈ j. extracti betonicæ. At vera & genuina ad attritionem & expulsionem calculi specifica sunt, essentia seu crystalli liqvor: & oleum camphoræ cum proprio menstruo paratum, & ad ℈ ß. exhibitum cum vino albo aut unà ex aqvis prædictis aliisve convenientibus. Hæc, inqvam, extrema sunt remedia, extremis his morbis adhibenda, aliisque omnibus præferenda







# DE LVE VENEREA.

## CONSILIUM TERTIUM.

*Ad celeberrimos viros D. Michaëlem Marescot, Guill. de Ballov, Ioannes, Martin, Hautin, Riolan, Duret: Simonem Pietre, Petrum Seguin. Iacob. d'Ambyse, Anton. Quiquebœuf, Petrum Ponson. professores & medicos Academiæ medicæ Parisiensis, mihi vel mutuis consultationibus vel familiari consvetudine cognitos & amicos: viros utiq; omni doctrina & eruditione clarissimos.*

HOc meum de lue venerea consilium nobili cuidam amico efflagitanti impertitum, cùm in lucem edere constituissem: Cui potiùs quàm vobis, viri celeberrimi, & omni scientiarum genere instructissimi consecrarem occurrit nemo. Qui si occurrisset nec vobis præferendus videatur, ex quibus in idem argumentum, graves utique sententias sæpè audivi, & auditas recolui. Ergo & quod meminisse ex vobis juvit, & inter consultandũ, quę graviter acutè & sapienter à vobis de hoc eodem subjecto disputata sunt mecum, compulerunt, ut hujus mei opuscu-

pusculi patronos vos unicos deligerem: fretus si consilium hoc meum lectione dignemini, vos & vestigia quædam eorum quæ doctè & judiciosè aliqvando pronunciastis aspersa, agnituros: & me si quid de meo appositè & ad rem attulero,pro candore & benevolentia vestra recepturos & examinaturos:Mea enim talibus & tam eruditis lubens pensitanda submitto.

*Syndrome causarum &c.*

Syndrome causarum, atque symptomatum: ad hæc signa diagnostica atque antecedentia, cujusmodi sunt ulcera virulenta, atque cancrosa exorta in virga non multo post coitum cum fœmina impura:itemq; ulcera in palato & faucibus,quæ jam penè totam vulvam exederũt,adeoq; ad ipsum quoque os spongiosum nasi penetrarunt: præterea œconomia facultatum corporis, sed naturalium potissimùm,quas plurimùm depravatas in hoc corpore, de quo nobis hoc loco habenda est consultatio, cernimus, satis manifestè produnt hunc ægrum laborare lue venerea. Signa enim prædicta, tam pathognomica, quàm epigenomena, evidenter nobis ostendunt naturam, & qualitatem mali,adeoque inter ejus morbi differentias, seu gradus,summum jam attigisse.Quæ sanè lues affectus est contagiosus, tuberculis,ul- *Luis venereæ differentiæ.*

Cc 3 ceri-

ceribus, maculis, cruciatibus & doloribus sæviens, concubitu, aut alio impuro contactu suscitatus. Quem morbum, atq; symptomata omnia, licet jam multis remediis atq; diætis vulgò dictis pro omnimoda eradicatione multi sanare aggressi sunt (ut gvajaci decocto, frictionibus argēti vivi, seu mercurii) jam à biennio, ex quo æger primum tactus, atque infectus fuerat, nihilominus tamen ita semper, atque etiamnum denuò repullulat, ut altiùs ac firmiùs eum radices egisse certum sit, quàm ut levi nunc & ordinaria illa regiminis ratione extirpari possit. Quapropter luē hanc in quarto gradu constitutam, seu quartam, postremam atq; perniciosissimam dicimus differētiam. Constat

Differentia. enim & in confesso est apud medicos doctiores, quatuor esse hujus inquinamenti venerei differentias: quarum prima omnium

I. levissima est atque mitissima, in qua solùm capitis, & barbæ pili decidunt, & signum, seu ratio potiùs est, quòd hujus vis maligna in tenui aliquo vapore consistit, cujus vehiculo ad summa corporis, ac pilorum usque radices diffunditur. Hæc freqvens est in Italia. Secunda species deterior existit, qua univer-

II. sa cutis maculis pluribus lentiginum instar est referta, quæ maculæ modò rubræ, modò flavæ non extuberantes apparent: quam speciem

ciem comitatur interdum gonorrhœa ipsa virulenta. Hæc in tenuissimo sangvine venenatam qualitatem habet, neque graviora ulla seqvuntur symptomata. Tertia species gravior est ac vera lues, in qua pustulæ rubræ, ac flavæ, eæque siccæ apparent per universum corpus, maximè verò in fronte, temporibus, ac propè aures: nunc ulcera maligna, & circa pudenda & in ore, ipsisque faucibus, ut in hoc subjecto efflorescunt. Hujus vis maligna jecur ipsum occupat, ac proinde sangvinis humorumque massa inquinata est, à quibus mox partes molles, atque carnosæ inficiuntur. Quarta species omnium perniciosissima, funestissimaque est, nempè cum solidæ partes, ut ossa, vincula, membranæ & nervi infestantur: unde tophi, nodi, dolores & cruciatus, nocturni præsertim, infestissimi. Nam signum est mali semina jã altiùs subiisse, ac adeò firmas jam radices egisse, ut pulchros ejusmodi fructus ad perfectam maturitatem produxerit, qui misero huic patienti tam sæva pariunt symptomata. Ex quibus profectò satis apparet, contagiosorum morborum causas, (atque adeò hujus, de quo modò nobis est sermo) potiùs esse tenues, subtiles, atque spirituosas, quàm crassas, materiales, & pituitosas, ut nuperi quidam statuere non sunt ve-

III.

IIII.

riti, licèt præter rationem. Nam cùm in ſpiritu eſſentiam ſuam collocaverint, adeoque ſpirituales ſint, ſpiritibus quoque facillimè communicantur inſinuanturque. Id quod etiamnum apertiùs patebit, ſi cauſas ejus externas, internaſq; attentiùs perpenderimus, ac æſtimaverimus: in quibus major rectè ſentientium, ſapientumque medicorum pars conſentit. Quippe externa hujus mali

*Cauſa externa.* cauſſa, ex eorum opinione & ſententiâ, quæ à me comprobatur, eſt impurus concubitus, aut aliqua alia contagio ex ſudoribus, halitu, ſputis venenum morbi in aliud corpus inferens. Hæc externa cauſa ex ſpiritu maligno, aut quadã aura venenata ſuborta, cum ſpiritus noſtros, ſeu potius noſtrum ἔμφυτον, & σύμφυτον, innatumque calorem, mannam noſtram cœleſtem, vivificam illam balſami humani radicem, inficere, & afficere videmus, non ſolùm hujuſce contagioſi morbi radices patefecit, ſed & ipſa tranſplantationis documenta ponit: cum ex impuro illo contactu, ab uno ſubjecto infecto, in aliud venenum transfundatur. At internæ cauſſæ, quas cenſent omnes eſſe ſpiritus, atque humoris quendam tabum malignum, qui nobiles dein partes eo veneno inquinet, quæ maligna illa qualitate imbutæ, iſtud virus in corpoream molem inferentes, ſatis ſuperq;

de-

declarant, ex ſpirituali eademque impura, & tabifica impreſſione, ſeu tinctura, aut aliqua alia maligna, & venenata qualitate balſamum illud radicale, vitale illud principium,& ſemen vivificum infectum eſſe: unde fructus illi venenati, commemorata nempe ſymptomata efflorefcunt. Quod vitale ſemen alioqui nobis (ut & rebus omnibus) eſſentiam vivendique facultatem præbet; quique mobilem, & momentaneam individuorum naturam ſtabili, & firma ſpecierum conſervatione ab interitu præſervat. Hic univerſam œconomiam corporis humani regit, moderatur atque gubernat; qui rector & gubernator Archeus nonnullis dicitur ab Hipp. φύσις αἰ ϑρέπτων, faciens alimentorum attractiones,expulſiones, mixtiones, ſeparationes, concoctiones: qui dat,qui accipit, minora minoribus,majora majoribus adaptat, homogenea homogeneis, heterogeneis heterogenea, quantum in ſe eſt arcet,evincit abigit,tum maximè, cùm purũ, & ab omni labe mundum eſt vivificum id vitæ noſtræ principium. Interdum tamen adeò perniciosè inficitur vitale illud ſemen, ut propagatione in tertiam, & quartam generationem, conſerventur illarum impuritatum impreſſiones.Sic morbi contagioſi in hæreditarios degenerare poſſunt: qui mor-

bi certa illa, atq; continua propagationum constantia, præsentem seminis sui, hoc est, maligni vigorem ostendunt. Quod si dixerim hunc morbum, ut & plures alios, & radices, & semina habere, loqvar cum summo nostro dictatore Hippocrate, qui in libro de flatibus scripsit in hunc modum: morborum omnium modus unus est, nempe is, qui ex seminibus,& radicibus proficiscitur. Sed ista omnia nobis plus satis repræsentãtur in hoc morbo, de quo nunc est quæstio: cujus origo nobis sufficienter ostendit impuritatem, malignitatemque sui seminis. Deinde progressus, dum totam corporis œconomiam penetrando, ipsa etiam præcipua, denique & solidissima membra occuparit, atque infecerit, ita ut nullis nec artibus, neque remediis, etiam propriis atque legitimis, quibus toto ferè anteacto biennio usus est hic noster æger, hactenus evinci, & extirpari potuerit. Hæ sunt illæ radices, quæ tam firmiter inhærentes germina isthæc, atque stolones sibi similes, hoc est, malignos atque venenatos proferunt, atque expullulant: cujusmodi sunt ulcera faucium, cæteraque antedicta symptomata. Latissimum hercle hîc ingressi sumus campum, in quo de morbis contagiosis, & speciatim de venereo contagio, de quo sermo nunc est, discurrere licet,

ut

ñt de qualitate ejus veneni: cur infectæ meretrices hos majori, atque infeſtiori, alios minori, levioriq; virulentia inficiant: cur item alii nulla ratione infecti prorſus impunè evadant: aut ſi vel aliqua ex parte aliquo contagio inqvinentur, id tamen adeò ſit leve, ut facillima curatione promptè extirpetur. Tales, & aliæ multæ elegantes atque utiles qvęſtiones circa hunc affectum ſuboriri poſſunt, quæ vel curioſiorē indagationē mereantur: ſed conſultandū mihi hòc loco eſſe video, non docendū: & poſtulat conſultationis ratio contemplationis ſuccinctam atque exprompt am brevitatē, adminiſtrandorum verò, exhibendorumque medicamentorum rationem fidam, apertam, ſufficientem, hoc eſt indicationibus omnibus, quod ſatis ſit, reſpondentem. Quapropter prædictas dubitationes, nunc ſicco pede tranſimus; uberius de iis, aliſque multis, alio loco & occaſione, publico ſcripto, ſi Deus vitam conceſſerit, acturi. Dicam tamen, & tribus tantùm verbis, magnam prælibatarum difficultatum ſolutionē referendam eſſe ad inſignē vigorem exactamque nectaris vitæ noſtræ, vel balſami radicalis puritatem. Hæc illa eſt interna, atque congenita antidotus, hic oppugnator eſt contagioſi illius tabi, ne primigenia ſua ſedes, atque fundamentum radi-

Quæſtiones perdifficiles.

Solutio.

dicale inqvinetur,occupeturque. Balſamus; inquam, vitæ, Hercules ille eſt, qui vel in principio ſtatim, primaque invaſione arcet, oppugnat,ejicit. Hoc eximiè patet in expulſibus illis venereis, quos, ſi cum Græcis loqui libeat, κρίσεις κατὰ μετάστασιν haud ineptè dixeris. Bubonibus,dico,venereis, quos natura,& inſitus ille vigor protrudit,artiq; viam oſtendit, ac modum, quo velit juvari, ac liberari:ut medico ſagaci nunc facilè ſit dijudicare attractionem, vel potiùs extractionem illius contagii venenati moliendam eſſe, ventoſis atque emplaſtris attractivis convenientibus. Deinde ad maturitatem redactum bubonem, diu adapertum eſſe tenendum: ut longo tempore omnis maligna lues exhalet, atque extillet: non neglectis interim evacuationibus univerſalibus antidotiſq; propriis & ſpecificis. Sed videmur hîc extra cancellos, atque limites digreſſi de curatione agentes nondum abundè ſatis omnibus explicatis cauſis,aliiſq;, quæ curationi præmittere in conſilio convenit. Quare ut ad priora redeamus, iſtud volumus, ſtatuimus, & pro rato indubitatoque habemus, ſubjectum, locum & quaſi portitorem luis venereæ, eſſe ſpiritum naturalem,potiſſimum qui in ſangvinea maſſa conſiſtit. Hic quippè contactu illo impuro qui per copulā

fit

fit veneream, primùm atque primariò contaminatus,paulatim ſangvinem cui inhæret inficit,inqvinat,quo cum in corpus diffuſus, ut alimenti vices ſubeat, pro nutrimento, quod natura appetit, tam pulchra fercula, ulcera, tophos, nodos, atque cruciatus immanes apponit. Atque eò uſq; tandem progreditur,ut pòſt ſangvinem hepar primùm, dein partes carnoſas, tum nervoſas, membranoſas,tandē etiam vincula, parteſq; ſolidas invadat, occupetq;: uti jam dictum. Et quî poſſit aliter? nimirum alimento ſuo inhians natura,cum eo,quod jam inqvinatum eſt contagio, maſſa,inqvam, ſangvinea contaminata, prædictos ſibi aſciſcit fructus.

Opportunè hîc adducere mihi videbor pulchram illam ſententiam noſtri Hippocratis: *Iiſdem nutrimur, quibus conſtamus:* cujus explicatio ex iis, quæ modò dixi haud intempeſtivè deſumi poteſt. Elegans etiam hoc loco inſtitui poſſet diſqviſitio, ſi perqvireremus, cur aliqua venena citiùs atque potiùs hos ſpiritus quàm illos inficiant: canis rabidi morſu injectus livor, quacunque tandem id fuerit parte, cerebri ſpiritus animales:viperarum & ſcorpionum vitales cordis: lepus marinus pectus atque pulmones: cantharides veſicam: luis denique venereæ labes naturales ſpiritus,ac potiſſimùm hepar con-

contaminet. Sed & iſta in alium locum atq; tempus reſervamus. Sufficiat nunc in rem præſentem, de qua hîc agimus, morbi venerei venenũ, in ſpiritu naturali, & ſpeciatim in tota maſſa ſangvinis reſidere, cui primum & principaliter contagium impertiat, quod omnino exactè ſciri atque intelligi à nobis oportet, ut eò fœliciùs ad curam, ad quam nunc accingimur, perveniamus. Omittentes etiam hoc loco præter ordinem & morem noſtrum, ipſum prognoſticũ, quod non poteſt eſſe, niſi dubium & judicii ſuſpecti. Etenim morbus inveteratus, magnitudo, & in iteratis etiam curationibus contumax magis atq; ferocior redditus, nihil aliud quàm ſiniſtram conjecturam promittunt. Adferamus ſanè licèt omnes ſcopos indicationeſq; curativas ad emendationẽ purificationemq; ſangvinis, ad corroborationem & reſtaurationem facultatis naturalis, cujus œconomiam in hoc noſtro ægro planè perverſam novimus, ſed vereor, & vereor herclè, ne id fruſtra, conandum tamen aliquid, ne arte & artifice, aut etiam remediis hic noſter deſtitutus videatur.

*Prognoſt.*

*Tranſitus ad curam.* Non temerè vulgò noſtri dicunt, ſudare luem aut puſtulas venereas (*ſuer les verolles*) Eſt enim ſudor haud ſecus, ac urina, ſeroſior pars maſſæ ſangvineæ: quamvis ſudoris ſub-

ſubſtantia multò ſit tenuior, quàm urinæ. Cùm itaque naturam videamus in plurimis morbis, ac febribus potiſſimùm continuis, & putridis, quæ ex corrupto ſangvine excitantur, magna ex parte moliri criſes ſalutares, maliq́ue ſolutionem per ſudores : hinc ars, vel potiùs ſagaces artifices naturam imitantes, etiam vi, ſudores provocarunt, ut ſangvis veneni luis venereæ labe infectus purificetur, maliq́ue immanitas atque ferocia dometur. Remedia quibus illud præſtant hydrotica, diaphoretica, & ſudorifica vocarunt. Horum plurima extant genera diverſis malis accommodata: at communiſſima ſunt, ſalſa parilla, chinæ radix, ſaſſafras, quod à paucis annis innotuit, & luis venereæ ſpecificum, lignum gvajaci, alias Indicum, quod ex India primùm attulerunt Hiſpani. Atque utinam non mercem hanc indicam, deteſtandam, inqvam, hanc luem, nunc (proh dolor) toti ferè Europæ familiarem, nobis pro perlis orientalibus importaſſent. Noſtra etiam Gallia à profectione Regis Caroli octavi Neapolim facta, cujus milites ibi cum Hiſpanis impuris converſati ſunt, in eorum reditu hoc contagio conſperſa fuit: nimirum ut florentiſſimum hoc regnum nullo careret malo, quo non ultimis iſtis temporibus affligeretur.

tur. Sed ad propositum. Ab Indis itaque primùm contagii venerei remedium atque antidotum nostris Europæis innotuit. Estque Indis gvajacum semper proprium certumque remediũ: vel quod lues hæc (quam malè ab origine quidam Indicam dixerunt) non tanto, & tam firmas radices agente contagio infestet, ut apud nos sit: vel quòd jam assveti ab eo minus patiantur: vel denique quod natura atque temperamento, quàm Europæi nostri sint fortiori. Nam, ut liberè fatear, quod res est, à nobis solum illud remedium insufficiens est deprehensum, fortè quòd istud venenum transplantatione plus malignitatis atq; contagii contraxerit. Quapropter ad sufficientem tanti veneni expulsionem, jam dictis sudorificis opus fuit addi multas præparationes, evacuationes, atque aliorum alexipharmacorum purgationes: ad hæc, tam strictam atq; exactam vivendi regulam, ut hujus mali cura, diætæ nomen generale, sibi tanquam proprium apud vulgus asciverit.

*Curatio, & quid in ea considerandum sit.*

Porrò in remediorum atque regiminis administratione, ne voto suo frustrentur ægri, & remedia sine ullo profectu notabili, (sicut plurimum evenire videmus) adhibeantur, multa sunt consideranda. Primùm itaque hujus mali differentia, species, atque vene-

veneni qualitas perpendenda, num modò incipiat pullulare, an jam altiùs radices infixerit: tum temperamentum atque natura ægri: deinde tempus, atque ordo, seu methodus, quam sequi debeat in remediorum usu. Nam ut rem paulò specialiùs attingamus: si ægrum infestet vel sola aliqua inveterata vel incurabilis gonorrhœa, quàm comitetur ardor urinæ, sitq; verè venerea, hoc est, contagiosa, omnino tum ad specificum est deveniendum.

In quo sanè casu diætæ atque hydroticorum usus suspectus est, quod & sangvinem calefaciat, & urinas reddat acriores, ideoque luem jam præsentem nobis ostendat. Tum igitur ad specificum deveniendum est. Nam hydroticῶν usus cum diæta consveta, sangvinem, ut dictum, ardentiùs inflammant, ac proinde serositatem quæ est in materia urinæ, reddunt ardentiorem: ideoque malum augent potiùs quàm sanat: ac proinde non sunt admittenda, ac tantò etiam minùs, quòd appareat ejusmodi gonorrhœam inveteratam jam altiùs radices fixisse, quàm ut prædictis hydroticis tanto, & tam valenti hosti, imparibus expugnari possint. Hæc secundo loco sunt consideranda. Tertio si forte æger hepate sit impensè calido, ac sicco, ipsumque corpus extenuatum, ut non rarò

 ob-

obſervare ſolemus, in his profectò provocatio ſudoris non eſt tuta, & utilis, ſed potius noxia, ideoq; rejicienda, quod plus obſit, quàm proſit.

Quod ſi verò lues hæc recens ſit admodum, & veneni vis conſiſtat tantùm in vaporibus, & materie halituoſa, ſeu ſpirituali, tum ſanè ſudorificis faciliùs diſſolvi, atque exturbari poteſt, quod nondum hepar occuparit, aut firmius contagii baſim collocarit in partibus membranoſis, atque ſolidis: quodque nondum humori craſſo permixta, evaporationem, tranſſudationemque ſubeant faciliùs.

At verò, ſi æger, εὔσαρκος, hoc eſt bene carnoſus, & pingvis ſit, aut complexione molli, humida atq; craſſa, tum gvajaco ut ſufficiẽti remedio malum evinci, totaque curatio ad votum abſolvi poteſt. Sed tempus præterea conſiderandum: ordo item ac methodus, qua ſit utendum, aut incedendum, ſicut jam dictum eſt ſuprà. Nullatenus enim probare poſſumus illas diætulas, quas in duodecim aut viginti tantùm dies præſcribunt: quibus ægris, aut ipſi etiam morbo adulantes, humores commovendo, ac laceſſendo, luem potius exaſperant, ac irritant, quàm ſuperent, aut extirpent. Quin potius quinquaginta, aut etiam ſexaginta, vel ſi ita factu

vi-

videatur opus, plurium dierum ſpacium, veris & legitimis diætis dicandum judicarim. Iam quod ordinem ſpectat, vel methodum, qua pleroſque uti comperio in adminiſtratione dicti hydrotici, quam levi quadam præparatione, hoc eſt purgatione, miſſioneque ſangvinis, ſi opus ſit, auſpicantur: mox ſudorifico propinato extraordinariè, & importunis ſtragulis ægrum cooperiunt, involvunt, & lateribus calefactis variis corporis partibus applicatis magna vi ſudores proliciunt: talem, inqvam, ſudores provocandi rationem prorſus improbamus, quippè quæ & naturam violet: & ante debitas, atque legitimas præparationes peractas, res crudas, atque indigeſtas expellere, contendunt, contra Hippocratis præſcriptum. Unde fit ut attenuati & ad extremam debilitatem redacti ægri, in media cura deficientes, eandem negligant, planeque deſiſtant, quod ſe plus læſos, quàm adjutos intelligant. His itaque aliiſque incommodis prævisis, noſtrum eſt in ordinem, debitamque adminiſtrationis formam redigere uſum prædicti remedii, ut & huic ægro, (de quo modo agimus,) & cuivis alteri indigenti, cum majori honore medici, ſanitatis commodo, poſſit adminiſtrari, quàm fortè antehac præſtitum fuit. Hocque faciemus nullo præſumptionis aut

*Ordo ſive methodus curativa.*

vanæ gloriolæ captandi studio; sed ut faciamus, quod pium circumspectumque deceat medicum, proximique amantem. Quapropter dona, quæ Deus singulari sua gratia nobis liberaliter in pervestigandis naturæ secretis variisque cum doctissimis expertissimisque artis utriusq; Atlantibus Europæis, jam per triginta annos à nobis comprobata tandem proferamus, atque demus in publicum. Atq; hoc non ut legem præscribamus aliis, sed ut censuræ atque judicio vestro atque celeberrimorum artificum Asclepiadæorum, quod candidè facimus, nos subjiciamus.

Ergo minorativi alicujus, ut cassiæ cum rhabarbaro, alteriusve similis loco, quæ ad expurgandam primam corporis regionem, itemque missionis sangvinis loco, quæ die seqventi, minorativi, si plethora adsit, & venæ turgeant, institui solet: præterea vulgarium illarum præparationum vice, quæ apozematis perficitur, paratis ex decocto polipodii, seminis carthami radicum tormentillæ, acetosæ, oxilapathi, barbæ hirci, graminis, asparagi, herbarum cichorearum, buglossi, scabiosæ, agrimoniæ, lupuli, betonicæ, chamædrios, camepythios, & herbarum capillarium: seminum cardui benedicti, anisi, citrii & corticis ejusdem: florum genistæ,

ca-

calendulę, rorismarini, stœchados, violarum, boraginis, buglossi, rosarum rubrarum: in quo decocto dissolvunt syrupos conservationis citrii, de limonibus, de succo acetosæ, de pomis redolentibus hisque similibus, ad præparationem, digestionem alterationemque humoris maligni atq; peccantis accommodari solitis in sex, septem, octo, pluresve dies. Item loco purgationis, quæ fit ex infusionibus rhabarbari, sennæ, agarici, adjectis etiam confectionibus, hamech, tripherę Persicæ, electuarii indi majoris, vel minoris, aliisque id genus medicamentis crassis atque viscosis, torridis atque malignis humoribus evacuandis destinatis: Horum, inquã, omnium plurimorum aliorum præparantium, atq; purgantium loco (quę in communi sunt usu, quæque non alia de causa improbamus, quàm quòd à plerisque mirum in modum fastidiantur) nos una & simplici decoctione specifica ex eodem gvajaco parata, erimus contenti, quæ ægritudinem talem contagiosam, uti diximus, plus satis oppugnabit, & humores malignos eadem opera præparabit, atq; purgabit: idque paulatim, nulla vi, nulla violenta commotione, sed benignè, sed lentè, & multo tempore, sicut omnino opus esse judico in morbo adeò contumaci, atque diuturno, & veneno, seu conta-

tagio jam materiæ crassæ, ac retorridæ impresso. Nec fatigabitur eo remedii genere, nec ullam manifestam debilitatem incurret: sed firmior potius reddetur de die in diem, partibus à maligna illa colluvie liberatis, medicamentiq; benigna facultate roboratis. Sic itaq; parandum censeo.

Decoctum. ℞. rasuræ cordis ligni indici, & rasuræ cort. ejusdem ana ℥ iiij. sem cardui bened. ℥ j. ß. ulmariæ m. j. florum hyperici p. ij. florum rorismar. p. iij. santali citrini ℥ ß. aqvarum fumariæ lupuli ana ℔ iiij. macerentur per 24. horas ad ignem lentum: dein coqvantur ad unius tertiæ consumptionem. In colatura clarificata adde foliorum sennæ mundatorũ ℥ iij. macerentur denuò ad ignem lentissimum per duos integros dies, tandem transcolentur per manicam Hippocratis, dulcorentur, & aromatizẽtur cum sufficiẽti quantitate saccari, & cinnamomi. Capiat de hoc decocto ℥ iij. vel ℥ iiij. manè tribus horis ante prandium. Continet hujus decocti usum per qvindecim vel viginti dies ad minimum. Primis quoq; diebus, si aliquot exhibere voles cochlearia, ut ℥ j. aut alteram de eadem decoctione, hora quarta vespertina, non fuerit inconsultum: præsertim tum quando alvus fortè non satis sit lubrica, atque aperta. Quod si tamen natura sufficienter purgetur,

tur, ſufficiat conſveta potiuncula matutina. Eadem temporis progreſſu paulatim de die in diem poteſt imminui.

Hoc remedium continuatum eo, quo dictum eſt, tempore, optatum effectum producit, nec ullam moleſtiam ægro creat. Nec intermittet iccircò negociis ſuis domeſticis incumbere, aliiſq;, ut propterea in lecto, ſtupha, vel conclavi, ipſum detineri minimè neceſſe ſit. Cum igitur prædicto decocto, quod præparationis ſimul, & purgationis vicem præbet per viginti dies fuerit uſus, ſine dubio magna humorum delinqventium pars evacuabitur. Tum reliqua pars etiam, quæ reſtare poteſt, digeſta atq; attenuata, ut faciliùs, & commodiùs conſumi, atq; per exhalationem ſudorificam extirpari poſſit: tum utiq; hydrotici ſpecifici tempeſtivus erit uſus ergò.

℞. raſuræ ligni indici ℥ vj. ſalſæ parillæ ℔ ß. ſaſſaphras ℥ iiij. rad. petaſites, filicis, ana ℥ ij. cinnamomi caryophyl. ana ℥ ß. macerētur per 24. horas in ℔ xij. hydromellitis simplic. Dein coqvantur ad medietatis conſumptionem. De colatura moderatè calida capiat ℥ vj. vel vij. manè hora quarta vel quinta matutina, atque mox ſuperdormiat, ſi poſſit, tectus plus ſolito, ſudet, tergatur: caveat à frigore & vento, prandeat nona: cœ- *Hydroticum.*

net verò sexta Antequam autem prædictam capiat potionem, priùs deglutiat avellana majoris magnitudine de opiata seqventi.

*Opiata.* ℞. conservæ florum, cichor. buglossi ana ℥ j. conser. florum rorismarin. ℥ ß. theriac Alexandrinæ ʒ j. ß. confect. alkermes, & d hyacintho ana ʒ ij. ß. diacorallii diatria sant diambræ, & diamosci dulcis ana ʒ j. lapidi bezoardici ℈ j. cornu cervi præpar. margar præpar. ana ℈ iiij. cum syrupo consf. citrii. F at opiata qua utatur ut dictum est. Quod sub finem prædictæ decoctionis nodulum lineum cum ℥ ß. mercurii ex cinnabari ex tracti, atque calcinati, & rursus in pulverem redacti per odorem spiritus sulphuris im merseris, mirabiliter ejus vires intẽdes, atq augebis. Eritq; specificum hydroticum a extirpandam sanandamq; luem veneream

*Diæta.* Quamdiu verò prædicto hydrotico utetu necesse est, ut diætam, seu vivendi consve tudinem exactissimam, strictissimamqu observet: comedet igitur bis coctum tantùm panem: decoctum, pro potu ordinario par bitur, ex salsa parilla, china, & ligno ros rum, coctis in prædicta quantitate aqu dulcorari, & svavius reddi potest saccaro cinnamomo, ut palato sapiat magis: quo u potest, & intra pastum, & extra, omni hor Non comedat nisi unicum genus cibi,

pu

pullos, vel pipiones assatos potius, quàm elixatos. Pro mensa secunda contentus erit uvis damascenis, aut corinthiacis.

Quod si fortè accidat, ut tempore usus prædicti hydrotici alvus sit sicca, aut astricta, remollienda erit clysteribus emollientibus sæpè reiteratis, sexto quoque die repurgandus erit cum levi aliquo pharmaco intermittendo ea die usum hydrotici.

Hanc diætam, atque vivendi rationem studiosè observabit per 25. aut 30. dies ad minus. Quam ut eò faciliùs, immò absque ulla urgenti molestia ferre possit, nolim ipsum ad sudores tanto rigore compelli, sed via media tenenda, ut id quasi impellente natura fiat. Tales enim sudores longè esse utiliores, quàm qui arte fiunt cogente, notius est, quàm ut à me demonstrari conveniat. Adhæc scopus, & præcipua curationis indicatio nequaquam ad illud tendere debet, ut naturam vi aut violentia compellamus per vehementes evacuationes, ut à multis fieri adverto. Neutiquam verò. Tales, quippe morbi causam habent potius qualitate contagiosa ac venenata, quàm copia peccãtem: quapropter, nec tãto, aut tam effero vacuandi opus est modo, ceu quadam quasi Tyrannide. Quin potiùs correctioni hìc esto locus & malignitatem emendanti, seu, ut uno ver-

bo dicam, antidoto ſpecificæ, quòd directè collimet ad malignæ qualitatis emendationem, expulſionemque. Haud ſecus namque ac vaccam, aut bovem, & in univerſum jumenta œſtro, aſylo, horriſono quodam tabano percita, extẽplo poſt ictum aculei intumeſcere videas, in quo veneni illati latitet tabus, quem haud facilè extirpes feliciùs, quàm ſi acculeum tollas infixum, vel manuali induſtria, aut appoſita quadam antidoto ſpecifica parti, in qua veneni vim deliteſcere intelligas: ita quoque planè in hoc contagio acidit: nec multis intrò ſumptis ſudorificis aut purgantibus pellitur vi, ſed prudentia, ſed induſtria, & ritè ad naturæ, & morbi convenientiam adminiſtratis remediis. Nam omnino ea eſt noſtra ſententia, ut naturæ motus, ac impetus diligenter obſervemus: perſpectos, atque cognitos ſeqvamur, atq; juvemus: nequaquam verò eamus audentiores contrà. Hydrotica ſunt quidem diaphoretica, & ſudores movent. Nihilominus tamen interdum fiunt diuretica, & naturam, per urinas malignos humores exturbare conantem, adjuvant: quam omni ſtudio imitari debemus, cum, ut jam antea dictum, putrida colluvies ſangvinis per urinas evacuari non raró ſoleat, atque meliùs, & felicius interdum quàm per ſudores, quod diver-

versitati naturę personarum tribuendū censeo. Atqui hoc præcipuum est medici munus, ut naturam imitetur, seqvatur, & qvantum ad ejus conservationem roborationemque conferre posse intelliget, juvet etiam. Quod nisi fecerit, ineptè sanè naturæ magistrum, (sic solent nuperi quidam) & frustra ministrum ejusdem se profitebitur.

Ecce, quæ in genere pro luis venereæ curatione nobis dicenda videbantur, in quantum gvajaco præcipua medelæ dignitas sit tribuenda: ex quibus tempestivus ac legitimus ejus usus, à quovis sagaci ac circumspecto medico facilè intelligi potest. Iam verò non latet nos, magnos aliquos artis nostræ Atlantes, ac perdoctum potissimùm illum nostrum Fernelium, huic gvajacino ligno omnem & solam vim alexipharmacam luis venereæ statuere, aliisque omnibus præferre. Nec extollere tantùm præ aliis, sed aliorum, ac inprimis hydrargyri usum tanquam perniciosissimum, ac noxium valdè damnare, atque repudiare. Non desunt tamen alii viri doctissimi, atque expertissimi, qui contrarium sentiunt, ac statuunt argentum vivum verū esse hujus mali alexipharmacum. Hinc major medicorum atque chirurgorum in Gallis aliisque regionibus post usum hydroticorum (quæ duntaxat leviter *De hydrargyro.*

ad-

admodum,& superficiariè administrant (
ut jam dictum) ad hydrargyrum tanqua
asylum atque extremum refugiū quodda
recurrunt. Et fiunt sanè præclara experim
ta. Antequam autē de diversis administra
di mercurii formulis, rationibusque eoru
qui ejus usum probant,& verū ac genuinu
hujus contagii antidotum faciunt, disse
mus: necessarium quodammodo esse vid
retur diversarum opinionum rationes a
ducere de qualitate mercurii: sunt enim c
calidissimum, alii qui frigidissimum dica
Verùm cum locus & tempus atque occa
pluribus de hac re discurrere non perm
tat; dicam tantùm obiter utrique parti n
deesse rationes probabiles, quibus suam s
tentiam tueatur. Nam qui frigidissimu
putant, respiciunt ad symptomata, quæ a
fert: cujusmodi sunt tremor, paralysis, n
vorum refrigerium, aliique similes, quo
calore produci posse pernegant: sed eoru
authorem faciunt summam frigiditatem
magis verò etiam urget sensus, qui ad
ctum frigidissimus sentitur.

*Vera argenti vivi qualitas.* Econtra alii, qui calidissimum statuu
pro ratione adducunt citam ejus mobili
tem continuumque ferè motum, virtute
que impensè dissolventem. Horum sanè
tiones mihi longè manifestiores, certior

que esse videntur, quàm priorum. Et confirmari posset posterior sententia infinitis ac prorsus miserabilibus effectis, quę in subtili, ac penetrantissimo hoc mineralium deprehenduntur ab artificibus, & sagacioribus ejus vestigatoribus. Mercurius namque ceu spiritus quidam subtilis, aëreus, & vaporosus cuncta pervadit, ac penetrat, etiamque corpora solidissima metallorum, ut auri, argenti &c. Qui anatomiam ejus internam pervestigarunt, sub albedine illa, atque superficiaria, insignem rubedinem deprehẽderunt cum aliquo liqvore dulci, atque flagrante, cujus operationes sunt mirabiles ad dissolutiones omnium corporum metallicorum. Imò efficacius illud præstat, quàm quævis aqua fortis, quæ vulgò circumferrur. Hi, inqvam, qui eo modo, ac ratione ejus naturam examinarunt de ipsius qualitatibus verè, ac solidè disserere possunt: non illi qui viderunt tantùm, ac vix fortè ac ne vix quidem tetigerunt. Hi, inqvam, ignẽ mercurii internum cognoverunt: cujus rei exactiorem de hac re disputationem in opus nostrum de recondita rerum natura, artisque mysteriis conjicimus. Sed ut ad virtutem mercurii revertamur, quam habet ad extirpandam luem veneream, etiamque inveteratissimam, ut experientia multijuga comprobatum est, tem-
pus,

pus, & ratio nunc postulat, ut de variis ejus mixtionibus, præparandiq́ue modis deinceps differamus. Idq́; ea lege ac omine, ut quæ pejores sunt, nulliusq́ue momenti, rejiciamus, meliores, tutiores, probatioresq́; admittamus, atque celebremus. Subinde quod nostræ, aliorumve amicorum maximæ famę est, experientiæ disqvisitione multa comparatæ inseramus.

Ac primò quidem, non invenio mercurium chymicis, hydrargyron Græcis, argentum vivum Latinis dictum, maximè cognitum fuisse priscis in medicina vel interiùs, vel exteriùs: sed magna eorum pars, quod faciunt adhuc hodie plerique pro perniciosissimo veneno habuerunt. Dioscorides enim de mercurio hæc scripsit: *Lethale potum argentum vivum est pondere suo interanea disrumpens.* Doctissimus Galenus in opere suo *De Simplicibus*, liberè, nullaque usus circuitione fatetur nescire se, quid intus sit, vel quid extra. At Aegineta meminit alicujus argenti vivi calcinati, quo interiùs se usum profitetur. Temporis progressu aptissimus atque efficacissimus deprehensus est ad dissolutionem nodositatum, & curandis ulceribus cavernosis, & phagœdenicis. Nec multò pòst substantia hæc metallica observata est esse summam antidotum vermibus omnis-

*Dioscor. l. 5. ca. 64.*

mnisq; putrilaginis: quemadmodum inter vegetabilia simplicia hypericum, quo etiam cavetur, ne vel in caseo ullus extet aut generetur vermiculus, si eo involvatur, ut quilibet experientia facilè discere potest.

His & aliis pluribus argenti vivi effectibus atque proprietatibus commoti posterioris seculi artifices (postquam adverterent contagium hoc tam horrificis atque contumacissimis symptomatibus, cavis ulceribus, malignis ac sordidis, & similibus, ut his correpti, haud secus diversis corporum partibus, impuritatibus istis conflictarentur, quàm leprosorum corpora) argenti vivi vires, quas prius haud dissimilibus ferè symptomatis efficacissimas erant experti, ad hujus luis extirpationem experiri non sunt veriti. Et primum quidem diversimodè præparatum adhibuerunt in ungventis, quibus admiscebant calida, ut axungias, olea & gummi. Deinde in emplastra concinnatum, & in emplastro de ranis à Ioanne de Vigo descriptum. Postea ulterius progressum, ad suffumigia cum cinabari deventum est. Tandem eò usque experiundi audacia processit, ut etiam interius exhiberetur: unde effectæ sunt pilullæ Barbarossæ dictæ. Postmodum præcipitati præparatio in aqua forti ejusdemque usus inventus est: quod præcipitatum

*Argenti vivi mixtio*

*Præcipitatum mercurii.*

tum à nobis omnino improbatur, quamvis diversis aqvis ablutum ad eliciendā omnem aquæ fortis acredinem ad x. aut xII. grana à noñullis exhibeatur cum theriaca mixtum. Et factum est interdum, ut adeò perfectè dulcoratum,& ab omni acrimonia aqvę fortis separatum,ut nullum vomitum provocarit, sed sudores tantùm, & sedes aliquot horis pręsertim pomeridianis. Quo sanè remedii genere plures etiam contumacissima atque inveteratissima lue illa laborantes, fœlicissimis auspiciis sanatos fuisse compertum est.

Alii postmodum levi tantùm quadam hydrargyri purgatione contęnti eo per corium transacto, seu mobilitate ejus coërcita, atq; (ut vocant) mortificata. Hi multum se profecisse existimantes cum succo limonum admixta pauca therebenthina extinxerunt, sicque diu multumque agitato, aliquid ambræ,mosci,theriacæ & pulveris cordialis admiscuerunt, atq; ita in pilullas concinnarunt: quas dosi convenienti atque legitima certo temporis spacio exhibentes, solo hoc, nec ullo alio remedii genere fœlicissimè persanarunt gonorrhœas fœtidas, virulentas, ac inveteratas, adeoque ipsam jam factam & confirmatam luem veneream. Hæc & similia Empyricorum sunt secreta,

quæ

quæ buccinatorum instar, pro maximis mysteriis promulgant, cùm eorum pars maxima, quid aut cur exhibeat nullam rationem reddere possit. Et tanta nihilominùs confidentia sævissimum hunc morbum curandum suscipiunt, ut id sibi solis negotii putent esse datum miserrimis ut subvenirent, quæ fecerunt secreta: & curant profectò, immò verò sanant: nec sine magno medicorum dedecore, etiam eos, quos illi longa & pertinaci illa diæta continuatoq; gvajaci decocto non modò non resistere poterunt, sed haud raró multùm etiam exasperarũt. Ulteriùs progressa ingenia, (quæ tempore ac necessitate compulsa, nihil non moliuntur) non sine artificioso invento didicerunt mercurium redigere in liqvorẽ seu oleum, quo luem hanc sanant sola palmarum & plantarũ pedum inunctione. Quo remedii genere, nec ulla alia arte, nullaque vi ægris oris fluxum illum salivarem movent, (quem magna Medicorum & Chirurgorum pars existimat esse solam perfectam crisin tanti mali) & magno successu plurimos restituunt. Neque tantis & tam importunis unctionum, frixionum, emplastrorum, sudationumque molestiis miseros cruciant, nec reformidant, qui norunt ac intelligunt prædicti liqvoris gustu dulcissimi atq; gra-

*Oleum mercurii.*

tiſſimi præparationem. Eundem etiam per os exhibere, ad duas aut tres guttas, cum aqua aliqua convenienti, mira præſtitiſſe conſtat, atque præclaros præbet effectus non tantùm per ſudores, ſed etiam per urinas atque dejectiones. Fiunt namque diverſæ vacuationes ab eo liqvore abſque violentia & ſine magna moleſtia, ſed non ſine ingenti ſolatio miſerè conflictatorum, qui, inquam, ſine ulla vi, atque pertinaci conatu, de die in diem levamina præſentiſſima ſentiunt, & tandem abſque omni alio extrinſecus adhibito medicamento, doloribus immaniſſimis, gonorrhœis acerbiſſimis, puſtulis fœdis, ulceribus obſcenis, atq; cancroſis, turpiſſimis nodoſitatibus ſingulari fœlicitate liberantur. Ecce quàm diverſimodè transformetur, præpareturque Mercurius, & quomodo ex ſummo veneno fiat ſumma medicina ad hujus mali extirpationem. Et ſanè, quomodocunque tandem adminiſtretur, benè aut malè præparatus aut correctus, motus tamen veritate fateri cogor, hydrargyrum, mercuriū, ſeu argentum vivum, eſſe ſolum (quod hodiè quidem extet) & ſpecificum luis inveteratæ atque deploratæ remedium. Nec moror hîc, quod doctiſſimus Fernelius ſcripſit in contrariū, tantoque minùs, quòd videam hodie magnam

gnam Galliæ nostræ medicorum atque chirurgorum, adeoque etiam doctissimorum famosissimorum classem cómet uti remedio etiam nulla arte præparato ad frictiones & sudatoria tanquam tutiori, & quò res citiùs expediatur. Neq; verentur etiam ditissimos, delicatissimos, magnæque existimationis homines hac lue infectos, cum prædicto remedii genere tractare.

Laudo itaque eorum opinionem, atque conatus, & sententiæ illorum calculum addens, primas in hoc morbo tribuo mercurio; statuoque hujus luis præsertim inveteratæ, & unicum, & verum, & solum alexipharmacum esse mercurium. At verò non convenit mihi cum ipsis, quantum pertinet ad electionem, præparationem, compositionem, quantitatem, mixtionem & applicationem.

*Mercurius verum est luis venereæ alexipharmacũ.*

Tempus itaque nunc est, ut deinceps doceamus, quantò tutiùs atque utiliùs possit administrari mercurius, quàm hactenus factitatum. Et docebo etiam suo modo illos non ritè ac sufficienti cautela seu artificio usos. Rogo autem omnes veritatis & boni publici amantes, ut ingenio moderato nec ambitione turgido, rationes meas cum ratione potiùs, quàm cum passione atque livore verba mea æstiment, atque interpre-

tentur. Quod ad primum itaque spectat nempè ad electionem, adverto omnis ge neris argentum vivum absque ullo discrimi ne ab iis ad hanc curā usurpari, non adver tentes plurimum sophisticari cum plumbo quod beneficio bismuti (ut vocant Germa ni) tam benè apteque miscetur, atque cum mercurio dissolvitur, ut ipsa non possit me lius aqua cum aqua. Et miscentur, inqvam, vel æqvis partibus plumbum cum hydrar gyro sumatur, modo & ratione prædicta Nec miscetur tantùm, sed transit etiā plum bum cum eo, per lintea æqvè mobile ac flui dum, ac si nihil esset aliud, quàm solus, pu rus, putus mercurius, ut non sit talem frau dem discernere aut detegere visu. Sed vide rint interim qui tali utuntur in unctionibu aut aliis, quid agant. Nam noxius est admo dum, & prorsus malignus ut quivis facilè se cum perpendere potest: nec attinet ea de r plura à nobis dici, cum ex natura ipsa plum bi frigidissima, atque terrestri, (quæ tame mercurii vehiculo internas etiam subire so let partes, ipsasque adeò membranas, & li gaturas) satis manifestè appareat, quid bon inde consequi possit. Et quod pejus, nec ex halari aut dissipari potest æqvè facilè, a mercurius, quem constat naturæ esse aërea ac prosus spiritualis, & per conseqvens ex

*Vt mercurius sophisticetur.*

ha

halationi oportunæ. Nec ſophiſticari tantùm artificio poteſt & ſolet mercurius, uti jam dictum, & à nullo hactenus obſervatum eſt: ſed in propriis etiam mineris allicere ſibiq; conſociare poteſt mercurius varias corporũ terreſtriũ,& prorſus heterogeneas qvalitates, ut ex mineris plũbi,antimonii, aliiſque ſubſtantiis metallicis conſtat,quę proximè aſſidẽt,aut adhærẽt mineris argenti vivi: unde ei imprimi poſſunt variæ vires,propria verò ejus virtus perturbari, atq; inſici.Quare diligens adhibenda eſt cautio in electione mercurii, niſi velimus fruſtrari voto, aut aliquid ſiniſtri in ejus uſu evenire, ut nimis ſæpe accidere ſolet. Cum itaque tam nobili ſubjecto, & tam optato fini mercurii uſus accommodari debeat, operæpretium faciemus,ſi cautè & circũſpectè à fidelibus mercatoribus, non ab impoſtoribus importari curaverimus. Probatur præ aliis Hiſpanicus: quem ſi non conſeqvi aut habere poſſis,quemvis oblatum hac arte probabis: cochleari argenteo exceptum tantillum mercurii, ſupra candelam, aut carbonẽ ignitum exhalari permittito: in fumum enim abit mox.Qui ſi argentum aureo tinxerit, certus eſto eſſe purum & laudatum mercurium. Sin nigro quodam, aut livido vel fuſco inficiat, certum eſt impurum eſſe, & maligna *Probatio mercurii.*

aut etiam venenata qualitate præditum. Atque hic certissimus, tutissimusque est probandi mercurij, & puri, & laudati ab impuro atque illaudato dijudicandi modus. Hæc de eius electione.

*Mercurij præparatio.* Iam in præparatione plures sudasse nullum adhuc inter tot doctissimorum Galenicorum medicorum, de lue venerea conscriptos libellos ad rhombum, & legitimam ejus præparationem appulisse cognovi. Ac tanto magis illud mirari subit, quod cum approbent ejus usum in curatione luis venereæ: de ejus præparatione, ne verbum quidem addant: sed eo, qui passim in officinis prostat, & venditur nec cognito probè, nec probato, improvidè nimis utuntur in suis unctionibus, atque emplastris, quæ totius fundi hujus curationis est calamitas. Quid? integrúmne viro bono, ac medico probato non cognitis uti, & tamen veneni suspicione taxatis, nec ritè præparatis, aut castigatis? & tamen castigari posset, & ab immensa illa nigredine qualitatéque frigida, cruda & maligna, quam continet, vindicari, si crasso tantum modo præparetur, nempe decoquatur & cum sale nitri & aceto sæpe transactus per linteamina subtilia, aut per pellem caprinam. Sic manifestè & ad oculum inquinamen-

namenta illa, atque impuritates detegerentur, quæ ei ſunt admixtæ.

At inquiet fortè aliquis: ſi tanta eſt mercurio hiſpanico puritas, qui argentum apud ignem tingat aureo, quid igitur opus multa præparatione? cui ita obſiſtendum. Subjecti in cujus utilitatem ac conſervationem mercurij uſus adhibetur, hominis, inquam, atq; ſanitatis tanta eſt nobilitas, atque dignitas, ut nihil hic nimis, nihil æquo curioſius, atq; prudentius præparari adminiſtrarique poſſit. Accedit quod mercurius, licet purus utcumque, ſemper tamen poſſit reddi purior: ex cuius puritate inæſtimabilis reſultat utilitas, nempe perfecta curatio morbi incurabilis ferè: atq; ita nullas poſt ſe relinquit reliquias odioſas, nullam noxam, nulla deniq; ſymptomata, ab intempeſtivo impurioris mercurij uſu relinqui ſolita. Objectio. Solutio.

Norunt plus ſatis philoſophi Hermetici, quid proficiat, quantamq; habeat utilitatem exactè repurgatus & præparatus mercurius: ut non ceſſent hunc ſuis ſublimationibus, & revivificationibus crebris, toties ac ſine omni tædio iteratis purificare, donec tandem perfectè purus, aut certè perfectiſſimo proximus evadat. Nam lõga, & diutina illa præparationis ſerie tandem colorem azureum, atq; cœleſtem acquirit, diſſipata atque con-

ſumpta aqvoſitate frigiditateque illa ſuperficiaria, corpori noſtro inprimis noxia: ejuſque calore ac ſpiritu igneo quaſi excitato, ut jam ex frigido fiat calidus etiam ad tactum, ex deleterio vivificus, ex plebejo nobilis, & philoſophicus, ex crudo coctus, atque ita digeſtus, ut conjunctione inſeparabili, amica, atq; perfecta uniatur cum auro, quem ante præparationem deſtruebat, propterea quod cum eo in ſymbolo nondum concordabat, ipſo crudo, calido autem, ac inſigniter digeſto, atq; perfectè exiſtente auro. Huic itaq; inſidias ſtruere, & non nocere non poſſunt medici, qui mercurium crudum, mobilem adhuc, atque fluxilem ungventis ſuis, atque emplaſtris admiſcent: ſubliment opus eſt: adeoque exuant ſulphure ſuo arſenicali, eximant oportet, atque conſumant ſuperfluam illam humiditatem aqveam: deniq; ex veneno, & deleterio reddant alexiterium, & benignum naturæ medicamentum, ut fiat primus, præcipuus & tutiſſimus luis veneręę expulſor. Quod ſi fecerint, mirabiles effectus talis mercurii cernent non tantùm in hoc morbo, de quo hîc loqvimur, ſed in omnibus aliis peſtilentibus, atque contagioſis, quomodocumque tandem adminiſtratus. Nec ullus inde metus conſecutionis diverſorum ſymptomatum, quorũ cauſa ferè

ſuſpe-

ſuſpectus eſſe ſolet communis ille, nec ritè præparatus. Attamen, ut etiam ii, qui mordicus ſemper ſua, hoc eſt, ampla, & communiſſima illa via incedere volunt, etiam aliquid utilitatis ex noſtro hoc capiant diſcurſu: Age doceamus præparationem mercurii ſaltem tolerabiliorem, nè perfectionis difficultate, & ad quam exactiſſimè parandam multa cura multoque opus eſt tempore, ab ejus uſu, quem in hoc affectu ſupra alia remedia omnia probamus, penitus abſterreãtur. Idque publici boni cauſa, & propter eos maximè, quos vel occaſio, vel loci opportunitas, vel etiam ſumptus magna ex parte deficiunt. Et ut magis conſtet de noſtra erga quoſcunque benevolentia, & prompta liberalitate, docebimus etiam eos, qui iſta alioqui faſtidioſè ſpernunt: aut quod in operationibus chymicis non ſint exercitati, aut exerceri, hoc eſt, quod neſciunt, ſcire nolint: hos, inqvam, modò non malicioſè contemnant, boni publici cauſa ſicut dixi, docebimus argenti vivi elegantiſſimum, atque optimum præparandi modum, per quem ex libra una unciæ quatuordecim largiter extrahuntur, ſi rectè fiat, & perficiatur; eritq; ille mercurius maximarum virium in unctionibus, ut dicetur poſtea, cum de compoſitione, ac mixtione tradetur.

*Mercurij præparatio non vulgaris.* Accipiatur ergo argenti vivi loco, cinabrium commune, ( quod nihil est aliud, quàm mercurius sublimatus, & per consequens perfectè purificatus, quippe, à quo omnis heterogenea humiditas sulphuris admistione sit exsiccata, atque consumta) cui pulverisato adde calcis vivæ itidem optimè pulverisatæ partes æquales, omnibus conjectis in retortam, atque adhibito recipiente, admove ignem secundùm artem, & attrahes ex libra una tredecim vel quatuordecim uncias mercurij, mobilis quidem, & fluidi, sed perfectè purificati. Idem mercurius elici potest cum sola crusta panis assati vel cum tartaro ad nigredinem calcinato & aliis plurimis modis, veris chymicis, atque spagyricis notis. Quæ tamen res si à medico ignoretur non nisi in maximam ignominiã redundare potest, cum hæc res plane ex professione ejus dependeat, eique cognitu inprimis sit necessaria. Atq; huc usque de electione, & præparatione mercurij. Electo itaq; mercurio bono, eóque dicta ratione præparato non minoris adhuc restat studij, & considerationis, qua ratione componi debeat, atque commisceri: sive id fiat cum ungventis, sive cum emplastris, item de quantitate, & ratione administrandi.

*Vt vulgo* Vulgo consvetum esse video emplastrum de v:

de vigo, cui etiam geminam aut triplam dosim adjiciunt, & ita applicant humeris, aliisque juncturis: mox ægros magna vi ad sudores compellunt, ut adapertis poris, mercurij vis facilius penetrare, & ad corporis intima pervadere suasque operationes complere possit. Sic illi judicant. Atqui jam superiùs à nobis ostensum est, quanta cum virium jactura coacti isti sudores plus obsint, quàm prosint. Præterea magnus quoque committitur error in compositione, quando mercurius miscetur cum emplastricis, quæ penetrationem ejus inhibent, atque impediunt, ipsamque adeò actionem quam moliri se putãt: ibi præsertim, ubi interius mercurium vires suas exercere consultũ est. Exteriùs tamen dicto modo administratus nihil officit, sed ad nodositates & tophos articulorum resolvendos utile esse potest maximè si emplastro admisceantur penetrantia, & resolventia. At quos luis hujus malignitas altius subiit & interiora contagio infecit contumaci atq; inveterato, cum dictis emplastris nunquam ad perfectam curationẽ, sed potiùs ad palliativam quandam, quæque cum tempore acrius sit repullulatura, pervenies. Quocirca magis mihi probatur usus mercurii exterior in ungventis, quod penetrent magis ad interiora, ubi veneni vis residet:

*mercurius permisceatur.*

fidet: nihilominus tamen probare non possum in iisdem ungventis admisceri plurima impensè penetrantia, calefacientia, immò etiā venenata, atque tam putida, ut ægri halitum & spiritus, ipsosque adeò assistentes fœtidissimo vapore inficiant. Sed, inqviunt, fit hoc ut emendetur frigiditas, quæ mercurio inesse creditur. Sed, inqvam, pessimè cognoscunt mercurii naturam, (ut jam suprà attigimus. & copiosiùs ea de re, aliisq; utilissimis rebus disseremus alibi) internamq; ejus qualitatē ab externa separare, dijudicareq; nesciunt. Quòd si adjiciunt ut magis & faciliùs penetret, jam non satis perspectum habent, constare eum ex partib. homogeneis, nec quicquam heterogenei possidere, si uti diximus rectè sit præparatus. Nam totus spiritus est singula penetrans, singula pervadens, etiam ferri & cupri solidissima corpora: quare non opus est tali janitore. Ideoq; non sine ratione nobis improbantur multa olea calidissima & gummi, ut evphorbium illud igneum Styrax liqvida, & alia ejusmodi, quę communibus his ungventis nullo judicio adjiciuntur. Et mirum inter tot doctos, qui de ea lue scripserunt, paucos extitisse, qui correctivum, aut alexipharmacum malignæ ejus qualitatis, quā mercurius ille crudus, & non præparatus, quo illi utūtur, habet, admiscuerint

rint. Mirum etiam, ferè neminē eò animum intendisse, ut gratum potiùs quendam odorem aromatibus, aut aliis odoriferis, ad corroborandos spiritus præ putidis istis oleis atque gummatis, adjecerit, quæ haud parùm sæpè ægrotantem in lipothymiam, ne quid gravius dicam, præ suo fœtore præcipitant.

Svadeo itaque, atquè omnino consulo, ut si ungendi illam rationem in curando tenere velint, mercurium primùm cum succo limonum extinctum. & debita quantitate permisceant cum sola axungia porcina, cum aqua caryophyllorū, aut alia odorifera multoties abluta, in quo ungvento addent si velint ad mercurii correctionem ut & ad odorem, guttas aliquot balsami extracti ex caryophyllis, nuce moscata, ligno aloës, santalo rubro, benjoino, styrace, floribus lavendulæ, salviæ, rosmarini, betonicæ, croci, cum therebenthina, & aqua vitæ debita & sufficienti quantitate omnibus digestis in Bal. mar. postea expressis: de quo balsamo, ut dictum, parum commiscent cum prædicto ungvento, quod quidem ægro gratum, atque aptissimum erit. Et quæ sanè unctio longè nobiliores pariet effectus, quàm ea, quæ vulgato modo instituitur. Notandum præterea quoque mercurium illum in longè minori quantitate esse adjiciendum, quàm solent vul-

*Vera mercurii mixtio.*

vulgò, & tali ratione parati ungventi uncia plus præstabit, quàm libra vulgati. Denique loco inunctionis humerorũ adeoque totius ferè corporis, qua miserè patientes hanc luẽ vexant, sufficiet tantùm inũxisse plandas pedum & volas manuum atq; carpos, aut saltem ipsos artus. Quo facto non est ut tanta vi sudoribus provocandis incumbat æger: sed in loco calidiore constitutus, expectet tectus plus solito donec quasi suapte natura prorumpant absq; ulla violenta aut extra ordinaria calefactione. Qui curare norunt, & solent omnis generis scabies etiam universalissimas cum solo ungvento parato ex sulphure, cineribus sarmentorum, vitellis ovorum cum pauco oleo therebenthinæ, quod carpis tantùm ad carbones accensos illinunt & applicant calidè: Hi, inquam, perfectiùs judicare poterunt, quantum possit vel ea sola frictio facta in prædictis locis, in quibus magna sunt vasa, quæ remedij salubris, aut noxii vires abundè cordi & totius corporis spiritibus communicare possunt. Quod si quis hanc curandi rationem sectari velit, svaserim ut ante inunctionem accipiat aliquid nostræ prædictæ antidoti, cum haustu hydrotico atque specifico, cujus antea mentio facta: Sic melius purificabitur massa sangvinea tam per sudores, quàm per urinas

*Vngventum ad scabiem.*

pe-

per quas ordinariè repurgari ſolet: ſic omni medio tentabunt, ut veneni malignitatem doment atq; evincant.

Neque enim arbitror ſalivarem illum oris fluxum, hujus morbi eſſe ſolam criſim, ſed & ſudores & urinas copioſas factas, diligenti diæta continuata, ita tamen ut nulla accedat violētia; ne magis à remediis, quàm à natura ipſa cauſſati ſudores illi videantur. Ad quam rem certè prudentia præſentis medici aut chirurgi opus eſt, ut benè deligere norint tempus dictarum criſium & ſolutionis morbi, cùm, ut jam prius monui, ad vires ægrotantis, quas omni ſtudio conſervare debemus, ſit proſpiciendum. Atq; hæc tantummodò dicta ſunto pro reformatione curationum vulgarium, quæ lui venereæ adhiberi ſolent: in quibus non omittenda ſectio venæ poſt aliquot antegreſſas purgationes, ſi corpus fuerit plethoricum. *Venæ ſectio.*

Sed jam ulteriùs progredientes, deveniamus tandem ad vera remedia luis venereæ: Hoc eſt, ad legitimam præparationem Gvajaci atque mercurii, (hæc enim, ut dictum, pro veris ſpecificis habemus in hoc morbo) ſed eruenda eſt illorum præparatio ex vera Chymia, atque doctrina Hermetis: cui ut eloquar quod res eſt, acceptum ferre debet pharmacia, quicquid habet pulchri

atque

atque artificii nobilioris. Sed ab homine in-
telligente atque exercitato tractanda est: à
vero philosopho, inquam, & medico, qu
ingenii sagacitate, operisque dexteritate al-
tius penetrarit in anatomia vitali corporum
naturæ mixtorum. Hic enim demum is est
qui scit eorum vera principia, virtutes, pro-
prietatesque distinctas: hic solus novit face-
re separationes puri ab impuro, utilis ab e
quod est noxium: deniq; idem solus intel
ligit qua ratione adaptanda, exhibenda, at
que ad usum transferenda sint ad restitutio
nem sanitatis, ac conservationem corpori
humani. In quo sanè consistit scopus præ
cipuus veri medici, hoc est, qui re ipsa tali
sit, non toga, vel titulo tenus. Quæ omni
ut ritè atque perfectè præstet, necesse est in
super ut habeat perfectam quoque cogni
tionem anatomiæ, non tantùm externæ, a
que superficiariæ, sed internæ atque vitali
corporis humani, partiumq; ejus usum sin
quibus Chymia non ars, sed impudentiss
ma est deceptrix, pestis execranda, quar
omnis bonus Princeps, & Respublica pru
dens extra civitates propellet atque exter
minabit. Nec sanè minùs atque agyrtas, im
postores, qui philosophorum titulum ins
gni impudentia sibi asciscentes atque usu
pantes; deceptores fiunt populi, qui noctu
ru

rum instar asident crumenis, quas emungant, ut sibi habeant priùs id, quod pari cõfidentia atque impudentia polliceri audent aliis. Hi, inquam, tanquam scorta publica, quæ voluptatis turpissimo prætextu corrumpunt, è civium tectis, & patriis sedibus sunt eiiciendi. Nunquid vides, vt audacissima isthæc notha, seu spuria temporum (dicam veriùs hominum judicantium & ad Reipubl. clavum sedentium) incuria, arma sibi sumpserit legitimæ Chymiæ; Nec dignitate sua interim exuta atque orbata est vera hæres atque filia illa Magni Hermetis Trismegisti: Chymia, inquam, quam quotquot fuerunt & sunt ultimi hujus seculi sublimioris genij atque ingenij Philosophi, ac medici eam vel intrò sectantur, amplectuntur, ornant. Hanc sanè inter Europæ regna, & fortè orbis universi, Germania præ aliis unicè veneratur: dignissima profectò, quæ tot præclarorum ingeniorum, & solidæ doctrinæ ferax est, quam & scientiarum nobilissima ornet ditetque. Et, ut ætate nihil manet incorruptum, quàm fœdè, quæso, atque supinè ea Chymiæ pars (quam Pharmaciam vocant) hodie est contaminata? Notum est illud, & in despectu ob id habetur à prioris notæ medicis, ut amplius à me nunc perstringi nihil attineat.

Consulvimus in medium: videant modò illi, an habeant quoque resipiendi animum. Ad quam rem si restituta nostra pharmaceutica aliquid possit, felicem non me, (cujus opera atque industria prodiit in mediũ) sed eos ter quaterque fortunatos dixero, qui cordati eam arripuerint, & ad utilitatem publicam transtulerint.

Sed redeamus eò unde sumus digressi: & doceamus in negocio præsenti, pulchras aliquot præparationes ex vera Chymia depromptas: nempe ligni Gvajaci & mercurij, quæ duo vera Alexipharmaca diximus luis venereæ, quorum pulchros præparationis modos, etiam secundùm modum vulgatum, sed majori, ni fallor, judicio atque artificio factas jam proposuimus. Sed res loquitur ipsa, nec multa eget commendatione.

*Vera Gvajaci vulgaris præparatio.* Incipiamus à Gvajaco, quod minutè concisum atq; ræspatum, uti vocant, cum cortice vulgò medici & pharmacopœi decoquunt in vase duplici, ac optimè clauso. At cur id faciunt? nimirum metuentes ne quid spirituum vaporosorum exhalet. Necesse est igitur eidem aliquam tribuant vim, quam ne perdant, tantoperè metuunt. Rectè: nam ita re vera se res habet. Est n. ei vis maxima. Attamen decoquunt alij ad duas tertias, si efficaciùs velint, alij ad medias: & ad minus ad

con-

consumptionē tertiæ partis. Nec vident interim hanc tertiæ partis aut medietatis consumptionem fieri non posse, quin spiritus exhalent, aut quomodocunq; consumantur à calore per insensilem transpirationem. Atqui certum est hos spiritus, qui aqua relicta, longè sunt tenuiores, subtilioresq; primò omnium evaporari: sed præcipuè gvajaci acetosus spiritus, qui reperitur in omnibus etiam rebus, in mineralibus primò, hoc est, in sulphure, vitriolo, & omni sale: deinde in omnibus vegetabilibus quæ ab eo sustentantur, atq; vegetantur, ut docuimus alibi. Deniq; in omnibus animalibus, quæ à vegetabilibus nutriuntur: Aciditas enim illa est rerum omnium fermentū. Nam sicut videmus tantillum fermenti acidi fermentare, hoc est, attenuare, & elevare universam pastam, ut fiat panis levissimus: qui alioqui fit gravis, nisi probè fuerit fermentatus: eadem fermentationis quoque vis est in spritu acido atque vitriolato gvajaci, quem scit elicere vel mediocriter peritus chymicus ex ejus ligno, (quemadmodum & ex juniperino, quercino & quovis alio) qui non minùs, ac spiritus vitrioli, corallos, atque perlas dissolvere potest. In hac, inquam, aciditate consistit vera fermentatio, elevatio, atque attenuatio humorū: & per consequens hujus beneficio,

 quo-

quoque facilior fit eorundẽ expulsio, (qui
pe quod ab illa, humores attenuati faciliù
ac promptiùs exhalent, per sudores) qu
tenuiorum humorum tantùm esse solet. Hi
videmus omnia acida esse sudorifica, atq
id paucos ante me vel scriptis prodidisse, v
observasse novi, tantò minus rationem red
didisse cur id fiat: quæ tamen ut pulchra
scitu digna, sic & considerationem diligent
orem merentur. Quapropter ejusmodi sp
ritus acidos elicere soleo ex gvajaco, junip
ro, vitriolo, sulphure, atque ex omnibus h
droticis specificis ad diversi generis morbo
& sanè hos spiritus longè conducibiliores e
se ad sanitatẽ corporum deprehendi, quà
decocta multa, quæ vulgò parari solent,
quibus (pro humorum consumptione, qu
speratur,) magna ex parte catarri moventu
prioribus infestiores, quòd sangvinem eju
démque officinam, calefaciendo sublimatio
ni reddant aptiorem. Vnde fit, ut aërea m
crocosmi regio (cerebrum, inquam, (vapor
bus refertum, pluviosum fiat, & catarrho
sum. Præter jam dictam aciditaten, quæ v
est mercurialis, pars quoque sulphurea ten
ior, maximèq; sudorifica gvajaci exhalatu
per communes illas decoctiones; hoc norun
vel obiter versati in arte destillatoria, qui
oleum spirituale ex gvajaco extrahant, pri
mun

*Omnia acida sunt sudorifica.*

*Oleum gvajaci.*

mum illud minutiſsimè & in pulverulenta ſegmenta torni beneficio comminuunt: tum pro libra ejuſdem ſcobis, affundunt ſex vel octo libras aquæ, mox deſtillant per alembicum aut retortam, ſic cum aquæ effluit pariter ſubſtantia ſulphurea, aut oleaginoſa, quæ maximè eſt ſpiritualis, & aquæ extillatæ innatat. Hi itaque duo liquores ſpirituales, nempe mercurialis acidus, (qui ſemper primus exit) & ſubſtantia illa oleaginoſa itidem ſpiritualis, & per conſequens ejus virtus quæ maximè eſt ſudorifica exhalantur, & neceſſariò evaneſcunt in decoctionibus illis, quæ à vulgaribus pharmacopœis parantur. Hoc ne eveniat ars chymica feſtiviſsimè cavere docet, modumq; tradit prædictas duas ſubſtantias quæ in gvajaco ſunt, atque reperiũtur, ſeparandi, ſimul ac conſervandi rationem inſinuat.

*Vera gvajaci præparatio.*

Ergò ſcobs gvajacina indita in retortam atque affuſa aqua quod ſufficiat, aptandũ eſt recipiens amplum, hermeticè obſignandũ, ne quid exhalet. Tum admoto igne vel cinerum, vel ſolius tantùm balnei mar. vaporoſi, deſtillabitur aqua, & cum ea extillabit pariter & acertoſitas merculialis ſpiritualis, adeoque etiam ſpirituoſior portio ſulphurea, ſeu oleaginea, ejuſdem gvajaci. Sic nec quicquam amittitur, aut deperditur. Et erit hæc

demũ vera, & artificiosa Gvajaci decoctio: & haustu gratissima: de qua ℥ ij. vel ℥ iij plus efficient, quàm vel libra integra decocti vulgi modo parati, quale & nauseam facilè ciere compertum est. Poterit destillari tantùm ad medias & cum decocto quod remansit, prius transcolato, permisceri: supra residentiam denuò majorem aquæ copiam affusam, atque per duodecim horas digestam, denuò destillabis ut prius: & effluet liquor potui inter pastus gratissimus: quem aromate aliquo, ut cinnamomo, atque saccaro ad majorem gratiam condire licet: omni ita aqua destillata, humiditatéque mercuriali separata, si admoveas ignem validum, exibit oleum rubicundum, sed fœtidum; cui tamen fœtor facilè adimi possit, ut fiat excellens remediũ ad gummata, cancros, ulcera sordida, cãcrosa, & phagædemica luis venereæ. Ex fœcibus residuis redactis in cinerem secundùm artẽ, cum aqua ultimæ decoctionis destillatæ, elicies sal, quod mixtum cum prima destillatione, eam magis efficiet sudorificam, & quæ præterea bis, vel ter alvum ciere possit, & soleat. Hac demum præparatione gvajaci extraordinaria, (quam nemo candidus, & in rebus naturæ æstimandis versatus non probabit) lues venerea, etiam confirmatior perfectè persanabitur, si ritè omnia fuerint

Præ

præparata, & ex artis præſcripto administrata.

Transeamus quoque ad præparationem argenti vivi, ſeu mercurij dicti, cujus aliquot præparationis modos elegantiores quàm vulgi, quamvis ab ejuſdem methodo non multum alienos, jam ſuprà docui, quos tamen, ſi candidè quod res eſt fateri velim, approbare haud poſsum, quamvis præclaros ſæpiſsimè producere ſoleant effectus, ſi debitè ac ritè, pro ut docuimus adminiſtrentur. At mercurius præcipitatus vel cum oleis Solis & Lunæ: vel cum ſolis auri foliis, ſine ulla alia additione: vel calcinatus, mediante agitatione quæ fit beneficio ſilicum alborum fluviatilium, cum quibus cõmiſcetur in matratio colli oblongi: vel cum ſimplici aqua ſtygia diſſolutus, philoſophicè coagulatus & in ſalis naturam converſus: vel cum eadem met aqua forti, communi modo præcipitatus, reverberatus, dulcoratus & cum aceto diſtillato eſſenſificatus, atque ab acetoſis illis ſpiritibus optimè ſpoliatus, vel in pulverem album redactus ſolo ſpiritu vitrioli, aut ſulphuris, qui denuò ſeparatur, ablutionibuſq; iteratis dulcoratur, atque fixus redditur cum ſale nitro: horum, inquam, mercuriorum ita præparatorum vel paucula grana cum rebus convenientibus commixta, nunc ſu-

*Veræ mercurij præparationes.*

dores, nunc alvum, atque urinas movent,& luis venereæ venenum,adhæc peſtis quoque & febrium putridarum malignitates exterminant. Suntque hæc, ſi ritè præparata fuerint, vera & ſpecifica remedia purificationis ſangvinis, quem per commemoratas evacuationes purgant,prout natura patientis ad expulſionem fuerit diſpoſita. Idquò minori longè per turbatione, quàm ſi vel ipſa manna fuiſſet exhibita. Quas mercurij præparationes verè angëlicas apellare poſſumus, cum multi celebres medici (ac inter illos Nicolaus Maſſa in ſuo de morbo Gall. L.) mercurium vulgo præcipitatum pulverem angelicum appellent. Alium ejuſdem mercurij excellentem præparandi modum docui jam ante 25.annos in mea pharmacopœa ſpagyrica, & turpetum minerale vocavi, ubi & utilitatem ejus expoſui. Non dubito me à veris philoſophis ubique intelligi:quamvis &alijs, tum hic, tum deinceps me accommodare ſtatuerim, ne habeant quod de noſtra obſcuritate conquerantur ij quibus ſpagyrica vel exoſa ſunt,vel incognita:ut ingrati profectò ſint futuri, qui non aliqua ſaltem gratia dignos nos exiſtimabũt. Fit & mercurius vitæ,quem vocant: qui non ex mercurio vulgari,ſed ex præcipuis metallis extrahitur, verùm artificum hæc opera


ſunt

ſunt novitiis & ab arte alienis prorſus incognita. Et ne quid omittamus, quod ad diverſam mercurij præparationem faciat, ex eodē diverſimodè diverſi liquores parantur, atq; olera, & certè pari cum ſaccaro dulcedine, quæ & intus exhiberi, & extrinſecus applicari poſſunt. Solet & ab artis peritis aliter præperari mercurius cum oleo ſalis armoniaci fixi, quod ſubitò mercurium reſolvit in ſpiritum (quem ſpiritum mercurij vocant) ſeu liquorem, quavis aqua fontana clariorem: adhæc fragrantem & odoratum valdè inſtar moſchi alicujus. Hujus uſus eſt, & intra corpus, & exterius nodis atque partibus dolentibus impoſitus: nam mira præſtat, gummi namque & tartareas nodoſitates, luem veneream præſertim ſtirpare ſolitas diſſolvere ſolet. Et certè negari non poteſt mirabiles effectus præſtitiſſe mercurium vel ſuperiùs conſignatis modis præparatum, idque in ſcrophulis & in lue etiam inveterata, & infinitis deploratiſque ſymptomatis ſtipata. Teſtes ſunt clariſsimi viri Dominus Seguinus profeſſor regius, D. du Ionus medicus regius, atque dominus Guillemeau chirurgus itidem regius, viri inter Pariſienſes medicos & chirurgos celebratiſsimi, aliique plurimi. Neque hæc eò dico, ut aliorum encomia mihi velim eſſe ceu hædera ſuſpen-

*Spiritus. Mercurij*

sa: neutiquam verò: abhorret enim animus meus, ut φιλαυτίας nescius, ab ejusmodi adulatoriis, ostentationisq; titillationibus, quod norunt qui Querceranum liberi candoris alumnum esse sciunt. Talia quippe, & his etiã minora, interim tamen & majora domi parare soleo mihi atque amicis non avaritiæ causa sed amicorum egentium, & ut artis dignitatem, etiam apud exteros, ac primæ notæ homines, tuear, atque, quantum in me tali quali artifice situm est, promoveam: mereantur sanè ista quæ & omnes veros asclepiadas instruant, atq; ad investigãda his etiã majora commoveant. Sic demum fiet, ne vix ac ne vix quidem hac lue vexati & jam propè examinati, è medicorum alioqui clarissimorum cura excidentes, in empiricorũ manus incidãt, à quibus tamẽ præter omniũ expectationem (ac utinam non & artis dedecore) curantur. Sed justo judicio id fit. Ignorant quippe illi, imò & ignorare volunt, quæ supra vulgus sunt: digni profectò, qui & à vulgo derideantur, quod ab infimæ etiam notæ empiricis (qui nihil ferè aliud norunt, quàm quasdam receptas hinc inde ex libris scriptis, aut medicorum familiarium ore, nescio quo judicio, haustas) superentur. Interim habete viri Asclepiadæi quæ lubens, & ex candido pectore vobis offero vestroque

examini subjicio, his etiam posthac majora, si Deus vitam largitus fuerit atque vires, propediem daturus.



# CONSILIVM
## QVARTVM.

*Pro Nobili quadam virgine, morbo in immēsum complicato fatigata, quippè gravissimis & sævissimis symptomatis, vertigine, cephalalgia, tinnitu aurium, catarrho in varias partes, palpitatione cordis, syncope, dyspnœa tumore hypochondriorum atq; pedum, œdematoso cachexia, denique malorum lerna stipante.*

*Ad celeberrimos viros Ioannem Hucherum scholæ medicorum Monspeliensium Cancellarium. Ioan. Saportam, Ioan. Varandæum & Iacob. Pradilleum in eadem schola regios professores ordinarios.*

QVædam nobilissima & honestiss. virgo tot malorum συνδρομαῖς quæ suprà enarrata sunt undequaque & assiduè impetita: quum sese consilio meo subjecisset & in manus meas curandam tradidisset: quod summo Dei beneficio ex votis illi fœlicissimè successit: qua industria tandem, quibusvè rationibus, sanitatem sit consequuta visum est paucis explicare: vobisque viri eminentissimi, qui in A-

Ca-

cademia totius orbis celeberrima & medicinã sapientiſsimè docetis, &eam ſimul quàm fœliciſsimè facitis: vobis, inquam, medicorũ coryphæis conſilium hoc meum conſecrare. ut teſtimonium meæ ergo vos obſervantiæ exhiberem: & ſimul ſi vobis probatum eſſe intellexero ad majora compellar. Interim hunc meum tantulum laborem quem vobis ex animo voveo, æquis animis & candida fronte accipite, legite, atque examinate.

*Tria ſunt in omni morbo exploranda.*

IN omni morbo tria cuivis medico exploranda, animoq́ue cõplectenda eſſe ex Galleno dogmaticorum illo corypharo, & reliquis omnibus, eſt in cõfeſſo: nempe διάγνωσιν, πρόγνωσιν, & θεράπειαν: dignotionem vocant, prognoſticationem, & ſanationem. Quippe nullus affectus deleri aut curari poteſt, niſi probè prius cognito morbo, ut tantò magis in ejuſdem dignotionem veſtigãdam nobis ſit incumbẽdum. At ipſa διάγνωσις non tam morbi naturam, quàm partem affectam, affectioniſq́ue cauſas demonſtrat & patefacit.

Hæc tria cognoſcuntur tribus διαγνωστικῶν ſignorum generibus; quæ pathognomonica, epigenomena, & epiphænomena á Græca ſchola dicũtur. Illa quæ ſunt propria, & ἀχώρισα, morbi ſpeciem ſemper detegunt: hæc ſuper-

super vinientia, & super apparētia dicta, tùm magnitudinem indicant, tùm morbi motū: brevitatem nempe, aut longitudinem detegunt. Nec sanè secus, ac effectum ipsum, uti dictum, & partem affectam dignosci par est. Harum siquidem ratione diversa, nec rarò multum evarians instituitur curatio, ut ex Gal. de locis affectis in scholis docetur. Meritò sanè: postulat enim illud partis natura, temperies, situs, sensus & præstantia seu dignitas. Pars affecta speciatim quinque signis quasi notis, & propriis characteribus (τεκμήρια Græci vocant logici) dignoscitur, actione læsa, situ doloris, proprietate, excretis, & accidentibus propriis: ita ut non parum in re medica profecerit, qui & affectum, & partem affectam optimè dignoverit.

Nec tamen satis sit medico morbum, morbique subjectum, hoc est, partem affectam dignovisse, sed ulterius progredi, & ad causarum tam externarum, quàm internarum, (sub quibus antecedentes, & conjunctas cōprehendo) pervestigationem penetrare eum deceat, si sapiat. Nam ut antecedenti causæ debetur præcautio, sic & conjunctæ curatio. Sed & etiamnum progrediendum ulterius in pervestigatione qualitatis ipsius causæ, sitnè simplex, & nuda intēperies (ut vocant) vel materialis, humoralis, terrestris, vel spiritua-

ritualis, nempe flatuosa, halituosa, vaporosa, aut ejusmodi. Et licèt secundum Galenum, omne tulerit punctum, qui affectum, affectā partem, affectusque causam præclarè noverit, non negligenda tamen, aus sicco pede transeunda signa prognostica ex tribus fontibus hausta: nempè à corporis habitu, aut à charactere, figura, & colore ejusdem: potissimum verò faciei: ab actionibus naturalib. vitalibus, & animalibus: ab excrementis tam universalibus, hoc est, ab universo corpore derivatis, quàm particularibus. Horū namque signorum prognosticω̄r ope, tempestates prævidemus & naufragia, quæ ægrotantibus imminent, aut supervenire queunt. Nec videmus tandem, sed confidenter prædicimus, atque prognosticamus de boni, & sinistri judicij eventibus: adhæc calumnias declinamus maledicentium: nostræ sic consulentes reputationi: ægri, asidentiumque confidentiam interim erga nos magis ac magis obfirmantes, remediorū denique dignitatem, qua par est ratione tuemur, nevè nostra incuria, vel oscitantia ab imperitis, rerùmque ignaris profanentur. Nam ut multis possunt esse præsidio, sic desperatis medicinam facere vetat medicorum prudentissimus Hippocrates.

Ergo tam præclaram methodum referamus

mus ad usum rei præsentis, & nobis propositæ.

Antequam igitur deveniamus ad curationis scopos primùm particulatim, qua decet serie,ac ordine,symptomata sunt recensenda:tum partes affectæ, omniumque causæ, & hoc per signa diagnostica superiùs prælibata: non subticentes interim; si quid judicij ferat modulus, quid de prognostico eventus decernendum videatur.

*Morbi historia.* Nobilis itaque, egregia, atque honesta virgo, annum nunc agens circiter decimum-octavum, optima corporis & partium figuræ symmetria, ad hæc, genio, intellectu, & sensu integro atque perspicacissimo prædita, à parentibus utriusque prosapiæ vegetæ naturæ, ac integræ constitutionis oriunda, postquam primam suam ætatem omni morbo vacuam transegisset, ante quatuor vel quinque annos, ætatis nimirum duodecimo, desubitò & ex insperato syncope fuit correpta, & tali quidem, quæ usque adeò vires & mentem percussit, ut sine loquela immota ibi, aut certè immotæ simillima, ac veluti demortua jaceret. Duravit interdum paroxismus ad quartæ horæ spatium. Syncopem hanc comitabatur insignis atque enormis palpitatio cordis,ita ut necesse fuerit præcordia palmæ appressâ magna vi contin-

tinere, atque, ne quid violentius eveniret, momẽtanea illa quasi ope præpedire. Redibant hi insultus per certa intervalla. Nausea quædam his præibat insultibus, quæ instantium quasi præcursor per vices sese ostentabat. Mali æstus commotior, & quædam quasi indomita prehensio per duodecim integros dies fatigabat atque exæstuabat. Ab his deinceps remissiores syncopes, & quædam velut lipothymiæ tantùm per octodecim ferè menses exercuerunt: itidem per intervalla quæ cum tempore etiam vehementiora reddita, misellam miserè defatigarunt.

Ab eo non multò pòst tempore febri fuit correpta, de genere epidemiarum, quas pestilentiales nuncupant. Pustulæ siquidem & maculæ rubræ ex superficie corporis, aliquot dierum intervallo, efflorescebant. Hanc insequutus est vomitus, excitatus à materia quadam atrabilaria, nigra, & picis ferè in modũ adhærente. Vomitu peracto non exiguum levamen sensit, ita atq; utcumque salubriter aliquot transegit annos: utcunq; inquam; etsi enim nullis symptomatum graviorum insultibus conflictaretur, inintegrum tamen nondum erat restituta, mali contumacia: quòd profundiùs radices fixerat, subinde obhærente, corpusque quasi neutrum à perfecta sanitate etiamnum arcente.

Ses

Sesquianno verò pòst febre continuâ correpta, septima die evanuit, absq; manifesta, aut certè effatu digna crisi. Hæc febris post se reliquit totius corporis, sed potissimùm faciei pallorem non sine lividitate. Tensio atq; inflatio utriusq; hypochondrij, sed maximè sinistri, oriebatur: crurum tumor œdematosus: lassitudo ingens, sitis assidua, cibi fastidium, & ἀνεψία, dyspnœa, palpitatio cordis, per vices in immensum adaucta, subinde remissior: dolor capitis continuus ferè, tinnitus auriũ, vertigines frequentes, quamvis moderatiores oboriebantur. Hæc sunt symptomata, &, ut veriùs dicam, hæc est illa κακῶν ὀδυσσεία: hic malorum cumulus, quo nobilissima hæc adolescentula conflictata, atque ad extremum ferè fuit exercitata: ita ut & partes animales & vitales, & naturales, harumque œconomias & κράσεις primigenias, si non fractas, at certè oblæsas, & miris modis depravatas esse certum sit.

Nam ut de capite, parte eminentiori, principaliorique, adeóque Palladis illa arce, primùm verba faciamus: Dolor ille, qui cerebrum perpetuò ferè molestat, vertigine, auriumque susurro stipatus, quem nec rarò, nec ita breves fluxiones supra maxillas primùm atque dentes consequuntur: quæ ul- *Morbi qui caput obsident.*

implentur aures,propter halituoſos,aut flatulentos ſpiritus,qui egreſſum haud reperire poſſunt: nunc vertigo ſuboritur,dum fuliginoſa evaporatio in cerebri cavitates inſiliens ac inæqualiter in iiſdem circumacta, in plexu choroide humores variè impellit, ſpiritusq; animales agitat,unde motus ille ac opinatio,ac ſi totum corpus in gyrum convertatur: nunc fit cephalalgia illa, aut capitis dolor,in anteriore præſertim capitis parte, dum halitus lentus,& difficulter diſſipabilis,aut certè mordax, ac ſubinde ſuccreſcens, & nō in ſyncipitis meatibus incluſus,coercitus,coactus,& velut impactus: aut deniq; pericranium, meninges, partes exquiſitiſſimi ſenſus acrimonia ſua ferit, aut copia diſtendit.Hinc deniq; odontalgia, ſeu dentium,& maxillarum dolor, & variæ tum in os,tum in ſcapulas & brachia dolorificæ fluxiones promanant ex vaporibus frigiditate cerebri condenſatis,&in aquam reſolutis,qui tandē in ſubjectas illas corporis partes deſtillant. Perinde ac terrarum expirationes in nubes concreſcentes mox diſſolvūtur in imbrem: haud ſecus ac vaporarii,aut alembici halitus in ſublime elevatus, denſatur in aquam. His itaq; ſymptomatis, atque his de cauſis affligitur caput.

Nec ſuis caret malis thorax, ſeu pectus, partes- *Morbi thoracis.*

minoris periculi esse videatur, quippe quæ segniùs nocendo, tardiùs suffocet: neutiquam tamen flocci facienda est, sed vel imprimis curam, diligentiamq; nostrã etiámque singularem desiderat. Extat enim solemne illud dictum Hippocr. omni medico, si sapiat, eximiè considerandum: liberam & facilem respirationem, in omni morbo acuto præsertim, maximum habere ad salutem momentum. Hæc dyspnœa symptoma est in genere motus imminuti tantùm, & debilitati: ut Asthma & orthopnœa symptomata sunt respirationis depravatæ, & ἄπνοια deperditæ. Symptoma istud morbum sequitur organicum, obstructionem nempe pulmonum, seu per ἰδιοπάθειαν, nempè proprio pulmonum affectu, ut ab obstructione fiat, sive per συμπάθειαν aliarum partium id accidat, à quibus tum diaphragma, tum ipsi pulmones, & gravari, & opprimi possunt. Cujus dyspnœæ internæ causæ sunt, virium imbecillitas, vehemens in corde & pulmone calor, & viarum spiritus angustia seu obstructio, ut prudenter dogmaticorum ille coryphæus Gal. annotavit. Spiritus siquidem calorque tutissimus, fidissimusque vitæ janitor, interclusus via, obseptus humorum farctu, prępeditus transpirationis expirationisque libera, vitæque illa tantopere expetita

facultate agitat, commovet, sed coactus, & quodam quasi pondere oppressus, ecquin possit aliter? quàm impetu faciundo, si non vehementi, at qualiquali possit, cerebro suffracto, titubat, motitat, & non sine patientis angore, istud quicquid est, respirationis labascentis molitur? Enimverò sanè, sat sit in hoc nostro subjecto caloris immoderatioris imbecillitatem, hoc est impeditam exercendæ, obeundæq; actionis ordinariæ facultatem, pro causa dyspnœæ adduxisse. Nec opus sit nunc, plurib. in re tam manifesta doctissimis vestris auribus obstrepere. At verò quod ad obstructionem spectat, istud judicii mei esto, causari potius à crasso vapore, vel exhalatione quadam fuliginosa halituosâve illa, sed spissa, seu turbida potius, quàm ab humore quodam crasso, glutinoso adhærente, vel pulmonum bronchiis, aut fistulis impacto. Et ratio est in promptu: nulla nec tussis, nec purulenta expuitio, vel anhelatio rauca hanc nostram infestat. Noti sunt sagacioribus ejusmodi fumigantium exhalationum malignarũ effectus: qui non debilem tantùm præbent respirationis motum, sed quasi penitus abolitum, ut abundè apparet in syncopes, & suffocationis matricis accessibus. Ecquid quæso mirum? cor siquidem viscus nobilissimum, impuram illã

tabi-

tabificamque auram nec trahit, nec verò trahere quit: quid fit? dura illa, & legis, & conditionis nescia necessitas,interea urgens attrahere cogit invitum, & vel reluctans. Hinc frequens, crebra,adeoq; vitæ ardua illa respiratio. Sic venis plerumq; impuris succis,sangvineq; corrupto turgentibus, videmus carnes contabescere:quia citiùs partes vitali suo balsamo, emphyto calore, & nectare illo cœlesti fraudari, urgens cogit tantisper bene vivendi necessitas,quàm impurum sangvinem,aut pestilentem spiritum trahendo sub tanti antagonistæ tyrannide miserè vitam transigere. Et cogitur tamen misera hoc, & jam ab aliquot annis querula occlamitante nobilissima nostra adolescentula.

Internarum causarum hæc esto ratio. Sed quid de externis dicemus,quæ eandem dyspnœam creare possunt? Talis est vapor crassus,uti dictum,isq; metallicus prorsus,potissimum argenti vivi, quem penetrantissimũ esse,& cuncta (ut liberè quod sentio loquar) pervadentem, notius est exercitatioribus, quàm ut longa egeat demonstrationum serie. *Causæ externæ.*

Nec vanè rationes subministrat res, atq; discursum. Quippe edocti sumus,nobilissimam nostram cùm nondum decimum ter-

tium annum superasset, temerario, ideoque detestando, & pernicioso cujusdam vetulæ consilio, laminam plumbeam argento vivo, seu mercurio abundè refertam, pectori appressam supra unius integræ diei spatium retinuisse. Ecquid non audet temeraria ignorantia? quid non subit spei plena (licet vana) bene vivendi necessitas? Nempe sic fit medicina, ut agnoscatur, scilicet si videatur experimenta fecisse, per temeritates, per plagas, addam & si lubet cum Plinio, per mortes. Mirum verò: unicuiq; medicinam profitenti statim credi, etiamq; vetulę, ac alteri fortè Proserpinæ, cum in nullo mendacio periculum sit majus. Misella hæc nostra uberrimum hujus peperit exemplum. Nam nescio quo fato, ingeniosa alioqui, detestandum consilium gravissimis illis, & vel dictu gravioribus fuit tacta symptomatis, omnisq; eius dispositio, & valendi consuetudo, quæ priùs bona, nunc abiit certè in deplorãdam, si non deploratam. Opportunè huc quadrat, quod Gal. alicubi refert de quodam, qui in cupreis laborans fornacib. in insula Cipri, ab exhalationibus suffocatus fuit. Idem alibi meminit cujusdam dyspnϾ à refrigeratis nimium præcordiis imposito medicamento obortæ: ut non ampliùs restet nobis dubitandi occasio, cur hoc idem acciderit in

hac

hæc noſtra, cùm illud & occaſio, & cauſa ſufficiens, & rerum demonſtrator effectus abundè declaret. Nam licet externa tantùm videatur, valida tamē eſt, ac certè ejuſmodi, ut & difficilem reſpirationem, & ſyncopen, atq; cordis palpitationem, reliquaque ſymptomata ſuperiùs enarrata produxerit, & quaſi poſt ſe traxerit, ex cauſarum pręternaturalium ſerie quadam, ſe mutuò conſequentium. Primum ſiquidem Mercurii ille vapor craſſus (quà tamē eſt mobili penetratione præditus) intro ſubiens, pulmonum ductus offarciebat: præterea maligna ſua qualitate in ſyncopen miſellam præcipitavit, adeoq; priùs vegetam & ſanā, nunc reddidit ægram, nec ullam ferè facultatem probatam, & ſalubrem edentem. Non temerè itaq; Arabes, imprimis Rhaſis & Avicennas inter alias difficilis reſpirationis cauſas reſiccationem numerant, à qua conſidentes, & graviores facti pulmones thoraci officiūt, moleſtiamq; movent, non morem gerunt: quæ reſiccatio ut plurimū contingit ab aura fumoq; metallorum craſſo & venenato, à quo & pulmones tabeſcere, & cerebri, vel potiùs, ut cum Ariſtotele loquar, cordis vis motrix reſolvi, atque imminui poteſt.

Quòd ſi cauſam rogites febris lentæ, palpitationiſq; cordis: ecce illam in promptu: *Cauſa febris lentæ.*

nam difficilem respirationem communiter lenta quædam, & quasi occulta, intusque delitescens febris comitari solet. Quippe à caussis quæ syncopen pariunt, oppressis præcordiis, calor, qui intus agit, quod sufficiat, cùm eventilari nequeat, intus coërcitus excandescit, quare & spiritus: unde ejusmodi febris.

*Palpitatio quid sit?*

Palpitationem quod attinet, quam Græci vocant καρδίας παλμὸν, quæ crebra, velox, vehemensque quædam est cordis συστολὴ, καὶ διαστολὴ, ea non est operatio secundum naturam, & â Galeno affectio dicitur πάθος, seu πάθημα. Ipsum enim cor dum liberè distendi & constringi non potest, tremere, palpitareq; sentitur. Siquidem ad utrumque motum festinat, & neutrum bene peragit. Talis palpitatio in nostra hac virgine perpetua ferè, quamvis interpolata quodammodò appareat, & periodica dici possit, quod accrescat, & certis temporum intervallis multum intendatur: Remittit itaque palpitatio, non intermittit: nam per periodos quasdam exacerbatur, uti dictum: quod antequàm eveniat, oscitationes quædam, pandiculationesque, ceu præcursores quidam sese ostentant: vires mox fatiscunt & non mediocriter prosternuntur: caput quoq; debilitatur, & corporis prosternationẽ minitatur: nec tamen cadit in syncopen totalem: nec ullus unquã motus

motus inordinatus, præter jam dictos, in ea observatus.

Periodicam hanc, inquam, palpitationem debilitatemque à fuliginosis, malignis, & quodammodò venenatis vaporibus oriri statuimus, qui certis temporibus magis, quàm aliis, ex partibus inferioribus nutritioni dicatis sublevantur: nempe ex liene magna terrestrium impuritatum colluvie farcto, ut dicetur postea: aut ex intestinis, & alvo perpetuò ferè in ea adstricta: aut ex mensium retentione, quas nec ordine debito, nec copia legitima fluere in nostra hac nobis constat. Hinc itaque ex diversis locis, & quasi corporis cloacis maligni vapores sublimati, cor tentant, ipsumque adeò cerebrum invadentes, vertigines, & motus quosdam attonitos, mox totius corporis debilitatem adducunt. Cor verò fons & origo spirituum vitalium, & vas illud preciosum nectaris vitæ nostræ, tetros istos halitus, & cum eo quasi ex diametro pugnantes, discutere, atque repudiare tentans collectis viribus intentiùs movetur in se, ut expellat, quod noxium est. Unde palpitatio illa, aliàs vehementior, aliàs debilior, atque remissior: modò longior, modò brevior: nunc majore virium jactura, nunc minùs vehementi prostratione stipata, pro qualitatis vaporum pernicie

Palpitationis causa.

nicie funestiori, & tolerabiliori, & pro ejus-dem quantitatis magis minúsve excedenti ratione. Nam quemadmodū vaporosæ substantiæ ab odorabilibus corporibus fluëtes varie nos afficiunt:(svaves enim adeò fami-liares homini existunt,ut spiritus restaurē & in nutrimentum convertantur : fœtidi contrario, è rebus putrefactis exhalante spiritus inficiunt,atq; nauseam excitant ita assidua halituum in nobis generatio d versimodè quoque nos afficit.quippe è san gvine optimo,laudato, nulloque superflu humore inquinato, placidi & utiles halitu cor ipsum spiritúsque nostros reficientes foventes procreantur.Itemque ex halitibu svavibus(quos de nutrimento calor excita in cerebrum sublatis, placidus, & quieti conciliatur somnus.

At ex vaporibus fuliginosis,perustis ac r torridis fiunt è cōtrario somnia turbulent capitis dolores, vertigines, tinnitúsque a rium,& similia jam à nobis commemora symptomata : ut & à corruptis,& virulen vaporibus suscitatis (seu ab aliqua mater impura in ventriculo, liene, utero, & al præcordiis congesta, seu à putri vermiu materie suborta)&per arterias ad cor tra missis,in ipso corde illæ venenatæ prædic exhalationes, & lypotymias, & dyspnœ

& p

& palpitationes cordis commemoratas producunt. Et ſolent herclè ejuſmodi ſymptomata ſequi aut comitari menſium, hæmorrhoidúmve ſuppreſſiones: quemadmodum & melancholias hypochondriacas dictas & præ iſtis omnibus vel maximè etiam cachexias: id quod plerisq; ferè filiabus pica laborantibus ſeu pallidis coloribus evenire videmus. Ut non mirum ſit, ſi eadem ipſa, huic noſtræ nobiliſsimæ juvenculæ acciderint, quæ ejus ætatis, & conſtitutionis adoleſcentulis, ut plurimùm evenire conſveverunt.

Reſtat ut de affectionibus partium nutritioni dicatarum aliquid etiam dicamus. Eæ ſunt, imbecillitas, & dolor oris ventriculi, quem καρδιαλγίαν Græci nuncupant (vel à cõſenſu, quem ſtomachi orificium habet cum corde, vel ſanè, quòd ipſiúſmet cordis dolorem interdum mentiatur) Item obſtructio hepatis & lienis menſtrua ex parte ſuppreſſa, inappetentia cibiq; faſtidium, crura per vices œdematoſa, pallor, & quædam quaſi livida faciei inflatio (*tout bouffi* noſtri Galli vocant) hæc, inquam, ſanè omnia ſigna ſunt pathognomica, cachexiam, pravamque corporis habitudinem demonſtrantia: Pallidũ colorem (*les palles couleurs*) noſtri nuncupant. Affectus adoleſcentulis fœmineis apprimè familiaris, ut dictum eſt antea. Huius

*Affectiones partium nutritioni dicatarum variæ, quæ ægram torquebant.*

cauſæ

*Causæ externæ.* causæ esse possunt & externæ,& internæ. A externas refero usum, vel potius abusu fructuum crudorum, acetariorum, oler: ceorumque: intempestivum frigidæ potun & similis ejusmodi inordinata vivendi rati

*Causæ internæ.* Internas dico, crassos, tartareos, viscido atque terrestres humores, qui hepatis, spl nis, atque mesenterii vasa, & ductus farcien tes omnium naturalis œconomiæ bonitaten depravant,ordinem pervertunt, functiones facultatesque alteratricem, concoctricen ipsamque adeò expultricem prosternunt aut certè abundè vitiant. Hinc ex consequenti,sangvificatio depravata, denique cachexia prædictis symptomatis quasi satellitibus stipata procedit.Cujus cachexiæ causas speciatim alibi ex professo perquiremus. Hæc de affectuum & partium affectarum causis causarumque diagnosi abundè proposita mihi videntur. Transeamus ad prognosticum, ut quid boni sperari, quid mali posśit metui, ea de re nostrum constet judicium.

*Prognostic.* Dicam in genere: Symptomatum, & eorum quidem gravissimorum, ad hæc partium offensarum nobilitas morbum hunc complicatum reddunt, difficillimæque curationis: eoque id magis dico,quod plurium doctissimorum expertissimorumque medicorum consilio (absque tamen successu

aut

aut effectu effatu digno) sit usa. Ad hæc ventriculus ejus tot medicamentorum importunitatibus fatigatus est atq; prostratus, ut vel dictu tantùm medicamina fastidiat abhorreatq;. Nihilominùs tamen, quia vel secundùm Celsum spes licèt dubia in medico semper laudabilior utiliorq; quàm desperatio certa: nobisq; res sit cum ægra florentis ætatis, & quæ sana svadentibus, nec nimis fastidienda medicamenta, morigeram atque obtemperantem se sit præbitura, auxilio divino confidentes, pristinæ sanitati perfectæ restitui posse indubiè affirmare ausim. Quam ut consequatur, nullis non precibus ad Deum factis, nec laboribus, aut industria, quā idem impertiat, fatigati, fidelem operam, omnesq; ingenii conatus pollicemur, & re ipsa præstabimus.

Ergo ut πρὸς τὸ δέον, ad id quod est opus, hoc est, θεραπείαν tandem accedamus, organa quibus nobilissimæ nostræ ægræ subveniendum, ex triplici fonte desumi possunt: ex diæta, seu vivendi lege: ex chirurgia, seu manuali operatione: deniq; ex pharmacia seu legitima medicinarum administratione. *Curatio.*

Diæta seu vitæ consuetudo legitima versatur in sex rebus, quas medici non naturales appellant, ritè administratis. Quoniā verò ęgra nostra in vivendi consvetudine, & in plerisq; *Diæta.*

plerisq; suis actionib. se moderatissimam præbere consveverit, cumque de vivendi ratione jam plus satis à nobis sit edocta, magisq; etiam porrò, si ita videatur, quæ vitare, quæ item amplecti debeat, & sequi, simus docturi, idcirco minutiùs nunc singula pensitare, nobis non videtur consultum.

*Chirurgia.* Similiter silentio præterimus remedia è chirurgico fonte deprompta, cum apud nos stet sententia, ad eradicandam cachexiam, quacum nobis erit propugnandum, plus conferre purgationes, quàm sangvinis missiones. Ad hæc, nec cucurbitis, aut ventosis maximoperè fuerit opus, cum nulla defluxio impetuosior in nobiliores partes decumbat: tantoque etiam minus ruptoriis ad revulsiones derivationesq; opus esse putamus. Si quid tamen instrumentorum chirurgicorum utilitatem aliquã adferre posse nobis videbitur, nos illud ἐν καιρῷ quod ajunt, & debita occasione ac modo ad usum transferre haud intermittemus. Hoc fortè ut velut obiter, & velut per transennam addam, venæ malleoli sectione pro mensibus in legitimum ordinem redigendis præstari poterit. Quod si quid fortè (ut est nulla calamitas diu sola) novo mali genere aliquo fuerit conflictata: & tum quid facto sit opus, consilio non destituemur.

Nihil

Nihil itaque supereſt amplius, quàm tertium curationis organum, nempe pharmacia, quæ conſiſtit in debita convenientique medicamentorum tam internorum, quàm externorum adminiſtratione atq; applicatione. Iam verò in tanto malorum concurſu ſymptomatumque diverſitate, quis tenendus modus, quæ ratio, quæ via ineunda, ut ad ſcopum, ad quem intendimus, ſanitatem fœlicibus auſpiciis collimemus? Nimirum ita procedendum. Diverſæ indicationes curativæ nobis ſunt proponendæ: ſed ea lege atque omine, ut tendant omnes ad cauſarum tantorum ſymptomatum evulſionem: ſed qualem? Talem, inquam, quæ nec violenta, nec naturam jam plus juſto fatigatam omnino deſtruere ſit potis. Attamen ſufficiant ad earundem quæ firmiùs infixa ſunt, & quaſi radices jam egerunt, eradicationem feſtiviſſimè moliendam. *Pharmacia.*

Primùm ergo quæ cruda ſunt indigeſtaque, digerenda diſcutiendaque: viſcida & craſſa attenuanda: compacta, & quaſi coagulata, liquefacienda atque diſſolvenda: hærentia atq; impacta, incidenda, ſegreganda, extirpanda. Haud ſecus ac tartarum vinorum cadis ſive doliis firmius adhæreſcens, ita in hoc ſubjecto fœces humorales affixæ *Prima indicatio.*

radicitus exturbandæ. Sed continuato op
est usu,nec intermissioni hîc locus, ut r
sufficienterq; materia digeratur,atq; ad e
pulsionem faciliorem præparetur. Cra
namq; difficulter moventur,ex omnium r
ctè sentientium medicorum dogmate.Co
cocta quinetiam medicari & movere, nc
cruda scripsit summus medicinæ dictat
Hippocrates.

*Secunda.* Secundò per intervalla mitè, & absqu
ulla commotione purgandam suaserim: hu
mores quippe debitè præparati medicame
to etiam familiariori cedent faciliùs, qui
vel solius naturæ beneficio,aut certè levi ar
tis adminiculo, hostiles, si qui restabunt
morborum symptomatumque insultus su
perabimus.

*Tertia.* Tertiò ac ultimò partes omnes animales
vitales,naturalesq; sunt corroborandæ, fir-
mandæque eæ potissimum quarum œcono-
miam vitiatam esse diximus: cujusmodi
sunt,cor,ventriculus,lien, hepar, & de quo
primò fuit sermo, ipsum quoque cere-
brum. Interim non omittenda propria &
specifica antidota,quæ fuliginosorum mali-
gnorumque vaporum & qualitatum tabum
refrænare, obtundere, atque emendare,
vel etiam supprimere possint. Haud secus
nam-

namq; ac fermenti exigua quantitas totam pastæ molem in suam naturam convertit, ita causarum malignarum vis, & qualitas symptomatum proterviam conservare, & in insultibus obfirmare potest.

Has omnes indicationes, intentionesque curativas, qua fieri poterit cura, atque prudentia, benignis, convenientibus interim specificisq;, remediis expediemus. Ea denique tam interna, quàm externa ita accommodabimus, atque dirigemus, ut causas evellere, & morbos emendare, & symptomatum incursum arcere pari efficacia, felicitateq; possint. Subinde verò temperamento & nobilissimæ adolescentulæ complexioni studentes, tempore, loco, occasione, arte denique, ac methodo singula ita aptabimus, ut & delicatæ eius naturæ, (sive temperamentum spectes, sive ætatem) &, quod inprimis statuendum, stomacho jam prostrato, & medicamentorum usum prorsus fastidienti consulamus. Ita enim comparata esse videtur, ut si pluribus remediis, maximè quæ in communi sunt usu, magis exerceatur, metuendũ sit, ne unà & ægram, & ægritudines tollamus: & quod proverbio dici solet, *Oleum perdamus & operam.* Huic incommodo ita præveniemus, si alterius formæ, & qualitatis

medicamenta, quæ tamen ad eundem scopum colliment proponamus, quæq; præparatione sola, gustu sint gratiora, virtute efficaciora, & in minima dosi exhiberi possint. Nunc itaque serie quadam de singulis acturus, quid in principio, quid postea, quid deniq; in fine agendum, declaremus: Curationis initium lubenter à clystere ordiremur, nisi certo nobis constaret, hos illam mirificè abhorrere. Quapropter minorativi, & longarum præparationum loco, quæ attenuando, digerendo, incidendo, tergendo, ac vicissim roborando julepis, apozematis, compositis ex radicib. herbis, seminibus, fructib. & florib. simplicium perfici solent. Item vacuationum, quæ vel simplici aliqua infusione, vel decoctione syrupísve, & his vel simplicib. vel longis & magistralibus dictis aliisque ex rhabarbaro, foliis sennæ, agarico, & his similib. vulgaribus præstari possent: nos illa omnia prætermittentes ad gratiora selectioraq; recurremus. Etsi verò jam dicta medicamenta præ cæteris ferè tutiora benignioraq; habeantur; ita tamen virgo hæc nostra ex diutino illorum usu abhorret, ut vel mortem oppetere ultro malit, quàm iis, aut talibus potionibus, alteriúsve vulgatæ formæ medicamentis ulteriùs molestari aut obrui

*Quomodo in præsenti cura sit procedendum.*

obrui. Igitur par eſt, inquam, ut nobiliſſimæ patienti noſtræ & morem geram, & nihilominus interim noſtris remediis illam neutiquam deſtitutam eſſe reipſa, hoc eſt, arte atq; induſtria noſtra comprobemus. Hoc fiet ſi dulciſſima, benigniſſima, gratiſſimaq; nec vel odore vel guſtu nauſeam moventia delegerimus. Purgationi ſufficere arbitror, eam ipſam medicinã, qua jam ter ſatis feliciter eſt uſa, qua tamen & jucundè, & ſufficienter fuit purgata. Iſtud remedium purgationis cōmunis loco accomodari poteſt, ita ut omnib. intentionibus requiſitis abundè ſufficiat. Paratur autem ex eſſentia Aloës per baln. mar. calens, extracta cum aqua endiviæ, in quam illa tincturam rubini inſtar transfundit, fœcéſq; in fundo ut inutiles ſubſident. Sic purum ab impuro ſeparatum, aquam ſeu liquorem tinctum in patella argentea, aut alẽbico exhalare permittimus, unde reſidet aloës extractum conſiſtentia mellea, colore rutilo inſtar rubini, atque perfectiſſimè dilutum, purificatumq;. Hæc Aloës eſſentia baſis eſt dictæ noſtræ medicinæ purgantis quam ſic paramus.

*Pilula catholica Quercetani.*

℞ eſſentiæ aloës eo modo, quo jam dictũ paratæ ℥ iiij. adde ſucci florum violarum, ſucci florum perſicorum, atque roſarum, palli-

pallidarum. Itemq; ſucci florum cichorii, bugloſſi, calendulæ, primulę veris (omnium debito tempore, ac modo, hoc eſt longa digeſtione à terreſtri ſubſtantia, ſeu fœcali, artificioſa ſeparatione depuratorum, ut velut in ſyrupum ferè abeant, qui abſq; ſaccaro, abſque melle diutiùs cæteris vulgarib. ſyrupis conſervari poſſunt: adhæc viribus longè ſuperiores) ſingulorum ℥ iiij. extracti rhabarbari, extracti ſennæ ana ℥ ij. ß. eſſentiæ croci ℈ j. ß. olei myrrhæ ℈ j. olei caryophyllor. & cinnamomi ana guttas viij. cremoris tartari in tenuiſſimum, atq; adeò impalpabilem pulverem redacti quantum ſufficit ad prædictarum omnium eſſentiarum reliquorūq; inter ſe miſtorum proportionem, ut ex arte fiat maſſa pilularum, præſtans eſt hæc medicina, & verum catholicum: jucundè admodum purgat, nullas perturbationes movet, ſtomachumq; firmat ac roborat, ita ut tutò etiam delicatiſſimæ naturæ, ac debiliſſimi ventriculi tum hominibus tum mulieribus cujuſq; ſexus, ac ætatis exhiberi poſſit. Datur pilula unica, & ſola, quam cum ſpiritu vitrioli genuino omnium purgantium correctivo malaxamus, aut ab ipſo ſtatim principio dum paratur maſſa. Nolui eximiam harum pilularum præparationem particulariùs deſcri-

ſcribere,cùm & in prōptu nobis ſint ſemper in noſtrum,&amicorū uſum,& cum tempus nunc non ſit,eas præparandi,& deniq; quod modus parādi eas,addiſcatur potiùs αὐτοψίᾳ & propria inſpectione quàm ex ſimplici & nuda deſcriptione, etſi vel curioſior ea ſit. Non leve quippe artificium eſt in depurgādis ritè ſuccis per digeſtiones, decoctiones ſeparationesq;,id quod ſolis tantùm artificib.&re non nomine talib.notum eſt,& manifeſtum. Cæteri qui hæc aut neſciunt, aut non curant, ideoq; neſcire malunt, digni profectò ſunt, qui neſciant atq; ob id tales laudes in curationibus (verius dixerim ægrorum tractationibus) reportent, quales pleroſq; ſuperciliosorū iſtorum reportare, notius eſt,quàm ut à me hoc loco ironico luſu prædicetur. Non vident nimirum, aut videre nolunt,in illa nobis propoſita præparatione artem imitari naturam,quæ & ipſa in omnibus,quæ ſub cœlo ſunt,quod craſſū, fœculentum,ingratum atq; inutile eſt, propria conſuetaq; digeſtione ſeparat. Sic vinū depuratum ſapidius, ſic panem fermentatum ſuaviorem,ſic cætera omnia ritè digeſta gratiora ſvavioraq; eſſe vulgus novit: & nos,qui medici eſſe, aut haberi volumus iſta ignoremus aut ſcientes negligemus?

Porrò præparationis loco, juleporum, ac *Iuſculum.*

apozematum vice,ſvadeo, ut ſingulo manè juſculum hauriat ex gallinarum, pullorum. cæterorúmve volatilium,aut etiam arietina aut vitulina carne elicitum,quæ omnia farciri poſſunt capparibus, paſſulis Corinthiacis: in quo incoxerint radices dentis canis, aſparagi: Item herbæ acetoſæ, pimpinellæ, boraginis,bugloſſi cum tantillo hyſſopi,& thymi: ſatis deniq; magna copia florum calendulæ,qui omni ferè tempore habentur recentes.Fugiantur braſſicæ, aut his ſimilia herbarum genera.Præterea amaræ,& nauſeoſum guſtum creantes. Iuſculo bene coćto, & carne cæterisq; ritè conſumtis,colatisque addendus noſter cremor ſeu cryſtallus tartari, cujus deſcriptionem trademus in noſtra pharmacopœa dogmaticorum reſtituta.Hunc cryſtallum elicimus ex tartaro vini optimi per ſolam ebullitionem, qui, quod cryſtalli candorem,& luciditatem ſortiatur, tali à nobis appellatur nomine.Guſtu quidē eſt inſipido,ſed ſi drachmæ ſemis pondere juſculo permiſceatur,ſuccum ei conciliat acidum,atq; gratiſſimum. Excellens remedium ad purificandum ventriculum, ad expurgandum hepar,lienem, meſenterium à craſſis terreſtribus,& mucilaginoſis: vel ut veriùs loquar&exaćtiùs à fœcibus tartareis,

*Cryſtallum tartari.*

quæ

quæ ductibus obhærentes, viscera prædicta obstruunt atq; offerciunt, adeoq; seminaria infinitorum propemodum morborum ingenerant. Idem crystallum nostrum insigne diureticum est: nam urinas festivissimè provocat, & dosi prędicta sumptum, unā atq; alteram sedem, præter consuetum, benignè admodum excitat.

Ejusdem crystalli vice interdum prędicto jusculo ad majorem detersionem addi possunt salia absynthij, artemisiæ, melissæ ceterach cum aquis propriis extracta. His salibus ritè paratis, communis salis loco condiri possunt juscula. Ex quorum usu continuato, bonus & salutaris effectus digestionis & roborationis viscerum prædictorum, ipsiusq; adeò nutricationis indubiè consequetur. Sal item extractum è cinerib. Corticum arantiorū, aut citriorum cum aquis suis propriis ad eosdem usus, eodemq; modo administratum mirificè confert. Nam & cachexias potenter diluit, & pica laborantes virgines in integrum restituit. Sed ac mensibus ciendis nobilissimæ huic virgini plurimum præstabunt: maximè si eo, quo fluere, (licet imperfectè) solent tempore, aut paulò antè aliquot guttulæ essentiæ croci adjiciantur: poterunt quinetiam in eosdemmet usus hy-

dromellitatum præparantia tum purgantia ex reb. convenientib. præparari. Hoc de præparantib. & purgantibus nostrum judicium esto. Deinceps ad roborantia specifica trãseundum. Scimus in usu communi, nec sine profectu, esse tabellas cõditas, opiatas, singula peculiari alicui visceri destinata atq; ex pulverib. cordialib., corallis, margaritis præparatis, rasura eboris & similib. itemq; ex confectionib. de hyacintho alkermes, trociscis dialacca, de evpatorio, de Alcheken. de rhabar. ac reliquis ejus generis, quib. uti dictum, non infœlici successu ad infarctus prædictorum viscerum liberandos, eademq; roboranda artificiosè concinnatis formulis vulgò medici utuntur. At cum constet nobis ęgram hanc talia & ejusmodi planè abhorrere, alia deinceps ineunda est via, & ex gratissimis aliquid cõficiendum, quod ei & morem gerat, & operam nostram non ludat, sed multum etiam adjuvet. Quare sequentium tabellarum, nullo nauseoso gustu præditarum usum svadeo.

*Roborantia.*

*Tabella.*

℞ essentiæ coralli, & margarit. ana ℥ j. ambræ grysiæ ℈ j. limaturæ chalibis ritę paratæ ʒ iij spodii ʒ j. ß. flor. sulphuris itidem legitimè & ex arte paratorum ʒ ß. salis baccarũ juniperi, absynthii & salviæ ana ℈ j. conf. al-

kermes

kermes ʒ ij. saccari rof. dissol. in aqua cinna. q. s. ut fiat electuarium per tabellas pond. ʒ j. extra ignem illinahtur cum oleo anisi. Aut si istud adversetur; alio quodam liquore, vel oleo ipsi grato, ut cinnamomi, fœniculi, aut aliquo simili. Capiet tabellam unam singulo manè, quãdo aliis remediis ea die nõ utitur.

Tabellarum prædictarum loco sequenti aqua theriacali interdum utetur: est n. præstans specificum ad omnia supra posita symptomata: Roborat partes nobiles, cor præcipuè, quod cùm assiduâ ferè palpitatione fatigetur, imprimis tali eget auxilio.

℞ rad. angel. pœoniæ, caryophyllatæ, barbæ hirci, tormentillæ, petasites, visci querni an. ℥ ij. santali citr. ligni aloës an. ℥ ß. seminis cardui benedicti, acetos. citri. & cort. ejusdẽ an. ℥ j. baccar. junip. ℥ j. ß. epithim. flor. calend. anthos an. p. j. flor. viol. nymphææ borrag. bugl. cichor. rof. rub. ana. p. j. ß. ulmariæ m. j. macerentur in lib. iiij. hydromel. vel vini albi generosi per iiij. dies ad ignem bal. mar. calid. dein exprimantur fortiter. Hinc expressioni adde theriac. Alex. ℥ iiij. croci ʒ j. cinnamomi cariophil. an. ʒ ij. spec. lætif. Gal. vel Gabr. spec. diamarg. frigidi & diacorall. ana ʒ ij. s. macerentur denuò per duos tresve dies ad ignem baln. Aqua theriacalis.

dein

dein deſtillentur per cineres ad ſiccitatem fiat aqua theriacalis. Ut præſtantior, & efficacior fiat hęc noſtra aqua theriacalis, extrahendus eſt ſal ex fœcib. reſidentib. ea qua decet arte, atq; cum aqua prædicta commiſcendus. Doſis eſt cochleare argenteum media tantum parte repletum. Eximia ſic evadit hæc aqua, & mirifica ad omnia prælibata ſymptomata, & ad omnes morbos, in quib. malignæ alicuius putrilaginis, aut venenatæ qualitatis vis, vel ſuſpicio emicat, & quamvis ad omnes ferè alios affectus ſimiles uſurpari poſſit: imprimis tamen cor reſpicit & partes reſpirationi dicatas, quemadmodum & cap. atq; cerebrum. His itaq; roboratio univerſalis perfici poteſt.

Nunc ſpeciatim partib. ad nutritionem facientib. proſpiciendum. Vinum noſtrum chalibeatum iſtud egregiè præſtabit. Tale etiam adverto neotericos etiam quoſdam maximopere comendare ad obſtructiones & cachexias, fœliciſſimisq; auſpiciis, & nos quoq; utimur ad cachecticas, & pallidulas juvenculas reſtituendas. Sed debita opus eſt præparatione atq; diſpenſatione. Nam temerè adeoq; nimis confidenter video ferri limaturam ſimplicem injici, quæ profectò craſſa, dicam liberè, non medica ſed fabrilis eſt

est ejus præparatio, quæq; non possit, non multum offendere ventriculum. Nihilominus tamē non desunt, qui in tabulas concinnant, & opiatis immiscent & exhibent, idq; aliquando cum fœlici successu. Longè nobilior est crocus noster martis debitè paratus: aut quod plus etiam in hoc negocio pōt, sal extractus ferre. Tutius, convenientiùs, feliciusq́; & in minori quantitate talia exhibentur istis malis oppressis. Descriptio vini nostri chalibeati hæc est.

*Vinum chalibeatum Quercet.*

℞ limaturæ chalibis cum sulphure præparatæ ℔ ß. rad. eryng. filicis, valerianæ, serpent. major. & corticis cappar. an. ℥ j. rad. acori santal. citr. an. ℥ ß. coral. rub. rasur. ebor. ana ℥ vj. ceterach, chamæd. chamæpyt. ana m. j. flor. genist. anthos, epith. ana p. ij. cinnamomi macis caryoph. an. ℥ iij. vini albi vel hydromelitis ℔ vj. macerentur per octiduum ad minimum extra ignem. Dein transcolentur per manicam Hippocr. & dulcorentur saccaro, ut fiat vinum gustui gratum. Dosis ℥ j aut altera singulo matutino.

Mira istud vinum præstat in omnibus cachexiis, opilationibus hepatis, splenis, aliarumq́; œconomiæ nutritivæ partium: cit urinas, & menstrua, prædictaq́; membra mirificè roborat.

Præter

Præter universalia prædicta roborantia recurrendum etiam ad particularia,& topica remedia cujusmodi sunt cucuphæ, sacculi, scuta, epithemata, frontalia cerebro & cordi roborando adhiberi solita. Horum omnium loco unica fomentatione ventris inferioris,& utriusq; hypochõdrii,regionisque splenis, hepatis ac mesenterii ad infarctus dissolvendos liberandosq;,mucilaginosas impuritates eradicandas, quæ ferè sunt reliquorum symptomatum seminaria. Usus potissimum esse potest horis matutinis.

*Fomentatio* ℞ cort. med. frax. & rad. ebuli ana ℥ iij. corticis cappar. thamarisci ana ℥ j. ß. santali citrini, rad. cyperi, filicis, polip. querni. eringii ana ℥ ij. brion. alth. ana ℥ j. eupat. ceter. chamæd. chamæpyt. meliss. menth. absinth. pont. ana m. j. abrotani, prassii albi,sambuci ana m. ß. sem. carth. contusi, baccar. junip ana ℥ ij. ß.coriand.ʒ vj.semin. alth. lini,cardui benedicti ana ℥ j. ß. epith. spicæ nard.rosar. rub.flor. genistæ. sambuc. chamæmel. ana p. ij. fiat omnium decoctio in aquæ chalibeatæ q. s. adde sub finem vini albi odori ℔ ij. aceti ros. ℔. ß. cum filtris infusis & express. foveantur prædictæ partes manè.

Fomen-

Fomentatione peracta eadem ipsa hora exhiberi potest, modò jusculum cum cremore nostro tartari & sale absynthij, modò vinum chalibeatum paulò antè descriptum. At sexto quoq; die suprà citatæ nostræ pilulæ erunt exhibendæ, vel pulvis diasennæ nostræ descriptionis. His præparationibus, purgationibus & roborationibus, cùm internis, tùm externis satis longo tempore præcedendum esse suadeo. Sed continuato opus fuerit usu, ut mali contumacia industriæ, ac artis natura adjuta, efficaciùs, atq; radicitus extirpetur. Interim perpetuò quoq; laudabili illa sibi consueta victus ratione utetur. Hæc sunt remedia ex vegetabilium familia deprompta: quibus nobilissima nostra ægra, quod maximopere svademus, uti potest ac debet, modo & ratione dicta in suum bonū, hoc est, ad sanitatem, & corporis vigorem recuperandum, quod unicè optamus, atq; vovemus. Quod si fortè mali tanta sit contumacia, (quod neutiquā futurum speramus) ut his artibus atq; remediis domari, atq; evinci nequaquā possit: non ideò protinus ad thermas aut aquas metallicas Nivernenses, Leodicenses, aut alias similes vitriolatas, alteriúsve qualitatis ablegandam nostram ægram censuerim: ( licet haud nos fugit hoc fieri solitum in morborum deploratissimo-

ſimorum declinationib. vel curationib. imperfectis, & qui nullis mediis perfectè emẽdari potuerũt) ſed potius ad eorundem metallorum artificioſam, atq; debitã præparationem recurrendum exiſtimarim. In iis.n. vis & δύναμις eſt ſpecifica ad profligandos tales hoſtes, exturbandaq; antè dicta ſymptomata: atq; omnib. & ſingulis intentionibus curativis appropriari, accommodariq; poſſunt. Hæc genuina eſt veræ & legitimæ medicinæ τέκμαρσις: hic ille Herculeus tantis monſtris ſuperandis ſufficiens, deniq; ut uno dicam verbo, hoc opus hic labor totius negocii. Quapropter inter purgantia ſpecifica metallica, aliaq; quæ à ſumis artis magiſtris adinventa, multaq; experientia comprobata ſunt, magnifacimus terram ſanctã, aquam auream, & Panaceam, de quib. tum expertus ille medicus Martinus Rullandus tum præſtantes alii medici mirifica prędicant in ſuis ſcriptis. Quæ remedia cum nobis nota eſſe credamus illuſtris genii atque ingenii, noſtræ patientis gratia lubens ipſemet præparabo, aut fidelis amanuenſis ope parari curabo. Horum tamen remediorum deſcriptiones trademus in noſtra pharmacopœa ſpagyrica.

Pilulæ be- Nec minus tamen probantur nobis pilulæ no-

læ noſtræ benedictæ, ſic appellatæ propter perjucundam,& perbenignam,interim efficaciſsimam purgandi rationem : quarum baſis eſt Mercurius ex prioribus metallis elicitus,& in eſſentiam redactus : vel arcanū tartari,& magiſterium vitrioli ſimul juncta atq; unita : eximias enim virtutes,& pari jucunditate atq; efficacia purgantes obtinent: maximè ad extirpandas cachexias mitiſſimæ,ſi quæ alia vacuationis genera,& per vētrē& per urinas naturam expurgantia,haud ſecus ac ab aliquib. aquis metallicis evenire videmus, Ut:nō temerè à doctis atq; expertis medicis, diuturnis morbis fracti ad eas ablegentur.His, inquā noſtris præparationibus : præ iſtis tamen facilè primas conceſſerim,artificio nempe in iis, ſi in qua re alia, naturam ſuperante. Tantoq; magis quòd eas & nobiſcum domi habere poſſimus, & omni tempore atq; occaſione ad uſum trāsferre. *benedicta Quercet.*

Roborans ſpecificum ad prædicta cordis ſymptomata efficax eſt eſſentia auri, extracta cum oleo juniperino, ad cerebri robur oleum argenti cum oleo ſalviæ elicitum: lac ſulphuris pro pulmonibus : aqua vitæ,eſſentia & tinctura corallorū,itemq; eſſentia, oleum & magiſterium perlarum : arcanum *Specifica roborantia.*

tartari,pro hepatis & partium naturalium corroboratione: deniq; ad dolores sedandos, spiritusq; reficiendos nostrum laudanum,quod ab insigni virtute Nepenthes appellamus. Hæc,inquam, sola summa, vera atque specifica sunt remedia, ad quæ nostrum erit refugium,si antedictis votis atq; intentioni nostrę superiora non satisfacient. Ad hæc dico,tanquam ad sacram ancoram, extremumq; refugium, quæ extrema dicimus,non violentia,aut agendi importunitate,(cum his nihil sit cordi atq; adeò vitæ benignius atq; familiarius) sed excellentia & potiendi facultate.

*Laudanum seu Nepenthes Quercetani.* Et quoniam de Nepenthe seu laudano nostro mentio incidit(quod à laudabili effectu verè laudanum dico. Nepenthes verò à similitudine, quam habet cum Nepenthe Helenæ,qua omnes langvores tollebat,ut est apud Homerum) medicinarum quotquot hactenus novimus summa, & incomparabili: non pœnitebit,spero (quæ nostra est juvandæ posteritatis voluntas)ejus descriptionem hoc loco subjecisse. Etsi verò jam ante viginti quinq; annos de eo aliquid dixerimus in libello nostro *In Aubertum*: volo tamen, ut specialiùs id nunc extet, ne frustra mirentur(quod faciunt multi)à tam exigua; & tam

& tam nullæ quantitatis unius grani piperis dosi, tam admirandos effectus, cujusmodi sunt: omnes dolores atq; langvores mirificè, ac velut incãtamento sedare citò, tutò jucũdè compescere hæmorragias, atq; fluxiones nimias cujuscunq; generis: vegetare atq; roborare spiritus, inordinatè vagantes compescere, idq; sicut dictum, pari promptitudine atq; felicitate. Et boni isti opii viribus tribuunt, quod laudani nostri præcipuum ingrediens esse sibi imaginantur. Sed imaginentur quantum volent, modò sciant nũc aut discant nullum in eo esse nec opium, nec opii vim, quamvis opium debitè præparatũ (ut soli nostri fideles norunt discipuli) non omnino repudiemus: ut ideò temerè à multis habeatur suspectum, tantoq; inconsiderantius quod constet vel medico semestri, illud haud infimum esse ingrediens theriacæ, summam Philonii basim, & aliorum plurimorum, nunc passim in officinis primas tenentium. Quin has potius nasutuli reprehendunt compositiones, quod eas opiũ nulla arte, nulla præparatione castigatum ingrediatur. Sed sapiunt quantum possunt, non quantum volunt. Nos vero & his modò dictis, sed aliter & magis ad propositum præparatis uti novimus.

*Præcipua vis Nepenthes in qua consistat.*


Pro certo tamen affirmamus, præcipuam vim narcoticam, quā Nepenthes nostra possidet, depromptam esse ex vitrioli sulphure dulci, ex sulphure argenti, tinctura coralli, essentiis croci & camphoræ. Nec desunt, scio qui rideant, quod sulphur quoddam dicam narcoticum, cum hanc vim stupefactivam immensæ frigiditati tribuant omnes. Sulphur econtrà, quod rem putant oleaginosam, nihil minùs, quàm talem virtutem obtinere posse. At non vident tales, cùm sint lusci, præter odorem ingratum, etiam maximam partem oleoginosā esse seminum papaveris, hiosciami & cicutæ, imò nihil ferè esse aliud, quàm oleum. Hic illorum certè odor, vel absq; substantiæ inspectione repræsentat nobis substantiam quandam oleaginosam, atq; sulphuream. Hanc festivissimè, & manifestisśimè invenire docet ars destillatoria. Hæc & alia multa certis & infallibilib. demonstrationib. publico scripto patefaciemus: ubi constabit vim narcoticam, seu stupefactivam, longè alteri & contrariæ quoq; qualitati, quam nudæ & soli frigiditati excessivæ esse tribuendam: cum nihil sit aqua simplici & elementali frigidius quæ tamen non stupefacit: cum sulphurea & vaporosa illa qualitate careat, cerebrum haud

haud facilè occupet,& narcosi sepeliat. Ecquid hoc manifestiùs docet vino? quid prōptiùs vapore croci? quid efficacius suo carponum, aliorumq; plurimorum sulphurea & vaporosa qualitate scatentium? utiq; ergo vim narcoticam calidam æquè statuendam,ac impensè frigidam (ut illi ajunt) putarim. Hæc quippe sola, atq; potissimum tales effectus producere possunt, & solent, quos narcoticis omnis schola medicorum tribuit.Sed ut redeamus tandem ad id,unde digressi sumus, Nepenthes nostra, cujus spē fecimus,ex sequentib. paratur. Nempe: ex extracto radicum angelicæ,tormentillæ,Zedoariæ,caryophyl.pæoniæ visci quercini,parato cū aqua cinnamomi.Ex salib.cranij hominis,& cornu cervi,extractis cum aqua destillationis tenellorum cornuum cervorum: Item ex extractis omnium aromatum, vulgari modo confectis: ex essentiis confectionis de hyacintho, Alchermes factis cum aqua theriacali: ex extractis myrrhæ & mumiæ cum aqua vitæ communi ex sulphure dulci vitrioli, oleo auri, oleo argenti, oleo croci,oleo camphoræ: ex tinctura coral. omnibus cum proprio menstruo exprōmptis, quæ vera & genuina sunt narcotica magni hujus magisterii. Ex oleis ambræ flavæ aut

*Nepenthes Quercetani descriptio.*

succini: nucis musc. caryophyl. cinnamomi, anisi corticum citri, communi ratione extractis. His omnibus ritè & artificiosè, sicut decet, mixtis, addimus essentias perlarum, corallorum. Cum verò bezoardico in pulverem redacto, ea dosi ac proportione, ut justam pilularum consistentiam acquirat: cui ab igne semotæ affundo essentiam ambræ gryseæ atq; musci. Ac parte quadam seorsim servata eam moschi essentia non inficio, ut Nepenthes nostræ usus mulierculis à matrice suffocatis, possit esse tutus ac laudabilis. Dosis tantæ nostræ medicinæ quàm exigua est, nec granum piperis magnitudine excedit, interim effectus reddens admirandos, ut notum est tum huic nostræ nobilissimæ virgini multoties, tum infinitis aliis, qui viderunt vel ipsimet experti sunt, quorum tot sunt, in hodiernam usq; diem salubriter adhuc viventes, ut in re nota gloriam aliquam quærere aut pompam aucupari pigeat.

Varias laudani opiatici præparationes, easq; non vulgares docebimus in nostra Pharmacopœa dogmaticorum restituta




F I N I S.



*Lipsiæ heredes Mich. Lantzenb. excudebant.*

